BIBLIOTEKA
Zakl. Nar. im. Ossolińskich
XVII 1,365

DE CHRISTO VERO ET NATVRALI DEI FILIO,

Eiuſdemq́ue pro peccatis noſtris ſatisfactione,

LIBRI DVO.

Aduerſus impia dogmata Valentini Smalcij, Arianæ ſectæ Miniſtri.

Acceſsit Reſponſio ad examinationem centum errorum Smalcio obiectorum, ab eodem Smalcio editam.

Auctore MARTINO SMIGLECIO *Societatis* IESV, *Sacræ Theologiæ Doctore.*

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij S. R. M. Typographi.
Anno Domini, M. DC. XV.

15.875

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO.
XVII-1365-III

Illuſtriſſimo Domino,

D. NICOLAO DANILOWICZ

De Zurowo,

CASTELLANO LEOPOLIENSI,

Theſaurario Curiæ Regni, Capitaneo Chelmenſi, Samborienſi, Droicenſi, &c.

Author Felicitatem.

NVLLA HÆRESIS TAM VBEREM SEgetem, & materiam laudis & gloriæ Eccleſiæ Catholicæ ſubminiſtrauit, Illuſtriſſime Domine, quàm Ariana. Primùm enim nondum adulta, & penè in cunis vagiens, vno totius orbis ore, pari animorum volũtatumq; conſenſione, in Concilio Nicæno damnata eſt: tum verò ab omnibus omnium ſeculorum Doctoribus, velut ex condicto fortiſſimè impugnata, & feliciſſimè ſemper proſtrata. Superſunt quidem adhuc eius impietatis reliquiæ, ſed exiguæ, ac prorſus omni armorum genere ac animo deſtitutæ. Racouiana colluuies, vires in Ario amiſſas penitus recuperare, pugnam redintegrare, vetera damna reſarcire, temerè & impudenter conatur. Hoc agit, hoc cogitat, hoc molitur, vt vnius Dei cultu è Poloniæ finibus exterminato, deorum multitudinem introducat. Mephitis mihi quædam eſſe videtur illud oppidum, ex qua in horas propemodum, nouitate inaudita, numero infinita, impietate horrenda errorum monſtra prodeunt. Neq; enim tantùm de Deo Trino & Vno ſentit impiè cum Ario, ſed de omnibus ſanctiſſimis fidei Chriſtianæ myſteriis, priuatim & palàm Ethnicorum more philoſophatur, nihilq; iam pene Chriſtianum, præter vocabula, retinet. Tam longè blaſphemiam Magiſtri, diſcipulorum perfidia præceſſit, vt ſi

nunc ab inferis excitetur, vix eos aſſequi poſſe videatur. Ego verò cùm omnium ſectariorum nouitates deteſter, tum hanc Arianorum theomachiam non poſſum & propter impietatem non execrari, & propter imbecillitatem non contemnere. Quapropter libenter & promptè cauillationibus illorum reſponſurus, etiam nũc in arenam deſcendo; facile patior me hoc labore pro gloria vnigeniti Filij Dei contra toties triumphatos hoſtes exerceri. Feci id aliâs luculenter, ſed Lernæum iſtud genus, feraciſſimum eſt monſtruoſorum capitum; vnum reſectum eſt, ſubitò pullulat & ſubnaſcitur aliud; errores erroribus continua ſucceſſione catenantur. Itaq; ſine intercapedine diſſoluendi & diſſipandi ſunt. Porrò cogitanti mihi, cui hanc lucubratiunculam dedicarẽ, continuò tu Magnifice Domine, occurriſti; plurimùm enim lucis & auctoritatis à præclaro tuo ſplendore, domi nobis, foriſq; extraneis clariſſimè lucente, accepturam ſperaui. Nam & in Polonia ampliſſimam Senatus dignitatem obtines, & in Turcia, quam in grauiſſimis Reipublicæ negotiis Legatus obiiſti, prudentiæ, grauitatis, ac cæterarum heroicarum virtutum veſtigia, non preſſa leuiter ad exigui temporis prædicationem reliquiſti, ſed fixa ad memoriam omnium ſempiternam. Deinde tibi potiſſimùm debebatur; cùm enim pro tua in patriam pietate & religionis Catholicæ ſartæ tectæq; conſeruandæ zelo omnes hæreſum peſtes à Regno auertere coneris, ac inſaniam Arianorum maximè perſequaris, non inconueniens, nec ingratum tibi fore iudicaui, ſi diſputationem, quæ ſacrilega illorum dogmata detegit ac iugulat, tuo nomini nuncupatam ederem. Iam verò poſtquam mentem & oculos retuli ad ſingularem illam tuam erga noſtrum Ordinem beneuolentiam, gratitudinis ratio exigegebat, vt non ſolùm dum viuimus recentem tui memoriam conſeruemus, ſed monumentis vigiliarum noſtrarum inſertam, etiam poſt cineres apud poſteritatem æternam celebremus. Accipe igitur Senator ampliſſime eâ, quam ſemper prætefers fronte, hoc munuſculum. Exiguum illud quidem, ſed Illuſtriſſimo tuo nomine in ipſis adijtis ſigillatum, atq; à candido & ſincero tuiq; perſtudioſo profectum animo. Vale. Dat. Caliſſij, in Collegio Karnkouiano Societatis IESV, *11. Iunij. 1615.*

PRÆFATIO,

De nouis Reuelationibus, Smalcio Racouiæ factis, ad reformandos Lutheranos & Caluiniſtas.

IN *Epiſtola ſua Dedicatoria, quam ad Torunenſes, Gedanenſes, Elbingenſes Smalcius ſcripſit, omni conatu adhortatur eoſdem ad Arianam perfidiam amplectendam; eo argumento, quòd quædam noua ſibi ſuisq; Eccleſiis diuinitùs reuelata ſint, quæ nec aliis ante reuelata fuerunt, & ad perfectã Lutheranarum & Caluinianarum Eccleſiarum reformationem deſiderantur. Parturire audimus montes, ſpectaturi prodigia, riſum teneamus amici. Nouæ reuelationes, ad fidem & veram Dei & Chriſti cognitionem ſpectantes, ſunt nouum Euangelium. Si igitur Smalcio, & Racouienſibus, nouæ eiuſmodi reuelationes contigerunt, nouum proculdubio Euangelium ipſis eſt reuelatum; ſimulq; illud anathema Pauli ſublatum, quod ille in eos, qui transferebantur in aliud Euangelium, & conuertere volebant Euangelium Chriſti, potentiſſimè fulminauit*: Si quis, *inquit,* vobis euangelizauerit, præter id, quod accepiſtis, anathema ſit. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Gal: 1. 8. 9. *Si dicant ſibi non aliud omnino Euangelium, ſed quod in ſcriptis Apoſtolicis hucuſq; reconditum erat, reuelatũ eſſe, idipſum illi pſeudoapoſtoli, quos Paulus anathemate percellit, faciebant, vt Chryſoſtomus aliiq; adnotarunt: ſub nomine enim Euangelii & doctrinæ Chriſti, errores ſuos venditabant, & vocibus retentis, verum Euangelii ſenſum inuertebant; idq; reuelationibus ſibi diuinitùs factis* tribuebant.

Et verò aſſerere, mundum hucuſq; ex ſcriptis Apoſtolicis veram de Deo & Chriſto cognitionem non habuiſſe, non ſolùm literis ſacris repugnat, ſed id eſt, quod præcipuè Smalcium cum ſuis Racouienſibus Hæreticos eſſe veriſſimos oſtendit. Sacræ enim literæ docent Euangelii doctrinam, ab Apoſtolis traditam, in toto mundo creditam fuiſſe. 1. Tim: 3. 14. *& repletam fuiſſe terram ſcientia Domini, iuxta Iſaiæ vaticinium; Diuinaq; Chriſti prouidentia effectum, vt eadẽ doctrina ad finem vſq; mundi permanſura ſit, ad conſummationẽ Sanctorum, in ædificationem corporis Chriſti.* Eph: 4. 12. *neq; futurum vnquam, vt Diabolus, Chriſti regnum, eiuſq; veram fidem in mundo, ſit aboliturus, & portæ inferi aduerſus Eccleſiam præualituræ. Ergo inducere eiuſmodi Euangelium, quod mundus hucuſq; ignorauit, imo contrarium ex ſcriptis Apoſtolicis ſemper credidit, eſt transferri in aliud Euangelium, vt ait Paulus, & conuertere ſeu inuertere Euangelium Chriſti. Etenim non aliqua ſolùm, ſed omnia, quæ ad veram Dei & Chriſti cognitionem fidemq; requiruntur, à ſanctis Apoſtolis manifeſtata*

 ſunt

ſunt toti mundo, nec quidquam eorum prætermiſſum, ſine quo vera & pura in Deum & Chriſtum fides haberi non poſſit; cùm idem planè ſit, impuram, quod falſam fidem habere. Quare ſi mundus ex ſcriptis Apoſtolicis, de Deo & Chriſto, fidem contrariam reuelationibus Smalcii accepit, & hucuſq; retinuit, vel eo ipſo apparet eas reuelationes in ſcriptis Apoſtolicis reconditas non fuiſſe, ſed à Smalcio & Racouianis, ſolemni & vſitato hæreticorum more, confictas eſſe. Quî enim fieri poteſt, vt Deus Eccleſiæ ſuæ, quam ſanguine ſuo acquiſiuit, & ita dilexit, vt ſeipſum tradiderit pro ea; vt eam ſanctificaret, mundaret, glorioſamq; exhiberet, non habentem maculam aut rugam peccati vel erroris, per mille ſexcentos annos, veram & puram ſuam fidem, idq; in rebus præcipuis, non reuelauerit & manifeſtauerit: ſed id donum, reuelationemq; tanti momenti quiſquiliis iſtis Racouienſibus in fine ſeculorum reſeruauerit? Certè primi illi per ſexcentos annos fideles, aut tam ignaui fuerunt, vt ſcripturas legere noluerint, aut tam rudes & inepti, vt intelligere nequiuerint; aut tam deſerti à Deo atque proiecti, vt Diuina luce prorſus deſtituti fuerint.

Porrò ea, quæ Smalcius ſibi ſuisq; reuelata eſſe contendit, eiuſmodi ſunt, vt ad præcipua fidei dogmata ſpectent; nempe plures Deos veros à Chriſtianis colendos eſſe, Chriſtum in cruce pro nobis ſacrificium minimè obtuliſſe, neque ſanguine ſuo nobis remiſſionem peccatorum & ſalutem comparâſſe, ſed paratam à Deo indicâſſe, neq; propriè ſacerdotem fuiſſe, neq; propriè ſacrificaſſe; minimè etiam debere homines baptizari aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. neque aquæ Baptiſmum in remiſſionem peccatorum inſtitutum eſſe, aliaq; plurima, quæ in mundo hucuſq; ne audita quidem fuerunt, & à nobis ex ſolo hoc Smalcii libro collecti ſunt pluſquam ducenti quinquaginta errores, quos Chriſtianus orbis ſemper execratus ac deteſtatus eſt. Eiuſmodi igitur Euangelium, cùm ſibi reuelatum eſſe aiunt, ſe ipſiſſimos hæreticos eſſe oſtendunt; quorum hoc ingenium eſt, nouitates in Euangelio quærere & confingere; antiquam autem fidem, omnium ſeculorum vſu & auctoritate firmatam, condemnare.

Ad eiuſmodi Euangelium recens reuelatum inuitant Lutheranos & Caluiniſtas. Sapiant, ſi quid ſapiunt Domini Torunenſes, Gedanenſes, Elbingenſes, ac ſe talibus reformatoribus deformandos, ſi volunt, tradant. Verùm has reuelationes amplius expendamus.

Reuelationes quatuor modis præcipuè à Deo fiunt. Nam vel Deus ipſe homini loquitur; vel Angelum aut Prophetam ſuo nomine loquentem mittit; vel viſionem imaginariam homini obiicit; vel deniq; lumen infundit ad res perſpiciendas ac intelligendas. Quæro igitur à Smalcio, quonam præcipuè modo has nouas reuelationes perceperit? Num Deus ei per ſeipſum locutus ſit, vti Moyſi ſeruo

ſuo? num Angelum cælitùs, vti ad Zachariam, miſerit? num in tertium vſque cœlum, inſtar Pauli, eum rapuerit? an, ſi tanto illum honore dignatus non eſt, lumine de cœlo demiſſo, illum colluſtrârit? Si nihil horum aſſerat, ſed meditatione tantùm, & volutatione ſcripturarum ſibi lucem quandam nouam obortam affirmet; ea nullo modo reuelatio vocari poteſt; niſi omnis notitia ſtudio comparata, reuelatio dicenda ſit. Etenim reuelatio, non labore & diſcurſu humano conſtat, (alioqui à ſtudio Theologico non differret) ſed cælitùs in animum hominis immitti ſolet: longeq́ eſt aliud, res Diuinas meditari, quàm eas reuelatas habere. Meditantur enim omnes hæretici, quorum tamen nullus reuelationem veram habere cenſeri poteſt. Si autem Smalcius reuelationem ſuam ad vnum ex quatuor modis referat, debet illico demonſtrare Diuinum teſtimonium, quo id confirmet. Nam neq; ſcriptura nos omni ſpiritui credere permittit, nec in re omnium grauiſſima, nempe quæ religionem & ſalutem concernit, fidem temerè habere cuiuis dicenti, ſibi Deum locutum, fas eſt. Quot enim ſunt veteratores in mundo, qui ſimilibus fabulis & cantilenis mundo impoſuerũt, eumq́; in errores varios fœdiſſimosq́; fraudulenter induxerunt? Quot miſeris mortalibus hoc modo Sathanas illuſit, transfigurans ſe in Angelum lucis, lucem falſam pro vera obiiciens, & mentiens in ore Prophetarum ipſorum. Ecquis verò hæreticus vnquam fuit, qui ſe hoc modo illuminatum non iactârit? imo ex his illuminationibus omnes errorum & hæreſum tenebræ atq; caligines in orbem profluxerunt. Non igitur æquum eſt Smalcio, reuelationes iactanti abſq; probatione & teſtimonio credere. Nam ſi ad ſcripturas prouocat, iis omnes hæretici ſeſe illuminatos eſſe perhibent; cùm tamen excæcatos eos potius, omniq́; veritatis luce priuatos, res ipſa loquatur. Quod ſi quis ſtudio in ſacris literis poſito, laboreq́; adhibito, lucem aliquam veram conſequatur; ea lux non in reuelationem de cœlo lapſam, ſed in ſtudium induſtriamq́; referenda eſt. Studium autem à reuelatione, non niſi toto cœlo diſtare, manifeſtum eſt. Ad hæc, reuelationes eiuſmodi ſtudio Theologico partas, Lutherani quoq; & Caluiniſtæ proferent: quæ cùm ſint Smalcianis reuelationibus contrariæ, vna tot conſiſtere, vtræq́; minimè poterunt. Quis verò Diuinas reuelationes eſſe credat, quæ ſibi contrariæ ſunt, ſecumq́; quàm maximè pugnant? Non ergo Smalcius ſuas reuelationes, eſſe Diuinas reuelationes probabit, aut probare poterit vnquam, niſi ſignum de cœlo, vel aliud Diuinum teſtimonium proferat in medium: alioqui non Dei, ſed Cacodæmonis Smalcianæ reuelationes exiſtimandæ ſunt.

Sed audiamus argumentum, quod Smalcius pro ſuis reuelationibus conficit. Eccleſiæ naſcenti non ſtatim omnia reuelata fuerunt; ergo nec Eccleſiæ renaſcenti ac reformatæ ſtatim omnia reuelata ſunt: ſed quædam per diuinum virũ

Lutherum,

Lutherum, (nempe quòd ex ſolo Euangelio omnes controuerſiæ decidendæ ſint, & omnis norma tam Diuini cultus, quàm vitæ gerendæ non aliunde petenda) alia verò per nouos Eccleſiarum reformatores, Arianos nimirum Racouienſes. In quo argumento cùm & antecedens falſum ſit & conſequens; facile apparet, quid ex eo colligi poſſit. Imo etiam ſi renaſcenti Eccleſiæ aliqua nouorum articulorum fidei reuelatio tribuenda eſſet, non illico ſequitur id Arianæ Eccleſiæ tribui debere: ſed falſum inprimis eſt, Eccleſiæ naſcenti non ſtatim omnia ad fidem ſpectantia reuelata fuiſſe. Spiritus enim S. illico de cælo miſſus eſt, docuit Apoſtolos omnem veritatem, iuxta promiſſa Chriſti. Nulla igitur veritas fuit, quam Apoſtolis tunc non reuelauerit. Nam quod ait ceremonias legales, vt circumciſionem, non continuò abrogatas fuiſſe; hinc inferri non poteſt, ignoraſſe Apoſtolos, an abrogandæ eſſent. Clariſſimè enim docebant, eas nullo modo neceſſarias eſſe, & qui eas tanquam neceſſarias vſurparet, ei Chriſtum nihil profuturum. Si circumcidimini, *inquit Apoſtolus,* Chriſtus vobis nihil proderit. *Quare ſi Apoſtoli pro errore habuerunt, ſi quis exiſtimaret circumciſionem neceſſariam eſſe in lege noua, & non abrogandam; proculdubio reuelatum id fuit illis inter cætera à Spiritu S. ſolùm verò inter illos diſceptabatur ad quod vſq; tempus, & quibus expediret eas retinere, ne quod obſtaculum poneretur prædicationi Euangelii. Iudæi enim non poterant è veſtigio auelli à cerimoniis ſuis. Hæc autem quæſtio erat facti, non iuris, & ex prudentia Apoſtolorum, oportuniq; temporis conſideratione tota dependebat; neq; tam ad fidem, quàm ad mores & prudentem directionem pertinebat.*

Cùm verò adducit locum Phil: 3. 15. Quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus; & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. *eo in loco, non de reuelatione nouorum myſteriorum fidei agitur, ſed de reuelatione & illuminatione ad mores ſpectante. Docet enim ibi Apoſtolus exemplo ſuo Philippenſes, ne ſe extollant, & ſe iam omnem perfectionem aſſecutos exiſtiment; iis verò, qui aliter ſentiunt, ait, Deum gratia ſua non defuturum, ſed illorum mentes reuelatione ſua illuminaturum, vt de ſe tam ſuperbè non ſentiant; ex quo patet hunc locū non ad rem à Smalcio adductum eſſe; antecedensq; illud de non omnibus myſteriis fidei, Eccleſiæ naſcenti reuelatis, eſſe falſum. Falſum etiam eſt conſequens. Nam Eccleſiæ renaſcenti nouis reuelationibus nouorum articulorum fidei opus non eſt; ſufficiunt enim articuli primæuæ illi & naſcenti Eccleſiæ reuelati: quod enim naſcenti Eccleſiæ reuelatum eſt ad ſalutem; idem quoq; renaſcenti ſatis eſſe ad ſalutem, nemo diffiteri poteſt.*

Iam verò, cùm renaſcentem ſeu reformatam Eccleſiam, Lutheranam & Caluinianam intelligit Smalcius, quàm multis modis turpiter hallucinatur; Si enim

enim diuinus vir Smalcio Lutherus fuit, diuinus item & Caluinus ſit, neceſſe eſt. At quomodo iſti diuini viri in rebus ad fidem ſpectantibus, ita inter ſe diſſenſerunt, vt alter alteri hæreticus, & non Dei ſed diaboli ſpiritu plenus haberetur? Num Diuinus Spiritus ſecum ipſe pugnans credi poteſt? aut fieri poteſt, vt Diuino Spiritu pugnantia decernantur & doceantur? Quomodo item, ſi Lutherus & Caluinus viri diuini (Smalcii iudicio atq; teſtimonio) fuerunt, de Deoq; Trino & Vno, prorſus Arianis contraria ſenſerunt atq; docuerunt: Ariani viciſſim viri diuini dici poterunt, cùm circa Dei veri cognitionem, in qua ſalutis noſtræ ratio poſita eſt, diuinis viris contraria ſentiant? Et verò Lutherus eodem diuino Spiritu, quo docuit, ſolo verbo Dei ſcripto omnes controuerſias fidei diiudicandas, docuit etiam Deum eſſe trinum & vnum; imo magis hoc, quàm illud ad Diuinũ Spiritum ſuum pertinere arbitrabatur. Si igitur illud à Diuino ſpiritu Lutheri profectum credunt Ariani, quomodo alterum quoq; ab eodem ſpiritu profectum eſſe non credunt? aut ſi hoc in dubium reuocant, illud quoq; in dubium reuocare debebunt: ſiquidem vtrumq; Lutherus, eodem ſpiritu Diuino ſe aſſerere docuerit.

Cùm verò Eccleſiam ſuam Smalcius reformatiorem nominat, eius rei cauſam ſanè ridendam adiungit. Nam ſi Lutherani, inquit, ex tenebris illis pluſquã cimmeriis, quibus olim ſubmerſi erant, in lucem tam claram veritatis Euangelicæ, (vti eſt apud Arianos) educti fuiſſent, tanto illius ſplendore excæcati potius quàm colluſtrati fuiſſent. Miſerandam lucem Arianæ veritatis, quæ vim habeat, homines non Diuino lumine colluſtrandi, ſed excæcandi penitus, atq; adeò ex cæcis cæcigres reddendi. Magnæ igitur fælicitatis loco ducere ſibi debent Lutherani & Caluiniſtæ, quod tantam lucem illico non aſpexerint. Fuiſſent enim proculdubio, lucis illius beneficio, ex cæcis cæciores effecti. Quin etiam idem illis proculdubio contingere neceſſe eſt, quocunq; tandem tempore eam lucem tam peſtiferam aſpicere voluerint. Lutherani enim æquè Lutherani ſunt modò ac fuerunt initio, id eſt æquè ad doctrinam Lutheranam affecti, æquè ab Arii doctrina alieni. Si igitur cùm Lutherani eſſe cæperunt, lucem Arianam ferre non poterant, quin excæcarentur; idem deinceps ipſis ſperandum eſt, ſi eò dementiæ venerint, vt ſe luci Arianæ adeò peſtilenti colluſtrandos aliquando exhibeant. Maiori verò ratione excæcatos fore neceſſe eſt eos, qui ex Catholicis lucem iſtam fuerint contemplati. Nam ſi Lutherani, qui per Lutheraniſmum ad Arianam lucem aliquo modo diſpoſiti fuerunt, eam ſine cæcitatis periculo certo aſpicere nõ poterant: Catholici, qui nullam eiuſmodi diſpoſitionem habent, cæcitate, ſine controuerſia, ſumma percellentur, ſi eam vel tenuiſſimo aſpectu attingere fuerint auſi. Id enim ratio Smalcii potentius concludit. Non eſt, ò Smalci, eadem lucis ſpiritualis & corporeæ ratio. Hæc enim cùm rem corpoream & corruptioni

ſubiectam afficiat, ſi nimia ſit, eam diſſoluit ac deſtruit. At lux ſpiritualis animum noſtrum, qui corruptioni non ſubiacet, corrumpere non poteſt: ſed eum tantò magis perficit, quantò vberius in eum fuerit effuſa.

Porrò Eccleſias Arianas cæteris reformatiores eſſe, quis vnquā præter Arianos credidit, aut credere aliquando poterit? non ſolùm propterea, quòd id à Smalcio nonniſi fictis reuelationibus probetur, (quod ad omnia figmenta comprobanda, promptiſſimum eſt argumentum) ſed quòd nulla maior fœdiorq́; atq; adeò deteſtabilior Eccleſiæ reformatio cogitari poſſit, quàm ea, quæ nunc in Eccleſias iſtorum nouorum Arianorum inducta eſt, in quibus omnia, quæ in veteri Eccleſia ſacroſancta ſemper habebantur, proſtrata iacent; & ex ſcriptis Apoſtolicis, nouum quoddam Euangelium, religioſiſſimæ illi antiquitati penitus ignotum, veluti nouum quoddam monſtrum fingitur & adoratur. Abominationem deſolationis iure dixeris, ei perſimilem, quam prædixit Daniel propheta, ſtantem in loco ſancto: vti ex tot abſurdiſſimis errorum monſtris, quos in his & in aliis de erroribus Arianorum libris refellimus, perſpicere facile eſt.

Sperat verò Smalcius, & tantum reuelationibus, Lutheranis à Deo factis, tribuit, vt ſi Spiritus Chriſti plus in ipſis haberet virium, in vnam tandem Eccleſiam coaleſcere poſſint: illam videlicet Eccleſiam, cuius caput eſt Antichriſtus; doctrina, blaſphemiæ omnes; finis, interitus. Si Chriſti Spiritus aliquid virium in Lutheranis habet, non eas in vnam cum Arianis Eccleſiam vniet, ſed potius, vt vniri nunquam poſſint, efficiet. Id enim quod vnicum reſtat Lutheranis bonum, & Chriſtiani nominis inſigne, hoc eſt Dei Trini & Vnius confeſſionem, per hanc vnionem amitterent, atq; Chriſtiano nomine prorſus indignos ſe exhiberent. Quod ne faciant, illi pro ſua ſapientia & honore proculdubio cauebunt.

Deniq; cùm ad ſuam perfidiam colorandam proteſtatur Smalcius, ſe optare, ne illa triuiali vulgi imprudentis cauillatione retundantur Ariani, quaſi nouum Deum & nouam religionem introducant; ſciat eam non vulgi imprudentis cauillationem eſſe, ſed omnium ſapientium ſententiam, quibus ita fraudes Arianorum iam perſpectæ ſunt, vt nec eundem, cum veris Chriſtianis, Deum, nec eandem Religionem eos colere, certo ſibi perſuadeant, ſed fucis verborum ſuos abſurdos errores, quibus ab omnibus Chriſtianis diſſentiunt, oblinere & contegere, & vocibus ſolùm retentis Chriſtianum ſenſum penitus euertere. Quod etiam candidus Lector, ita habere, haud difficulter comperiet, ſi hæc noſtra cum Smalcianis conferat; neq; fictis Arianorum reuelationibus fidem adhibeat: atq; hoc Præfationis loco præmittere libuit.

Centum quinquaginta ſeptem errores, ex altera libri Smalcij parte excerpti, qui in his duobus libris confutantur.

ERRORES DE CHRISTO.

1 Chriſtum non eſſe verum & naturalem Dei Filium.
2 Verbum non eſſe factum carnem.
3 Chriſtum non propriè ſed figuratè dici Verbum.
4 Chriſtũ ante mundũ non extitiſſe.
5 Per Chriſtũ mundũ nõ eſſe conditũ.
6 Vnionem duarum naturarum in Chriſto probari non poſſe.
7 Filij Dei cum natura humana vnionem, eſſe ſomnium anile.
8 Chriſtum ſecundùm carnem dici Dei Filium.
9 Chriſtum poſſe dici naturalem Dei Filium ſecundùm carnem.
10 Chriſtum à ſua conceptione plenũ ſapientia non fuiſſe.
11 Chriſtũ infantẽ Deũ verè nõ fuiſſe.
12 Nec Chriſtum.
13 Nec Saluatorem.
14 Nec Dominum.
15 Chriſtum ab infantia Spiritu ſancto repletum non fuiſſe.
16 Chriſtum in ſua infantia vſum rationis non habuiſſe.
17 Chriſtum in ſua infantia veram ſanctitatem non habuiſſe.
18 Chriſtum ex aliena materia in Virgine conceptum eſſe.
19 Chriſtum in ſua infantia non fuiſſe Filium Dei, ea ratione, qua tota vita fuit Filius Dei.
20 Chriſtum infantem Diuina poteſtate caruiſſe.
21 Chriſtum eſſe Filium Dei adoptiuum, ſicut & cæteros homines
22 Chri: propter ſimilitudinẽ cũ Deo accidẽtaria ratione dici Dei Filiũ.
23 Chriſtum in cœlo deſiiſſe eſſe vnigenitum, ea ratione, qua in terris vnigenitus erat.
24 Chriſtum, cùm poſt reſurrectionẽ diceret, Accipite Spiritum S. non dediſſe reipſa Spiritum ſanctum.
25 Chriſtũ ratione corporis eſſe Spiritum viuificantem.
26 Chriſtum non eſſe naturalem Dei imaginem.
27 Chriſtum eſſe Dei imaginem ratione doctrinæ.
28 Antequam fieret Abraham, Chriſtum non extitiſſe.
29 Chriſtum non eſſe miſſum in mũdum tunc, cùm eſt natus.
30 Chriſtum ante mortem aſcendiſſe in cœlum.
31 Chriſtum cum corpore mortali reſurrexiſſe.
32 Chriſtum in reſurrectione factum eſſe Filium Dei.
33 Chriſtum in reſurrectione non habuiſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra.
34 Chriſtum ob poteſtatis Diuinæ ſimilitudinem dictũ eſſe Filiũ Dei.
35 Chriſtum poteſtatem in Angelos in aſcenſione primùm obtinuiſſe.
36 Chriſtum Angelos creaſſe per reformationem politiæ ipſorum.
37 Deum ex ſubſtantia ſua generare non poſſe.

ERRORES DE REDEMptione *& ſatisfactione Chriſti.*

38 Chriſtum non omnibus eſſe promiſſum.
39 Promiſſionem Meſſiæ Abrahamo primùm factam eſſe.
40 Chriſtum in lege veteri non fuiſſe neceſſarium hominibus ad ſalutem.
41 Ab initio mundi fideles in Meſſiam fidem non habuiſſe.

42 Fides in Chriſtum ad iuſtificationem non ſemper fuit requiſita.

43 Fides implicita in Chriſtum nihil ad remiſſionem peccatorũ confert.

44 Fidem in Meſſiam nõ fuiſſe præceptam à Deo.

45 Fideles in lege veteri nihil de fructu mortis Chriſti ſciuiſſe.

46 Ante Chriſti aduentum peccata hominibus non eſſe propter Chriſtum remiſſa.

47 Chriſtum nobis Deum non reconciliaſſe, nec ex offenſo placatum reddidiſſe.

48 Deum ex ſe,& ſua ſponte,propitiũ fuiſſe hominibus abſque cuiuſquã reconciliatione.

49 Deum à nobis non commoueri aut induci ad offenſam nobis condonandam.

50 Deum, etſi nobis peccata non remittat, eſſe nobis beneuolum & amicum.

51 Sanguinem Chriſti non fuiſſe verũ pretium redemptionis noſtræ,neq; vim pretii in nobis redimendis habuiſſe.

52 Modus quo ſanguine Chriſti dicimur redempti, is eſt ſolùm, quod ſanguine Chriſti ſit nouum fœdus confirmatum, & eodem ſanguine nos commoueamur ad ſpem gratię Diuinæ, Chriſtusq; mediante ſanguine ſuo, conſecutus eſt potentiã nos ſaluandi,ſeu à morte liberãdi.

53 Deo non eſſe vllum pretium datũ pro nobis.

54 Deum Patrem nos redemiſſe ſanguine ſuo.

55 Sanguinem Chriſti eſſe ſanguinẽ Dei Patris.

56 Sanguinem Chriſti nõ eſſe veram & effectricem cauſam remiſſionis peccatorum.

57 Sanguinem Chriſti eandem vim habuiſſe ad expianda peccata, quã habebat ſanguis animalium in lege veteri, ex ſententia Smalcii ſequitur.

58 Chriſtũ ſanguine ſuo non meruiſſe nobis remiſſionem peccatorum.

59 Chriſtum pœnas peccatorũ in ſe luendas non ſuſcepiſſe.

60 Chriſtum in cruce ſacrificium nõ obtuliſſe.

61 Chriſti ſacrificium non eſſe verè & propriè ſacrificium.

62 Chriſtum non eſſe propriè ſacerdotem.

63 Nuſquam in ſcriptura legi de oblatione corporis & ſanguinis Chr.

64 Peccata fidelibus remiſſa eſſe antequã fiant,nec imputari ad pœnã.

65 Non remitti nobis pecccata propter ſanguinem Chriſti,nec ſanguinem Chriſti commouere Deum ad remittenda nobis peccata.

66 Chriſtum vitam æternam nobis non comparaſſe,ſed paratam à Deo indicaſſe.

67 Chriſtum non effeciſſe, vt nobis vita æterna offerretur à Deo, ſed vt nos illam à Deo ſponte oblatam, amplecteremur & conſequeremur.

68 Tunc cùm per ſpiritum æternum ſeſe offerret Chriſtus, ſanguinem non habebat vllum.

69 Sanguinẽ Chriſti dici in ſcriptura pretioſum, non quòd aliquem valorem pretii habeat, ſed quòd ſit ſanguis æterni fœderis.

70 Sola Chriſti morte peccata expiata non eſſe.

71 Reſurrectione Chriſti peccata expiata eſſe.

72 Chriſtum ſanguine ſuo pro nobis fuſo, veniam peccatorum nobis nõ impetraſſe.

73 Chriſtum in cœlo Patrem pro nobis non orare.

74 Chriſtum

74 Chriſtum non omnium redemptorem eſſe, ſed eorum tantùm qui poſt ipſum fuerunt.

75 Sanguinem Chriſti ſacrificium appellare, fabula eſt Pontificia.

76 Chriſtum eorum etiam eſſe Saluatorem, quorũ non fuit Redemptor.

77 Deum poſſe per Chriſtum peccata remittere, & ſalutem tribuere ei, qui in Chriſtum non credit, dummodo in Deum credat.

78 Non eſſe neceſſarium ad iuſtificationem credere, Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe.

79 Chriſtum eſſe Redemptorem indicatiuum tantùm, quòd viam ſalutis nobis annunciauerit, confirmauerit, & in ſeipſo oſtenderit, nõ autem effectorem.

80 Gratuitam remiſſionem peccatorum cum ſatisfactione pugnare.

81 In fide Meſſiæ Redemptoris eius ſatisfactionem non contineri.

82 Error eſt craſſus dicere, aliquid nobis per Chriſtum comparatum eſſe.

83 Chriſtũ nõ ſolùm nõ ſatisfeciſſe pro nobis, ſed nec ſatisfacere potuiſſe.

84 Sanguinis Chriſti valorem non eſſe infinitum.

85 Satisfactionem Chriſti monſtroſam eſſe.

86 Deum ſatisfacere pro peccatis nõ poſſe, niſi in natura Diuina patiatur.

87 Deum non fuiſſe iratum peccatoribus, cùm Chriſtum mitteret in mundum.

88 Chriſtum ante mortem ſummum Pontificem non fuiſſe, nec perfectè Dominum.

ERRORES DE ANGELIS, *& hominibus.*

89 Angeli non ſunt adoptiui Filii Dei propriè loquendo.

90 Nec homines.

91 Hominem eſſe verum & proprium Filium, etiamſi ex ſanguine & ſubſtantia Patris non ſit genitus.

92 Angeli quoad gratiam non poſſunt dici ex Deo nati.

93 Non poſſe quẽ ex Deo naſci tunc, cùm incipit exiſtere.

94 Neminem fuiſſe Dei Filium ſub nouo Teſtamento, quàmdiu Chriſtus in terris degebat.

95 Homines ab initio mundi ſine vlla fide in Chriſtum iuſtificatos eſſe.

96 Sanctos poſt mortem non exiſtere.

97 Nec Angelum, nec animam, Dei imaginem eſſe.

98 Animas Sanctorum ante diem iudicii Deum non videre.

99 Dona ſupernaturalia Angelis cum ipſa creatione infuſa, naturalia dici poſſe.

100 Donum Spiritus ſancti, quod Ioannes in vtero accepit, naturale dici poſſe.

101 Homines eſſe veros Dei filios.

102 Adoptiuum poſſe dici verũ filiũ.

103 Poſt reſurrectionẽ nos futuros ſimiles Deo in natura, etiam quoad corpora.

104 Primum hominem in ſua creatione, ſanctitatem & dona ſupernaturalia accepiſſe, veterem eſſe, eamq́; fœtidam fabulam.

105 Naturaliter & abſque alia gratia Dei, nos poſſe audito Euangelio credere: vti Pelagius docebat.

106 Per donum immortalitatis conſtitui Filios Dei.

107 Naturale eſſe homini tam credere, quàm credendo Filiũ Dei fieri.

108 In hac vita perfectè homines non iuſtificari.

109 Glorificationẽ eſſe iuſtificationẽ.

110 Per reſurrectionem efficiemur verè Filij Dei.

111 Infantem ſanctum dici non poſſe, cùm nihil agat aut intelligat.

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

112 Ioannē in vtero Chriſtū non agnouiſſe, neq; gaudio vllo affectū fuiſſe.
113 Non omnes homines morituros ante diem iudicij.
114 Comedere & bibere in corpus immortale non cadunt.
115 Corpora immortalia, ſtomachos verè non habitura.
116 Corpus immortale oculis mortalibus videri non poſſe.
117 Paulū verè Chriſtū ipſū nō vidiſſe.
118 Stephanum Chriſtū ſtantē à dextris Dei verè non vidiſſe.
119 Corpus immortale diuiſionem pati non poſſe.
120 Corpora noſtra poſt reſurrectionē ſpiritualia futura, quoad eſſentiā.
121 Corpora immortalia tangi non poſſe.
122 Fidem in Chriſtum nullā dari ſine charitate.
123 Dæmones eſſe nouas creaturas per Chriſtum.
124 Neminem mereri apud Deū quidquam poſſe.
125 Mereri aliquid apud Deum eſt iniurium Deo.
126 Repugnat Deum aliquid hominibus, etiam ex pacto, debere.
127 Preces noſtras vim aliquid à Deo impetrādi nō habere, licet Deus nō niſi petētib. ſtatuerit ſua dona dare
128 Diuinā eſſentiā à nobis in hac vita nec per fidē, nec vllo alio modo videri
129 In cœlo eſſentiam Dei videri poſſe nondū cōſtare inter Theologos.
130 Meritum inferre coactionem.

ERRORES DE SPIRITV S.

131 Spiritum S. eſſe donum inanime.
132 Spiritū S. in Deo eſſe proprietatē.
133 Spiritum S. eſſe perſonā per Proſopopeiam.
134 Spiritum S. non eſſe Deum.
135 Homines cùm accipiunt Spiritū ſanctum non regenerari.
136 Spiritum ſanctum nulla ratione fuiſſe datum ante Chriſti mortem.
137 Spiritum S. non eſſe vnum, ſed plures, eoſq; dignitate inæquales.
138 Poſſe quem repleri Spiritu S. nec tamen ſanctitate conſequi.

CÆTERI ERRORES.

139 Per Baptiſmum aquæ homines nō regenerari.
140 Baptiſmum infantium aſſerere, eſt ad idololatriam inclinare.
141 Omnem ſatisfactionem pro peccatis vanam eſſe.
142 Vnam numero naturam pluribus communicari non poſſe.
143 Sine perſona humana, verum hominē quoad naturam dici nō poſſe.
144 Perſonā alteri perſonæ dari non poſſe.
145 Perſonam eſſe in perſona repugnat.
146 Perſonā plurib. ſimul dari nō poſſe abſq; ſui diuiſione & corruptione.
147 In ęternitate nulli dies eſſe poſſūt
148 Nomine reſurrectionis aſcenſionem quoque in ſcriptura intelligi.
149 Impetrationem cum liberalitate pugnare.
150 Ex dignitate perſonæ nō ſumi valorē actionis.
151 Deum poſſe odio habere peccata, & illis non iraſci.
152 Non pertinere ad iuſtitiam Dei, vt nullum malum ſit impunitum.
153 Ea tantū peccata puniri à Deo, in quibus quis diu hæret & ſubſiſtit.
154 Sanguinem Chriſti in Dei honorem fuſum & impenſum eſſe, quantūuis ſobrio ſenſu rectè dici poſſit, locutio tamen eſt inſolens, & ad rem nihil faciens.
155 Chriſtus in cælo maculatus & imperfectus eſſet, quoad eſſentiam & naturam, ſi ſanguinem haberet.
156 Chriſt: ſeipſū obtuliſſe in ſacrificiū Deo, falſum eſt, nec vſquā legitur.
157 In iuſtificatione peccata eſſe quoad culpam, & non eſſe quoad reatū, quia teguntur & non imputantur

INDEX.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Chriſtum in ſcripturis non eſſe Dei Filium ſecundùm carnem, oſtenditur. Caput I.

Scripturæ non admittunt Chriſtum ſecundùm carnem dici Filium Dei. Caput II.

Commenta Arianorum de Filio Dei ſecundùm carnem refellūtur. Cap: III.

Chriſtum in ſcriptura dici Dei Filium non adoptiuum, ſed natuturalem, aduerſus Arianos oſtenditur. Cap: IV.

Chriſtus cùm ſit proprius & vnigenitus Dei Filius, non adoptiuus ſed naturalis dici debet. Cap: V.

Chriſtus ſe eſſe naturalē, non adoptiuū Dei Filiū, conſtanter aſſeruit. Ca: VI.

Chriſtum, cùm ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ Dei, naturalem eſſe Dei Filium, conuincitur. Cap: VII.

Si Chriſtus non ſit naturalis Dei Filius, ſed adoptiuus, conſequens eſt, eum non eſſe verum & proprium, ſed metaphoricum & improprium Dei Filium. Caput VIII.

Chriſtum non accidentaria ratione, neq; ob ſimilitudinem accidentariam cū Deo in ſapientia, ſanctitate, poteſtate, immortalitate, dici Dei Filium, contra Arianos oſtenditur. Cap: IX.

Chriſtum, neq; ſemper Dei Filium fuiſſe, dum in terris ageret; neq; ab infantia, ſanctitatem vllam, aut ſapientiam, aut poteſtatem Diuinam habuiſſe; neq; poſt reſurrectionem, veram immortalitatem adeptum eſſe, non minùs abſurdè, quàm impiè aſſerunt Ariani. Cap: X.

Chriſtum in reſurrectione factum eſſe Filium Dei; perperam docent Ariani. Caput XI.

Chriſtum Filium Dei fuiſſe, antequam homo fieret, & de cœlo deſcenderet. Caput XII.

Chriſtum ante Luciferum eſſe ex Deo genitum, & ante Abrahamum extitiſſe, demonſtratur. Cap: XIII.

Duo ſcripturæ loca de æterna Filij Dei generatione à Smalcij cauillationibus vindicantur. Caput XIIII.

Filium Dei, eſſe Verbum illud æternum, naturaliter in Deo exiſtens, quod in tempore factum eſt caro, probatur Diui Ioannis teſtimonio. Cap: XV.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

Chriſtum ſua paſſione & morte, Deum nobis reconciliaſſe, & ex offenſo placatum & propitium reddidiſſe. Caput I.
Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ex eo oſtenditur, quòd nos ſanguinis ſui pretio redemerit. Caput II.
Ex ſententia Arianorum ſequitur, ſanguinem Chriſti, non aliam vim ad peccata tollenda habuiſſe, quàm habuerit ſanguis animalium in lege veteri. Caput III.
Si ſanguis Chriſti veram vim ad peccata tollenda non haberet, fruſtrà Deus Chriſtum tam crudeliter pro peccatis mactari voluiſſet. Cap: IV.
Chriſtum nobis peccatorum veniam & gratiam Dei promeruiſſe, ex eo oſtenditur, quòd eius rei obtinendæ cauſa mortuus ſit. Caput V.
Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, pœnas peccatorum noſtrorum proferendo. Caput VI.
Satisfactio Chriſti pro peccatis noſtris ex eo probatur, quòd propter peccata noſtra, & pro peccatoribus mortuus ſit. Caput VII.
Chriſtum ſuo ſacrificio pro peccatis hominum Deo ſatisfeciſſe demonſtratur. Caput VIII.
Tres abſurdi & impij errores Smalcij, circa virtutem paſſionis & mortis Chriſti, refelluntur. Caput IX.
Chriſtum omnes omnino homines redemiſſe, quotquot ab orbe condito extiterunt, contra impium Smalcij dogma oſtenditur. Cap: X.
Ex gratuita peccatorum remiſſione, quam ſcripturæ prædicant, ineptè inferunt Ariani, Chriſtum pro peccatis non ſatisfeciſſe. Caput XI.
Soluuntur Socini rationes, quibus Chriſti ſatisfactionem impoſſibilem eſſe oſtendere conatur. Caput XII.

LIBER PRIMVS.

DE CHRISTO VERO ET NATVRALI DEI Filio.

Chriſtum in ſcripturis non eſſe Dei Filium ſecundùm carnem oſtenditur.

CAPVT I.

PRincipio ſtatuunt Ariani, Diuinam naturam communicari alteri non poſſe. Vnum enim numero, inquiunt, alteri communicari ſine manifeſta contradictione nequit: eſſet enim vnum & non vnum. Cùm igitur natura Diuina ſit vna numero, fit vt alteri communicari nullo modo poſſit. Futile ſanè ad tantam rem probandam argumentum, quid enim falſius, quàm vnam rem numero, pluribus communicari non poſſe? vt enim ex innumeris exemplis aliqua proferam, vna numero anima rationalis, & in pluribus ſimul membris exiſtit, & tota ſingulis communicatur. neque idcirco aut vna deſinit eſſe, aut multiplex pro membrorum multitudine efficitur. Similí ratione eandem numero formam, pluribus numero ſubiectis Diuina virtute communicari poſſe, omnium Theologorum eſt conſenſio: quemadmodum & idem numero corpus, poſſe Dei abſoluta poteſtate, in pluribus ſimul locis exiſtere, ijdem grauiſſimis rationibus oſtendunt. Non igitur Diuinæ naturæ, ex eo præcipuè capite, quòd vna numero ſit, communicari pluribus repugnat. *Vnā numero rem pluribus communicari poſſe.*

Neque verò pertimeſcenda eſt contradictio, vt vna ſimul & non vna dicatur. Non enim ſecundùm eandem rationem dicetur vna & non vna, quod ad contradictionem requiritur, ſed ſecundùm ſe vna; quoad perſonas & ſubſiſtentias non vna. vti ad finem libri

 primi de

primi de erroribus Arianorum à nobis copioſè demonſtratum eſt. Quocirca falſum ex falſo infert Smalcius, cùm propter Diuinæ naturæ communicationem, quam impoſſibilem eſſe falſò putat, negat Christum dici poſſe Filium Dei, & ex conſequenti cauſas alias inquirendas eſſe, propter quas Filius Dei dicendus ſit. Porrò duplicẽ cauſam Smalcius in ſcripturis aſſignari putat, propter quam Christus dicatur Filius Dei. Altera eſt, modus conceptionis miraculoſus ex Spiritu S. Altera, ſimilitudo cum Deo in ſanctitate, ſapientia, poteſtate & immortalitate. Verùm iſta, vti falſò ſcripturis affingit Smalcius: ita efficaciſſimè toto hoc libro refellendus eſt, oſtẽdendumque ex ſcripturis, Christum eſſe Dei Filium, qui ſit ex Deo genitus; non ſecundùm carnẽ, ſed ſecundùm Diuinitatem; non adoptiuus, ſed naturalis; non ſecundùm accidentariam cum Deo ſimilitudinem, ſed ſecundùm naturam & eſſentiam; non ex tempore, ſed ab æterno ante luciferum, & omnem creaturam, & à diebus æternitatis, nec initium dierum, nec finem vitæ habens. Ex quibus clariſſimè conſtabit Christum, ratione Diuinæ duntaxat naturæ, dici & eſſe Dei Filium.

Duæ cauſæ, ob quas Chriſtus ſit filius Dei ſecundùm Smalcium.

Inprimis igitur oſtendendum eſt, nulla ratione ex ſcipturis deduci poſſe, Christum ſecundùm carnem dici Dei Filium. Ex tota enim Diuina ſcriptura, non niſi vnum locum proferunt, aut proferre poſſunt aduerſarij: quo tamen non ſolùm id non continetur, ſed aliud prorſus, & eius, quod ipſi volunt, oppoſitum. Sic enim loquitur Angelus Luc: 1. 35. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Vrget Smalcius illam particulam (*ideoque*) quaſi ea indicetur cauſa, propter quam Christus vocandus ſit Filius Dei, nempe miraculoſa illa conceptio de Spiritu S. Aio ego, nullo modo id, ex tali particula concludi poſſe, quod eâ non ſit neceſſe, cauſam veram rei, ſed ſæpè conſequentiam ſeu cauſam illationis ſignificari, ſicut & aliis ſimilibus particulis, quare, quamobrem, quocirca. quod enim ex alio quocunque modo conſequitur vel infertur, ſolemus prædictis particulis deſignare: ſiue illud aliud ſit vera cauſa, ſiue effectus, ſiue ſignum, vel alia quapiam ratione ex illo aliud inferri poſſit. quod vnico exemplo doceo. etenim ſi dicam; Dies eſt, ideo ſolem eſſe ortum neceſſe eſt; proculdubio ex particula *ideo* concludere non licebit, Di-

Chriſtum in ſcriptura nõ dici Filium Dei ſecundum carnẽ.

Particula, ideo, *non ſemper cauſam ſignificat.*

bit, Diem eſſe cauſam ortus ſolis, cùm potiùs ſit eius effectus & ſignum. Pari ratione hoc in loco, ex eadem particula minimè licebit colligere, conceptionem ex Spiritu S. eſſe veram cauſam, propter quam Chriſtus ſit vocandus filius Dei, cùm dicta particula ex ſe non magis indicet veram cauſam, quàm ſignum, vel effectum, vel aliam cauſam illationis.

Nam quod Smalcius ait, magis cõmunem eius particulæ ſignificationem indicare veram cauſam; id inprimis falſum eſt: indicat enim quamcunque cauſam, ex qua aliud inferri quocunque modo poſſit, ſiue tanquam ex vera cauſa, ſiue tanquam ex cauſa illationis; quomodo etiam ſignum & effectus ſunt cauſa illationis, licèt non ſint vera cauſa rei. Deinde eſto, ſit illa ſignificatio communior, tamen non illico ſequitur hoc in loco in communiori illa ſignificatione accipiendum eſſe, ſed in medio ponendum, vt ex ſubiecta materia locique circumſtantiis iudicandum, veranè cauſa, an ſolùm cauſa illationis indicetur: quod cùm aduerſarij non faciant, non niſi temerè ex dicta particula, cauſam veram concludunt: ſiquidem etiamſi ſignum vel cauſa ſolummodo illationis indicaretur, verba Angeli optimè intelligi & exponi poſſent.

Nos igitur primùm oſtendemus, ex omnibus huius loci circumſtantiis, nullo modo indicari conceptionem ex Spiritu S. eſſe cauſam veram, propter quam Chriſtus vocandus ſit Filius Dei: tum quomodo ex illa tam mirabili conceptione, tanquam ex ſigno & indicio quodam, inferatur ab Angelo Chriſtum eſſe vocandum Filium Dei.

Etquidem quod ad primum attinet, ſingulæ ferè voces in verbis Angeli, indicant modum illum cõceptionis nullo modo pro cauſa afferri. Prima ratio ſumitur ex illa voce, *vocabitur Filius Dei.* Nam ſi ob modum conceptionis Chriſtus dicitur Filius Dei, neceſſe eſſet, vt vel Chriſtus ſeipſum ea de cauſa aliquando vocaret Filium Dei, vel ab aliis vocaretur. alioqui falſa eſſet Angeli prædictio, veriuſq; eſſet eum non vocandum ea ex cauſa Filium Dei, quàm vocandum. Porrò verba Angeli non ſolùm innuunt, ſemel & ab vno aliquo, vocandum eſſe illo modo Filium Dei, ſed paſſim & communiter ab omnibus, qui illum pro Filio Dei agnituri erant.

Conceptionem de Spiritu S. non afferri pro cauſa, ob quam Chriſtus ſit Dei Filius. Prima ratio.

Cùm igitur oſtendi non poſſit, vel Chriſtum eo ſenſu, ſe aliquando vocaſſe Filium Dei, vel vnquam ab aliis vocatum eſſe (ſem-

per enim ſpirituali, non carnali ratione dicebatur Filius Dei; vt ex toto Euangelio conſtat, vt Smalcius concedit) conſequens eſt, conceptionem non eſſe indicatam ab Angelo, tanquam veram cauſam, propter quam Chriſtus vocandus eſſet Filius Dei.

Smalcij friuola euaſio. Friuolum verò eſt quod ait Smalcius; quòd etſi non legatur eam ob cauſam appellatus Chriſtus Filius Dei; non tamen ſequitur, appellatum non eſſe, aut appellari non potuiſſe: fieri enim, inquit, poteſt, vt aliquid factum ſit, & tamen non deſcriptum: & quamuis à nemine factum ſit, tamen iure fieri potuit. At nemo non videt, quàm ſuſpecta haberi debeat ea expoſitio, cuius exemplum nullum afferri poteſt. Chriſtum enim innumeris planè in locis, legimus appellatum Filium Dei: At ne vno quidem in loco, ſecundùm carnem eum eſſe Filium Dei dictum legimus; cùm tamen Angelus, non vocari poſſe, ſed re ipſa vocandum eſſe, idque paſſim & publicè prædixerit. Quomodo igitur contra prædictionem Angeli, ne ſemel quidem legimus ab vllo, ea de cauſa vocatum Filiũ Dei.

Nam quod ait non eſſe id deſcriptum, id ipſum rem facit valde ſuſpectam: cùm enim deſcriptum ſit, toties appellatum eſſe Filium Dei, & nunquam ſecundùm carnem, valde veriſimile eſt, nunquam fuiſſe eo ſenſu appellatum. Porrò an non temerè aſſeritur à Smalcio, etiamſi non ſit id deſcriptum, appellatum nihilominus re ipſa fuiſſe. Vnde enim id Smalcio conſtare poteſt? niſi fortè exiſtimet Angelum in ſua prædictione Arianos Racouienſes reſpexiſſe, qui ſoli poſt ſedecim à Chriſto ſæcula, vocaturi illum erant eo ſenſu Filium Dei.

Secunda ratio. Altera ratio ſumitur ex voce (*Sanctum*) qua quidem Angelus indicat, longè aliam cauſam, propter quam Chriſtus vocandus ſit Filius Dei: quia nimirum id quod ex Virgine naſcetur, erit ita ſanctum, vt iure vocari debeat Filius Dei. Non igitur ſecundùm carnem, ſed propter ſanctitatem vocandum Filium Dei prædicit Angelus. quia igitur ſuperueniente Spiritu S. in Virginem, futurum erat vt ſanctum quiddam ex ea naſceretur; idcirco Angelus ait, *ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*, non tam ob modum concipiendi, quàm ob rem ſanctam conceptam. quæ verò & quanta ſit illa ſanctitas, ab Angelo quidem hîc non exponitur, intelligi tamen debet, illa ſumma & Diuina ſanctitas, quæ in verum Filium

lium Dei cadit: qualem eſſe ſanctitatem Diuinæ ipſius naturæ infra probaturi ſumus.

Scio Smalcium eo argumento in tantas anguſtias redactum in capite 21. vt negare potiùs ore blaſphemo maluerit omnem veram & propriam ſanctitatem Chriſto in eius infantia, quàm de ſua ſententia vel temeritate cedere.

Ait porrò blaſphemus iſte, Chriſtum in ſua natiuitate ſanctum dici ſolùm, ob modum exiſtendi miraculoſum: quæ enim inquit, ſingularia ſunt, ſancta in ſcripturis appellantur. veram autem & propriam ſanctitatem ait, in infantiam cadere non poſſe. Itaque tota Chriſti infantis ſanctitas, nihil aliud Smalcio eſt, quàm miraculoſa eius exiſtentia. *Smalcij blaſphemia de Chriſti infantis ſanctitate.*

Non ita ſacræ literæ de Chriſti infantis ſanctitate ſentiunt. puerum enim Ieſum, Iſaias cap: 9. 6. vocat, *Deum.* Eliſabeta *Dominum ſuum.* Luc: 1. Angeli *Chriſtum Dominum* Luc: 2. 11. & Angeli, *ſanctum ſanctorum vnctum,* ca: 9. 24. Magi eundem procidentes adorant, vt Regem cæleſtem Diuinitùs promiſſum, & à ſtella indicatum. ergo infantis huius ſanctitas, Dei ſanctitas eſt, & Chriſti ſeu vncti, & eius qui Diuina ratione ſit Rex & Dominus, non verò miraculoſa eius exiſtentia. Quod ſi hæc aduerſarij more ſuo de prædeſtinatione exponere volent, temerarij quoque more ſuo habendi erunt, cùm lex in exponendis ſcripturis ab ipſiſmet approbata & recepta ſit, ne à propria vocũ acceptione temerè recedatur, niſi id materia ſubiecta, & loci circumſtantiæ expoſcant.

Tertia ratio ſumitur ex particula (*Et*) cur enim Angelus poſt particulam (*ideo*) addidit (*&*)? ad coniungendam enim orationem ſufficiebat dixiſſe, ideoque quod naſcetur. Ne igitur otioſè addita credatur comparationem indicat, vt ſenſus ſit, non ſolùm illud verbum, quod ex Deo ab æterno natum eſt, eſt Filius Dei, ſed *& quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*: quia nimirũ ille Filius Dei æternus, ex te naſcetur & carnem aſſumet. Hoc verò eſt vnum ex illis, quæ Spiritus S. ſuperueniens in Virginẽ effecturus prædicitur, nempe, vt & ſine viro concipiat, & eum cõcipiat hominem, qui ab æterno eſt verè Filius Dei ſecundùm Diuinitatem, quod non alia ratione præſtari potuit, niſi Spiritu S. humanam naturam perſonæ Filij Dei vniente. *Tertia ratio.*

Smalci-

Smalcius cõcedit particulas in ſcriptura otioſas.

Smalcius cùm quod reſponderet ad argumentum non haberet, deſperantis inſtar concedit particulam (*&*) eſſe otioſam. idque ſui Socini auctoritate confirmat. demonſtratum enim eſſe ait à Socino, vocem illam (*&*) in hoc loco, tantùm non otioſam eſſe. Verùm Socini authoritas erit Smalcio in condemnationem, qui propter impij & blaſphemi hominis authoritatem, Spiritum S. aliquid otioſè locutum eſſe affirmare non dubitauit; quaſi Spiritus S. ſit ex eorum numero, qui vel neſciat accommodatè loqui, vel ei aliquid per inconſiderationem excidat, vel otioſis verbis delectetur. Apage talem amentiam. iota vnum aut vnum apicem non præteriturum à lege, donec omnia fiant, docuit Chriſtus. vt ne iota quidem vnum aut vnum apicem in ſcripturis crederemus eſſe abſque myſterio & otioſè poſitum.

Non poſſum autem fraudem Smalcij non detegere, qui vt hunc errorem ſuum de verbo otioſo Spiritui S. obiecto contegeret, ſimilia exempla 1. Ioan: 1. 3. & Ioan: 6. 51. indicauit: quibus in locis cùm nihil eiuſmodi contineatur, qua nota talis impoſtor dignus ſit, omnes iudicent.

Blaſphemia Smalcij aduerſus vnionem duarum naturarũ in Chriſto.

Non veretur porrò impius Smalcius per ſũmam blaſphemiam, Filij Dei cum natura humana vnionem, ſomnium anile appellare: illud D. Petri non pertimeſcens 2. Petr: 2. *Hi velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his, quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt.* Obtrudit verò ineptiſſimas ratiunculas, quibus hoc Diuiniſſimum myſterium expugnari putat.

Si Filius Dei inquit, carni vnitus eſt, fuit ante carnem. cum enim eſſe neceſſe eſt, qui cum carne nondum exiſtente, vnitur. ſi fuit, quomodo naſci potuit: aut ſi natus eſt Dei Filius tunc ex Virgine; quomodo non erunt duo Filij Dei? aut ſi vna perſona erit Dei & hominis, quomodo Chriſtus erit verus homo abſque perſona humana? certum enim ait eſſe, Chriſtum in ſcriptura verum hominem appellari ratione perſonæ. Hæc ille ignorantiſſimè. Etenim quod ad primam quæſtionem attinet, quomodo Filius Dei, cùm ante fuerit, naſci ſecundùm carnem potuit, Reſponſio facilis eſt: quia nimirum ante carnem caro non fuit, ideo ſecundùm carnẽ naſci potuit. Fuit autem ſecundùm Diuinitatem, idcirco ſecundùm Diuinitatem naſci ex Virgine non potuit: ita vt ſecundùm id, quod ante fuit, non

Quæſtio 1.

dicatur

dicatur ex Virgine natus, ſed ſecundùm id, quod ante non fuit. quid hac reſponſione conuenientius?

Altera quæſtio ſimiliter ſoluitur. cùm enim quæritur, quomodo ſi Filius Dei ex Virgine natus dicatur, non erunt duo Filij? Reſpōdemus, non futuros duos filios, propter vnam Filij Dei & Filij hominis perſonam, hoc eſt propter duarum naturarum in vna perſona Filij Dei vnionem. idem enim Dei Filius, qui ſecundùm Diuinitatē ab æterno ex Deo natus eſt, ſecundùm carnem aſſumptam, & ſibi vnitam in tempore ex Virgine naſci voluit; id quod ab Angelo inſinuatum paulò ante deduximus. Non igitur duo Filij ſunt, quorum alter ex Deo, alter ex Virgine ſit natus, vt Neſtorius aſſerebat; ſed is qui ex Deo natus eſt, Deus; humanæ quoque naturæ reſpectu, ex Virgine natus eſt homo. 2.

Ad tertiam quæſtionem, quomodo Chriſtus ſit verus homo, ſi perſonam non humanam, ſed Diuinam habeat? reſpondetur, verum eſſe hominem propter veram naturam humanam; à natura enim humana verum hominem dici iure poſſe, quis non videt? eandem verò naturam humanam eſſe, ſiue in ſeipſa & in ſua perſona ſubſiſtat, ſiue ſubſiſtat in perſona Filij Dei, nemo inficiari poteſt, cùm modi ſubſiſtendi diuerſi, naturam non mutent, ſed eadem natura manente mutari poſſint. Et ſicut, ſi accidens, quod natura ſua inexiſtit, Deus virtute ſua, extra ſubiectum, in ſeipſo conſeruet modum exiſtendi mutabit, natura verò erit eadem vtrouis modo exiſtat: ita & natura humana, quæ naturaliter in ſeipſa ſubſiſtit, cùm Dei virtute vnitur perſonæ Filij Dei vt in ea ſubſiſtat, modum duntaxat exiſtendi habet alium, eſſentiam verò eandem retinet, eiuſque reſpectu dicitur Filius Dei, verus homo: quia nihil ad naturam humanam ſpectans ei deeſt. Modus enim ſubſiſtendi, naturam rei non conſtituit, quia modus eſt: eoque variato vel mutato, naturam variari vel mutari neceſſe non eſt. Cùm verò ait in ſacris literis Chriſtum dici hominem ratione perſonæ, ſi intelligat Chriſtum hominem eſſe perſonam, veriſſimum eſt. Chriſtus enim ita eſt homo, vt ſit perſona quædam. At ſi intelligat Chriſtum hominem, eſſe perſonam humanam, falſum. Homo enim ille nō minus perſona eſt, ſiue ſua propria perſona ſubſiſtat, ſiue perſona Filij Dei. Notant enim & rectè Theologi magnū inter perſonam humanam & perſonam hominis diſcrimen. Per- 3.

Chriſtū eſſe verū hominē ſine perſona humana.

Eſſe perſonam hominis & humanam non idem.

men. Perſona enim humana eſt propria & naturalis illius hominis perſona. Perſona verò hominis poteſt eſſe non humana, ſed Diuina. id quod exemplo ſatis accōmodato declarant: multa enim ſunt hominis, quæ non ſunt humana. Dona enim ſupernaturalia diuinitùs homini communicata, ſunt hominis, quia ab eo verè habentur: non ſunt tamen humana ſed Diuina; quia non ſunt propria naturæ humanæ, ſed ſupra naturam diuinitùs ei communicantur. Pari ergo ratione Diuina Filij Dei perſona, verè erit hominis illius perſona, quia per eam homo ille ſubſiſtit: non tamen erit perſona humana, cùm non ſit propria & naturalis hominis illius perſona. Sacræ verò literæ, vti cùm Chriſtum hominem dicunt, perſonam eum eſſe deſignant: ita cùm hominem illum Dei Filium appellant, perſonam hominis illius, non humanam ſed Diuinam adſtruunt. Hæc ad quæſtiones Smalcij reſponſa indicant, quàm inania & futilia ſint, quæ Ariani huic myſterio opponunt, eaque in mera ignorantia fundata eſſe, perſpicuum eſt.

Quarta Ratio.

Porrò ad tres illas rationes, quibus ex verbis Angeli probauimus, conceptionis modum non afferri pro cauſa, ob quam Chriſtus vocandus ſit Filius Dei, hanc quoque quartam adiungimus. Etenim Angelus prædicit Chriſtum vocandum Filium non Spiritus S. ſed Dei; nomine Dei, Deum Patrem proculdubio intelligens: At ſi modus cōceptionis eſſet cauſa vera huius appellationis, profectò Chriſtus Spiritus S. verè & propriè Filius dicendus eſſet. & Spiritus S. Pater Chriſti: ſiquidem non ex Deo Patre, ſed ex Spiritu S. dicitur conceptus.

Smalcius negat Spiritum ſanctū eſſe perſonā

Agnoſcit vim argumenti huius Smalcius, nec aliam viam euadendi reperit, quàm negando Spiritum S. eſſe perſonam. Ea enim inquit, Spiritui S. tribuuntur, quæ perſonæ competere nullo modo poſſunt. Nam Spiritus S. datur, & quidem multis ſimul. Perſona autem perſonis, præſertim multis & ſimul abſq; ſui corruptione, dari non poteſt. Item, Spiritus S. à Deo petitur: perſonam autem nemo petit ſibi dari, ſed rem. At quàm inſulſa tantæ rei probatio? quis enim tam bardus eſt, qui non ſciat, non ſolùm rem, vt equum, aurum, domum, ſed & perſonam dari & donari poſſe? ſic enim & ſubditi à Dominis, & captiui à victoribus, & filij à parentibus, dari & donari poſſunt: quin & ſeipſum quis dare pro altero poteſt, vt de

S. Pau-

S. Paulino Nolæ Epiſcopo literis proditum eſt. Non igitur Spiritus ſanctus ea præcipuè de cauſa negandus eſt eſſe perſona, quòd detur vel impetretur à Deo. Alioqui neque Filius erit perſona, quem nobis à Deo datum non ſemel in ſcripturis legimus: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Ioan: 3.

Quod ſi dicat Smalcius Spiritum S. dari, ita vt in nobis habitet, reſpondendum eſt, id non tollere rationem perſonæ. Nam etiam Chriſtum in nobis manere, & habitare eo modo, quo & Spiritum ſanctum, ſcriptura docet: *Si quis diligit me,* inquit Chriſtus, *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus,* Ioan: 14. & *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Ephe: 3. 17. & ſicut Spiritus S. per charitatem diffuſam in cordibus noſtris habitat in nobis. Rom: 5. 5. ita & Chriſtus, quem tamen eſſe perſonam nemo dubitat. Ad hæc ne Deus quidem ipſe ea ex cauſa eſſet perſona: quia ſeipſum dat nobis, & per gratiam ſuam habitat in nobis. Quocirca ex eo quòd Spiritus ſanctus datur nobis, vt in nobis per ſua dona inhabitet; minimè concludi poteſt non eſſe perſonam. Iam cùm ait Smalcius, perſonam dari multis ſimul abſque eius corruptione non poſſe; an non craſſam ſuam ignorantiam prodit; Res enim corporeæ cùm eſſe ſimul in pluribus locis totæ non poſſint, non poſſunt etiam ſimul totæ pluribus dari. At ſubſtantia ſpiritualis ſicuti eſſe ſimul tota in pluribus poteſt: ita & dari pluribus ſimul poteſt. exemplum eſt in anima rationali, quæ cùm ſit ſpiritualis natura & intelligens, tota ſimul eſt in pluribus membris: nec eam diſrumpi & diſtrahi in partes aut corrumpi neceſſe eſt, vt craſſè imaginatur Smalcius. hoc enim corporum eſt, quæ ſi ad loca plura ſimul trahantur, diſtrahi & corrũpi ea neceſſe eſt; ſubſtantię verò ſpirituali id non eſt incõueniẽs.

Adhæc quæro à Smalcio, num ipſe eundem numero Spiritum ſanctum (quem eſſe donum quoddam inanime, ſtultè & impiè cenſet) exiſtimet omnibus dari, aut alium & alium? Si eundem dicat, proculdubio intelligit eandem rem ſpiritualem, poſſe ſimul pluribus dari: cur ergo & perſonam ſimili modo pluribus dari inficiatur, cùm & ipſa ſit ſubſtantia ſpiritualis. Si verò negat eundem eſſe Spiritum ſanctum in omnibus repugnabit Paulo, qui diuiſiones gratiarum multas eſſe docet, vnum verò Spiritum ſanctum omnium gratiarum diſtributorem, eumque dari cum donis aſſerit, ad Rom: 5. 5.

Spiritus S. eſt Deus, quia vbiq; eſt.

Et verò cùm Spiritus ſanctus non ſolùm ſit in pluribus ſimul, ſed in omnibus & vbique, quod ſolius Dei proprium eſt, debuit ex eo concludere Smalcius, Spiritum ſanctũ eſſe Deum verum: ac proinde veram perſonam. ille enim Spiritus S. nobis datur, qui eſt largitor donorum. *Charitas enim diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Rom: 5. 5. quibus verbis non ſolùm donum charitatis, ſed & largitorem doni Spiritum S. dari nobis teſtatur. Porrò ille idem Spiritus S. qui in nobis eſt largitor donorum, eſt etiam vbique operator omnium aliorum bonorum. *Spiritus enim Domini ferebatur ſuper aquas.* Gen: 1. & *Spiritu Dei omnis virtus cælorum firmata eſt,* Pſalmo 32. & Iob à Spiritu S. ſe factum teſtatur: c. 33. quia igitur Spiritus S. vbique omnia operatur, vbique eſt, & quia vbique eſt, Deus verus eſt. *Quo ibo,* inquit Dauid, *à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcẽdero in cælum tu illic es. &c.* En quomodo Spiritum Dei vbique eſſe fatetur Dauid, & à Deo inſeparabilem eſſe: neque enim aut Deus eſſe poteſt, ſine ſuo Spiritu, aut Spiritus Dei extra Deum. quam ob cauſam Paulus comparat ſpiritum Dei cũ ſpiritu hominis 1. Cor: 2. 21. *Quis* inquit, *hominum ſcit, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* Sicut igitur ſpiritus hominis eſt idem ſubſtantialiter cum homine, vt non poſſit eſſe homo ſine ſpiritu hominis: ita Spiritus Dei naturaliter exiſtens in Deo, eſt idem cum Deo. ex quo infero: ſi Spiritus Dei eſt idem cum Deo, Deus eſt. quod ſi Deus eſt, erit & perſona. Siquidem ita Deus eſt vt omnia ex voluntate & iudicio operetur, quod perſonæ proprium eſt. Ad hanc illationem ſi reſpondeat Smalcius, ſpiritum hominis eſſe in homine, non tamen eſſe hominem: pari ergo ratione, Spiritus Dei, etſi in Deo ſit, non tamen ſequitur quòd ſit Deus. Sed dicendum eſt eſſe magnũ diſcrimen. Nam ſpiritus hominis eſt quidem in homine, ſed vt pars in toto: pars autem non eſt ſuum totum; quare nec ſpiritus hominis eſt homo. At Spiritus in Deo, non vt pars (in Deo enim qui ſimpliciſſimus & indiuiſibilis eſt, nullæ ſunt partes) quocirca erit integrè & perfectè Deus.

Spiritus S. eſt conſubſtantialis Deo.

Spiritus S. non eſt Dei proprietas.

Si iterum inſtet, Spiritum Dei, vt eſt naturaliter in Deo, non eſſe perſonam, ſed proprietatem Dei, hoc eſt virtutem & efficaciam Dei: imo quia eſt in Deo, qui eſt perſona, ſequitur ipſum non eſſe perſonam: ſiquidem perſonam eſſe in perſona repugnat. ſic enim argumen-

argumentatur Socinus contra Vuiecum, fol: 492. Dicendũ eſt, proprietates Dei, non eſſe accidentia, vt in nobis, ſed ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes, & idem cum ſubſtantia Diuina quocirca illis non repugnat ratio perſonæ: ſicut nec idẽ repugnat ſubſtantiæ Diuinæ. Noſtris proprietatibus, cùm ſint accidentia, id repugnat. tum quia non ſunt res per ſe natura ſubſiſtentes, quod ad rationem perſonæ requiritur: tum quia ſunt quid diſtinctum à ſubſtantia ipſa rei per ſe ſubſiſtentis. Cùm verò dicitur repugnare perſonam eſſe in perſona, id abſq; diſtinctione non eſt verũ. Deus enim in nobis eſt, & Pater in Filio, Filius in Patre, vt ſacræ literæ teſtantur. Non igitur omni modo repugnat perſonam eſſe in perſona, ſed ſolùm quoad ſubſiſtentiam: ſi enim ita ſit in altera, vt alterius ſubſiſtentia ſubſiſtat, eo ipſo omnem perſonæ propriæ rationem amittit; non verò ſi propter communem vtrique naturam, vna dicatur eſſe in altera, vti in Appendice Monſtrorum Arianiſmi docuimus.

Quod ſi etiam dicat, non eum Spiritum, qui naturaliter eſt in Deo, dari nobis, ſed dona Spiritus ſancti, quæ dicuntur metonimycè Spiritus. quia ſunt effecta Spiritus: refelli id facilè poteſt. Non enim ſolùm dona dicuntur dari nobis, ſed ipſe donorum auctor & largitor Spiritus S. quod vel vnicus locus ad Rom: 5.5. indicat: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* ergo largitor ille donorum Spiritus S. qui proculdubio in Deo reſidens eſt, vt virtus illa increata Dei, datur nobis. *Spiritum S. qui eſt in Deo dari nobis.*

Deniq; dici non poteſt virtus Dei per Proſopopæiam perſona: id enim in ijs virtutibus locũ habet, quæ cùm ſint accidentia, non res ſubſiſtentes, inducuntur per modũ perſonarũ ſubſiſtentium. At virtus increata Dei, cùm non ſit accidens, ſed res per ſe ſubſiſtẽs, & idẽ quod Deus, non per Proſopopæiam, ſed verè inducitur vt perſona.

Offendit vero Smalcium, quod de Spiritu ſancto dicitur Ioan: 16. *non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur*: id enim de Diuina perſona ſine blaſphemia cogitari non poſſe ait, quod à ſemetipſa non loquatur. At non eſt, quod offendat Smalcium, ſi ſecum reputet, Spiritum ſanctum idcirco non loqui à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo, ſed à Patre & Filio. quemadmodum enim omnem ſcientiam vnà cum Diuina naturâ accipit a Patre ſine vlla imperfectione, quia cum omnimoda æqualitate: ita citra omnem imperfectionẽ *Quomodo Spiritus S. à ſeipſo non loquatur.*

ctionem dici poteſt nonloqui à ſemetipſo. Neque enim ita Spiritus ſanctus non loquitur à ſemetipſo, ſicut cùm hominem dicimus non loqui à ſemetipſo, quod vel ex ſeipſo ignoret, quod loquatur, & ab altero doceri indigeat, vel alterius iuſſu & imperio loquatur. Hæ enim imperfectiones longè abſunt à Spiritu S. & eas in perſona Diuina cogitare, blaſphemia eſt.

Diſtinctio Spiritus S. à Patre & Filio.

Neq; poſſunt eludi ſcripturæ, cùm aliquam actionem, quæ perſonæ conuenit, Spiritui ſancto tribuunt, vt idem ſit tribui illam actionem Spiritui Dei, quod Deo ipſi: quod enim virtuti Dei tribuitur, Deo ipſi tribui dicũt. Etenim non quocunque modo tales actiones tribuuntur Spiritui ſancto, ſed tanquam diſtincto à Patte & Filio. Deſcribitur enim Spiritus S. à Patre & Filio procedens, & ab vtroque miſſus, ab vtroque accipiens, quod ſine aliqua diſtinctione Spiritus S. à Patre & Filio fieri nequit. etſi enim cùm virtus eſt accidens vel proprietas, id quod virtuti tribuitur, illi cuius eſt virtus tribuitur: tamen cùm virtus eſt per ſe ſubſiſtens, & ſubſiſtens diſtinctè; per ſe tali virtuti actio tribuitur, propter diſtinctam eius ſubſiſtentiam. Talis autem virtus Dei eſt Spiritus S. quæ & per ſe ſubſiſtit & procedit à Deo, & mittit, & audit, & loquitur, & annunciat.

Ex quo patet, nullam habere rationem Arianos ad negandum Spiritum S. eſſe veram perſonam, cùm ei actiones perſonæ verè tribuantur. Dicere verò Spiritum S. eſſe perſonam fictam, & tanquam perſonæ fictæ ei tribui actiones perſonæ, eſt fingere & ſine vllo fundamento loqui. Neque enim fas eſt, in ſcripturæ ſacræ interpretatione à propria vocum ſignificatione temerè recedere, niſi aliquid ſit, quod cogat impropriè accipi debere: quale nihil aduerſarij adferre poſſunt. At de Spiritu ſancto aliâs plura. Nunc ſatis ſit oſtendiſſe contra Smalciũ, cùm Spiritus S. negari nulla ratione poſſit, eſſe perſona, conſequens eſſe, ſi propter conceptionem de Spiritu ſancto, Chriſtus dicatur filius Dei, verè Spiritus ſancti Filium dicendũ eſſe: quod cùm omnibus ſcripturis aduerſetur, falſum quoq; eſſe neceſſe eſt, Chriſtum propter conceptionẽ de Spiritu ſancto Filium Dei dici.

Particula, ideoque, ſignificat ſignum.

Iam verò explicandum eſt id, quod ſecundo loco propoſitum erat, quid tandem illa particula *ideoq;* ſignificet, poſteaquam, cauſam veram Filiationis Chriſti, non ſignificare demonſtratum eſt. Ad quod reſpõdeo, primùm indicare ſignum ſolum, propter quod is qui

tam ad-

tam admirabili ratione concipiendus erat, non aliquis vulgaris homo futurus eſſet, ſed Diuinus & ipſe Dei Filius: ita vt modus ille concipiendi ſit ſignum tantùm, non cauſa quòd Filius Dei eſſet futurus. Fruſtra verò vrget Socini argumentum Smalcius, quòd Virgo ex Spiritu ſancto potuit parere purum hominem, aut certè non magis Dei Filium, quàm vel Patrem, vel Spiritum ſanctum. ad hoc enim ſolidè ſatis reſponſum eſt in Monſtris; non ex natura rei, ſed ex Dei voluntate, quam nunciabat Angelus, ita fieri debuiſſe, idque cum probabili congruentia: valde enim conueniens erat: vt ſi Virgo pareret, non pareret niſi Deum: Etſi enim aliter id fieri ſimpliciter potuit: re ipſa tamen Virgineum partum ea ratione Deus ornare voluit. Hanc reſponſionem non habuit Smalcius, quo refelleret, niſi quòd de tali voluntate non conſtare ait: nos verò conſtare ex verbis Angeli hoc toto capite docuimus.

Verùm, ſi aduerſariis ita placet, indicari hac particula cauſam, dare id poſſumus illis eo ſenſu, quòd à Spiritu ſancto ſuperueniente in Virginem duo futura eſſent: tum vt ſine labe pudoris conciperet: tum vt illud, quod pareret, non eſſet niſi ſanctum & Diuinum, ac ex conſequenti ipſe Filius Dei. *Et cauſam.*

Scripturæ non admittunt Chriſtum ſecundùm carnem dici Filium Dei. CAP: II.

NOn ſolùm non aſſerit ſcriptura, Chriſtum eſſe Dei Filium ſecundùm carnem, ſed etiam id nullo modo admittit. Etenim Rom: 1. de Filio Dei ita loquitur: *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus vel declaratus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*: vbi docere vult Paulus, ſecundùm quid Chriſtus Filius Dei ſit; nempe non ſecundùm carnem: ſic enim eſt ex ſemine Dauid & Filius hominis, non Dei; ſed ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ſecundùm quem deſtinatus vel declaratus eſt Filius Dei in virtute. Certè ipſa oppoſitio indicat, non ſecundùm vtramque rationem Chriſtum eſſe Filium Dei, ſed ſecundùm vnam tantùm. alioqui ſi vtraque ratione eſſet Dei Filius, dixiſſet Paulus tam ſecundùm carnem, quàm ſecundùm ſpiritum eſſe Filium Dei; neque aliud quid dixiſſet, eſſe ſecundùm carnem: aliud eſſe ſecundùm ſpiritum. *Chriſtus Dei Filius ſecundùm Spiritum, non ſecundùm carnẽ.*

Non intellexit vim huius argumenti Smalcius, & idcirco ait, vtraque ratione tam ſecundùm carnem, quàm ſecundum ſpiritum eſſe Filium Dei: licèt illud prius, hîc non explicetur. At nos vrgemus primò mētem Pauli, qui vult docere quid ſit Dei Filius, tam ſecundùm carnem, quàm ſecundùm ſpiritum. Explicans porrò, quid ſit ſecundum carnem, dicit eſſe factum ex ſemine Dauid: explicans verò quid ſit ſecundum ſpiritum, ait eſſe Filium Dei: Conſequens igitur eſt, vt non ſecundum carnem, ſed ſecundùm ſpiritum velit Chriſtum dici & eſſe Dei Filium: alioqui non ſufficienter explicuiſſet ſecundùm quid eſſet Filius Dei, ſi non ſolùm ſecundùm Spiritū, ſed etiam ſecundùm carnem eſſet Dei Filius. Vrgemus & oppoſitionē. Cùm enim opponat carnē ſpiritui, oppoſita quoq; illis aſſignat: & carni quidē quòd ſecundùm eam ſit factus ex ſemine Dauid: ſpiritui verò, quòd ſecundùm ſpiritū ſit declaratus Filius Dei: Non igitur ſecundùm carnē, vult eſſe Filium, alioqui non eſſet oppoſitio.

Quomodo Chriſtus ſine Patre, ſine matre.

Deinde ſcriptura talem Filium Dei vult eſſe, qui ſit *ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia, nec initium dierum, nec finem vitæ habens*: vt ex typo Melchiſedeci vrget Paulus Hebr: 7. Cùm enim Melchiſedechus in ſcriptura inducatur, nulla mentione Patris, Matris, genealogiæ facta, ac ſi non de terra ortus, ſed de cælo lapſus eſſet, & nec initium dierum nec finem haberet: cùm id de illo non cōmemoretur, in hoc ait aſſimilatum eſſe Filio Dei, oſtendēs iſta multò verius Filio Dei quadrare, quod non niſi vno ex duobus modis poſſumus intelligere, vel quòd Filius Dei eiuſmodi naturam habeat, ſecundùm quam nullo modo ex parentibus terrenis & carnalibus proceſſerit, ſine vllo initio dierū & fine vitæ, hoc eſt ab æterno & in æternum; Qualis natura eſt Diuina: Vel quod vtraque Chriſti natura indicetur, Diuina & humana: ſecundùm humanam eſt ſine Patre in terris: ſecundùm Diuinam eſt ſine matre in cælis: vt communiter SS. Patres interpretantur. Vtrauis expoſitio admittatur Smalcij cōmentum de Patre ſecundùm carnē euertit. Fateri enim neceſſe eſt, Filij Dei naturam Diuinam, ſecundùm quam eſt verè Filius Dei, nō ſecundùm carnem.

Vt autem admittat Smalcius alterutram expoſitionem, omninò neceſſarium eſt, cùm illa quam ex ſuo Socino affert, futiliſſima ſit: & verbis Pauli accōmodari nullo modo poſſit. Ait enim tam Melchi-

Melchiſedecho, quàm Filio Dei iſta conuenire ſacerdotij reſpectu. ſiquidem de ſacerdotio Paulus agit: quia nimirum ſacerdotium vtriuſque ab aliqua certa familia initium non ſumpſit, nec in alium ab ipſo deriuatum eſt.

Aio ego iſta non debere nec poſſe ad ſacerdotiũ applicari. Primò, quia Melchiſedech abſolutè ratione originis dicitur ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ſine initio dierum & fine vitæ, nulla ſacerdotij mentione facta; ideo enim dicitur ſine patre, & matre, nõ quòd patrem & matrem non habuerit, ſed quòd ea de illo non ſcribantur, vt omnes interpretes exponunt; inducitur enim nulla patris aut matris, aut generis mentione facta: id quod etiam indicatur voce Græca ἀγενεαλόγητος, ſiue genealogia, quæ non genus ſed deſcriptionem generis ſignificat, vti ex ℣. 6. manifeſtum eſt. Cùm igitur inducatur abſolutè ſine patre, matre, genealogia, id non reſtringi debet ad ſacerdotium, quaſi in ſacerdotio à parentibus non deſcenderet, ſed abſolutè accipiendum ſecundùm ortum, quod ita inducatur, acſi nullos parentes, à quibus originem duceret, haberet: abſolutè enim nulla origo eius deſcribitur: quæ enim abſolutè de origine affirmantur, non debent ad originem ſacerdotij reſtringi. *Non quo ad ſacerdotiũ.*

Secundò, illa verba *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, nullo modo ad ſacerdotium applicari poſſunt. idcirco enim dicitur Melchiſedech initium dierum non habere, non quòd verè non habeat, ſed quia inducitur quaſi nullum habens dierum ſuorum initium: dierum, inquam, non ſacerdotij, ſed exiſtentiæ & vitæ. quia non ſolùm de initio illius ſacerdotij, ſed abſolutè de initio dierum & vitæ ipſius nulla fit mentio. 2. *Chriſtus ſine initio dierum abſolutè.*

At, inquies, idcirco initij dierum non fit mentio, vt ſacerdotiũ eius ab aliqua familia non cæpiſſe intelligatur. Reſpondeo, aliud eſſe id quod dicitur, aliud id propter quod dicitur. Aio igitur id quod à Paulo de Melchiſedecho dicitur, quocunq; fine dicatur, eſſe, quod ſine origine vlla à parentibus, & ſine initio dierum abſolutè inducatur. Neque enim inducitur initium dierum non habens ab aliqua familia (hoc enim à Paulo non dicitur) ſed abſolutè, ac ſi nullum habens initium dierum. Quod verò abſolutè à Paulo dicitur, de nullo initio dierum, reſtringi non debet ad initium ab aliqua familia. Non enim idem eſt initium abſolutè, quod initium ab aliqua fa-

qua familia: nec idē eſt initium dierum, quod initium dierum ſacerdotij. Nam quod ad initium & originem ab aliqua familia attinet, id ſatis iam ante dixerat, cùm eum eſſe ſine patre, ſine matre, ſine genealogia aſſeruit: deinceps verò addit; neque initium dierū, neque finem vitæ habens. poteſt enim fieri, vt quis ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia ſit: & tamen initium dierum habeat: vti de noſtro primo parente Adamo affirmamus. Quocirca & à Paulo tanquam res noua, & ab eo, quod ante dixerat, diſtincta, recenſetur. quòd non ſolum inducatur Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ſed etiam ſine initio dierum & fine vitæ. neque hoc eſt exegeſis illius, vt falſò Smalcius opinatur. Ex quo patet, non poſſe hunc typum Melchiſedechi, ſacerdotio Chriſti applicari, ſed perſonæ ipſius æternæ: nam quod ad ſacerdotium attinet, Chriſtus initium ſui ſacerdotij & reuera habuit, & id in ſcriptura tacitum non eſt, ſed expreſſè commemoratum. Hebr: 5. 5. *Non enim ſeipſum clarificauit vt Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quemadmodum & in alio loco dicit: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Non igitur Chriſto applicari poteſt, quòd initium ſacerdotij non habuerit. Nam ſi dicat Smalcius, non habuiſſe initium ab aliqua familia: dicam ego id à Paulo non dici, ſed abſolutè Paulum de initio dierum, non de initio ſacerdotij locutum eſſe. Aliud porrò eſt initium abſolutè, aliud initium ab aliqua familia; ideoque iure querimur, affingi Paulo à Smalcio, quod Paulus non dicit.

At, inquit Smalcius, agere Paulum de ſacerdotio Melchiſedechi & Chriſti. Quid tum? an ex eo ſequitur ſolum de ſacerdotio loqui debere & non de aliis etiam, præter ſacerdotium, excellentiis, quæ ſacerdoti Melchiſedechiano conueniant. Reuera enim Paulus alias quoque dignitates Melchiſedechi à ſacerdotio diſtinctas commemorat, vt quod fuerit Rex iuſtitiæ, Rex pacis. item quod inducatur, non quaſi de terra oriundus aut de parentibus terrenis, ſed quaſi de cælo lapſus, quodq; non cæperit aliquando, ſed ab æterno & in æternum viuat: Hæc enim omnia in ſummam ſacerdotis Melchiſedechiani dignitatem redundant: etſi ea ſint quid ab eius ſacerdotio diſtinctum.

Neque verò id eſt facere, Spiritum S. eſſe ex eorum numero, qui cum

qui cùm de vna re ſermonem incipiunt, de alia re eundem finiunt, vt ineptè obijcit Smalcius, ſed eſt alias quoque res ad propoſitum finem modo conuenienti accommodare, quod ſapientes facere conſueuerunt.

Tertiò, idē ſuadet illa oppoſitio initij dierum & finis vitæ: quo enim ſenſu dicitur, Melchiſedechum finem vitæ non habere, eodem ſenſu accipiendum eſt, nec initium dierum habere. Atqui non ratione ſacerdotij duntaxat, ſed & ipſius vitæ, dicitur finem non habere: ſiquidem eius obitus & mors non commemoratur & inducitur, acſi immortalis eſſet & in æternū viuens. Nam & ex æternitate vitæ, infert poſtea Paulus æternitatem ſacerdotij. Quare & initium dierum non habere dicitur, non ratione ſacerdotij, ſed vitæ ipſius: quaſi viuendi initium omnino non habeat, & quaſi ſemper & ab æterno exiſtens inducatur. Sicut enim non habere vitæ finem ſignificat æternitatem conſequentem; ita non habere dierum initium, deſignat æternitatem antecedentem. Neque refert quòd Paulus non dixerit, initium vitæ ſed dierum. Idem enim eſt initium dierum & vitæ; idem finis vitæ & dierum, & æquè vtrumque dicere potuit. Dies enim pro vitæ tempore ſumitur more conſueto ſcripturæ. Ioan: 8. 56. *Abraham exultauit, vt videret diem meum.* Hebr: 5. 7. *in diebus carnis ſuæ.* Pſal: 38. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerū dierū meorū.* 3.

Ridendum verò ſe propinat Smalcius, cùm æternitatem dies habere negat. Nonne Petrus *diem æternitatis* agnoſcit. 2. Petr: 3. 18. Nonne Iob dies & annos Dei confeſſus eſt? Iob 10. 5. *Numquid dies hominis dies tui, & anni tui ſicut humana ſunt tempora?* & ca: 36. 26. *numerus annorum eius inæſtimabilis.* Etſi enim æternitas dies & annos, quales ſunt in tempore noſtro, non habeat: habet tamen dies & annos conuenientes, hoc eſt non fluentes nec pereuntes, vt noſtri ſunt, ſed fixos & permanentes.

Dies & annos ſuo modo habet æternitas.

Ex quibus omnibus colligo, Melchiſedechum non dici ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia, ſolùm ratione ſacerdotij, ſed ratione originis abſolutè; neque initium dierum & finem vitæ non habere, ratione duntaxat ſacerdotij, ſed abſolutè propter nullum dierum initium. Quocirca cùm in his dicatur aſſimilatus Filio Dei, cōſequens eſt Filium Dei habere naturam eiuſmodi, ſecundum quam nullo modo à parentibus terrenis proceſſerit, ſed fuerit ſemper & ab æter-

Concluditur, Chriſtū ſecundùm naturā Diuinam eſſe Filium Dei

ab æterno Filius Dei; ac ex conſequenti non ſecundum carnem, ſed ſecundum Diuinam nauram eſſe Filium Dei. Cum quo ſimul verum erit, quòd ſecundum naturam Diuinam ſit ex patre ſine matre: ſecundum humanam autem, ex matre ſine patre. Quod vti SS. Patres ex hoc ipſo loco firmis rationibus deducũt: ita impudenter à Smalcio ridentur, & ridendi iudicantur: neq; enim nouum eſt à ſtultis ſapientes rideri, & ab improbis bonos.

Chriſtus nõ eſt Deus ſecundùm carnem: quare nec Filius Dei.

Poſſumus & alia ratione demonſtrare, quàm ſit ſcripturis aduerſum, Chriſtum ſecundum carnem dicere Filium Dei. Etenim ſicut ſcripturis repugnat Chriſtum ſecundum carnem dicere Deum, cùm Deus & caro ſint oppoſita: ita repugnat ſecundum carnem dici Dei Filium. qua enim ratione quis, Dei Filius dicitur, Deus quoque dici poteſt: ita vt in ſcriptura iſta duo ſimul coniungantur, *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Pſal: 81. 6. & Chriſtus Ioan: 10. cùm illi exprobrarent Iudæi quòd ſe faceret Deum, pro eo quod dicere debuit, Deus ſum, ſubſtituit illa verba; *Filius Dei ſum.* vt in lib: 2. de erroribus Arianorum à nobis demonſtratum eſt.

Smalcius vt hoc argumentum ſolueret, eò impietatis prolapſus eſt, vt aſſeruerit Chriſtum in ſua natiuitate & infantia Deum non fuiſſe: quem tamen Deum ac Dominum, ac Chriſtum, & Angeli, & Eliſabeta, & Magi agnouerunt. vti ex ſcripturis in præcedenti capite adductis manifeſtum eſt.

Deus carnales filios nõ habet.

Et verò res ipſa loquitur, Deum, carnales filios non habere, ſed ſpirituales duntaxat; cùm non caro ſit, ſed ſpiritus. Vera enim natiuitas, veros filios facit. Ea verò eſt duplex, altera ex carne ſeu ex ſemine carnali, altera ex ſpiritu, ſeu ex ſemine ſpirituali. vti 1. Pet: 1. 21. dicitur illis verbis: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui.* Quare & filij ſunt duplices: ij enim qui ex carne ſeu ſemine carnali naſcuntur, ſunt filij carnales: qui verò ex ſpiritu & ſemine ſpirituali, ſpirituales, dicente Chriſto Ioan: 3. *quod ex carne natum eſt, caro eſt; quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Porrò cùm Deus ſpiritus ſit, ij qui ex Deo naſcuntur, non ex carnali ſemine, ſed ex ſpirituali naſcuntur; ac proinde non ſunt carnales, ſed filij ſpirituales. Reſpondet Smalcius, Chriſtum, cùm ait: *Quod ex carne natum eſt, caro eſt; quod ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, loqui ſolùm de eo, quod fit naturaliter. Chriſti verò conceptio & natiuitas erat ſupra naturam, & idcirco

idcirco in ea Chriſti verba locum non habent. Chriſtus enim ſecundùm carnem ex ſpiritu eſt, non tamen eſt ſpiritus, ſed caro. At Smalcius & ineptè reſpondet, & verba Chriſti non intelligit. Ineptus eſt, quia generationem, quæ fit ex ſpiritu, reputat naturalem, quaſi ſpiritus Diuinus, qui nobis in generatione ſpirituali datur, ſit nobis naturalis, & non donum ſupernaturale gratiæ Diuinæ. Alioqui ſi non eſt naturalis, quomodo verum eſt quod ait Smalcius, Chriſtum, cùm de generatione ſpirituali loquitur, loqui de eo, quod fit naturaliter. Non intelligit etiam Chriſti verba: nam ex carne naſci, eſt ex ſemine carnali naſci: ſicut ex ſpiritu naſci, eſt ex ſemine ſpirituali naſci: vti ex D. Petro paulò ante docuimus, duplicis ſeminis corruptibilis & incorruptibilis mentionem faciente. quod igitur ex ſpiritu verè & propriè naſcitur, ex ſemine ſpirituali naſci neceſſe eſt: quod autem ex ſemine ſpirituali naſcitur, ſpiritus eſt, non caro. Cùm igitur Chriſtus ſecundùm carnem non ex aliquo ſpirituali ſemine natus ſit, ſed ex carnis materia: ideo non eſt propriè ex ſpiritu natus, tanquam ex ſemine. & ex conſequenti ſecundùm carnem non eſt filius Dei, quantumuis à Spiritu ſancto effectum ſit, vt ex carnis materia naſceretur. Ad hoc enim, vt quis ex ſpiritu propriè naſci dicatur, non ſatis eſt Spiritum S. ſuæ natiuitatis auctorem habere, ſed etiam opus eſt, vt ex ſpirituali ſemine naſcatur, vt inter natiuitatem ſpiritualem & carnalem ſit proportio. alioqui, ſi ad hoc, vt quis propriè ex Deo naſcatur, ſatis ſit ſemen carnale, ex quo is naſcatur, à Deo produci vel creari conſequetur, omnia quæ in mundi initio nata ſunt ex terra & aqua, productis à Deo ſeminibus, ex Deo propriè nata eſſe, eo prorſus modo, quo Ariani Chriſtum ſecundùm carnem dicunt, eſſe ex Deo natum ratione ſeminis immiſſi vel creati in vtero Virginis. quod ſi id non eſt ex Deo propriè naſci, neque Chriſtus ſecundùm carnem dici propriè poterit ex Deo natus, ac proinde nec erit ſecundùm carnem Dei Filius.

Quid ſit naſci ex ſpiritu.

Commenta Arianorum, de Filio Dei ſecundùm carnem, refelluntur. CAP: III.

PRobat in primis cum ſuo Socino Smalcius: Filium Dei ſecundū carnem verè & propriè Filium Dei fuiſſe. quòd Deus in eius natiuitate

tiuitate viri vices ſuppleuerit. quæ ratio, ſi æquiuocatio detegatur, aut falſa eſt, aut ad concludendum inepta. Etenim id quod à viro præſtari in generatione neceſſe eſt, non eſt quæcunque generationis materia, ſed ex ſubſtantia eius deſumpta. Etenim ſi alienam materiam generationi ſuggeret, nequaquam ratione talis materiæ Filius dici poſſet, nec ex eo tanquam ex Patre natus: quia non ex eius propria materia, & ſubſtantia, nec ille verus talis filij Pater cenſeri poſſet: quomodo enim filius dici poteſt, qui non eſt de carne vel ſanguine Patris genitus? & quomodo, qui carne & ſanguine Patri coniunctus non eſt, eius filius ſecundùm carnem & ſanguinem dici poteſt? Certè ſi mater non ex propria ſuæ carnis vel ſanguinis materia, ſed aliunde adſcita generaret filium, vera mater non eſſet, quia nihil ſuũ filio communicaret. Pari ergo ratione nec verus Pater dici poterit, qui non ex propria ſuæ carnis materia, ſed ex aliena eſt generationis auctor. Debet igitur Filius non ſolùm à Patre, ſed ex Patre generari; à Patre efficiẽter: ex Patre quodammodo materialiter, hoc eſt, vel ex Patris ipſa ſubſtantia, vel ex eo, quod eſt ex eius ſubſtantia deriuatũ.

Ad veri Filii rationẽ requiritur, vt ſit ex ſubſtantia Patris.

Cùm igitur in Chriſti ſecundùm carnem natiuitate, non ſit id præſtitum, quod à vero Patre præſtari neceſſe eſt, nempe non eſt ſubminiſtrata propria paternæ ſubſtantiæ materia; (talem enim materiam nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe, aduerſarij ipſi concedunt. Eam enim vel de nouo creatam, vel aliunde formatam fuiſſe aiunt) conſequens eſt ratione talis materiæ à Deo productæ, nec Chriſtum fuiſſe propriè Dei Filium ſecundùm carnem, nec Deum propriè Chriſti Patrem. Ex quo etiam patet, Deum, in Chriſti ſecundùm carnem natiuitate, propriè vices viri non ſuppleuiſſe, cùm proprias viri partes non ſuppleuerit: neque enim proprias viri partes aſſumit is, qui, quod à viro præſtari ad generationem neceſſe eſt, non præſtat: hoc autẽ nil aliud eſt, niſi materiam de ſua ſubſtãtia ſuggerere, ex qua proles generetur. Quod quia Deus non pręſtitit, non ſuppleſſe partes viri, ſed deſeruiſſe potius eſt dicẽdus. Nam licet generationis humanæ fuerit auctor; quia tamen non de paterna, ſed de aliena ſubſtantia, idcirco non fuit talis generationis auctor, quæ Filium conſtituat; neque enim Pater quacunque ratione generationis eſt author, ſed ſolùm propter materiam de ſua ſubſtantia generationi ſuppeditatam.

Chriſtus ſecundùm car

Reſpondet Smalcius, Filium eſſe de ſubſtantia Patris & ſanguine, non

non niſi ad propriiſſimam generationem pertinere : qualis hæc Chriſti generatio proculdubio non eſt. Sed eo ipſo cauſa cadit Smalcius. Cùm enim Filius à generatione dicatur Filius, ſi ea Chriſti generatio ex Deo non eſt propriiſſima generatio, quæ Filio debetur; neq; Filius per talem generationem à Deo genitus, erit propriiſſimè Filius Dei. erit igitur impropriè, & ſecundùm quid Dei Filius ſecundùm carnẽ. Sicut enim Adam, quia de limo à Deo formatus eſt, dicitur quidem Filius Dei, Lucæ 3. 38. at impropriè, quippe qui per modum Filij non fuerit genitus: ita & Chriſtus ſecundùm carnem non dicetur propriè Filius Dei: ſiquidem non per modum Filij de ſubſtantia Dei genitus eſt. Adhæc peto à Smalcio, an ſaltẽ propriam, ſi non propriiſſimam Chriſti generationem ex Deo eſſe velit, an non? Si enim propria non ſit, Chriſtus quoque eius reſpectu, Filius Dei propriè non erit. Si verò cenſeat eſſe propriam, oſtendat quis vnquam generationem Filij, quæ non ſit de ſanguine & ſubſtantia Patris, propriam Filij generationem dixerit?

nem non poteſt dici Filius Dei, niſi impropriè.

Nam friuolum eſt, quod ait, Philoſopho talem generationem ignoraſſe, cùm ſit miraculoſa. Certum enim eſt, propriam eſſentiam generationis, qua filius generatur, non ignoraſſe. Cùm ergo ad eam pertinere voluerint, vt ſit de ſanguine vel ſubſtantia generantis, conſequens eſt eam non eſſe propriè generationem, quæ generationis eſſentiam non habet: ſicut qui hominis eſſentia caret, dici nõ poteſt propriè homo. Quocirca cùm illa miraculoſa hominis ex Spiritu ſancto generatio, eſſentia propria generationis careat: eo quòd non ſit de ſubſtantia generantis; non erit etiam dicenda propria generatio. Fingere verò aliam generationis eſſentiam, ea reiecta, quam omnes agnoſcunt & probant, eſt Chimæras & Hircoceruos in mundum inducere. Quamuis autem generationem miraculoſam Philoſophi non agnouerint, agnouerunt tamen vniuerſi, illam generationem, quæ eſſentia generationis careat, propriam generationem non eſſe. Ex quo numero eſt iſta miraculoſa generatio, quæ non eſt de ſubſtantia generantis. Porrò cùm hoc loco de generatione loquimur, non quamcunque intelligimus, ſed eam ſolùm, quæ Filij generatio eſt, ſeu per quam quis generatur Filius.

Friuola Smalcii inſtantia.

Præterea diſertè Smalcius negat, Deum ſupplendo vices Patris, verè Patrem Chriſti fuiſſe. Si enim, inquit, de ſua ſubſtantia ad generandum

Deus, Chriſti ſecũdùm

carnem, verè Pater nō fuit.

randum, aliquam materiam contuliſſet, non ſuppleuiſſet vices Patris, ſed ipſe Pater fuiſſet. Hoc igitur cùm aſſerat Smalcius, an non ſeipſum euertit? Si enim Deus in Chriſti generatione verè Pater non fuit, ſequitur neque Chriſtum verè Filium eius fuiſſe. Sunt enim Pater & Filius correlatiua, nec quiſquam Pater dicitur, niſi reſpectu Filij, nec Filius, niſi reſpectu Patris.

Aliud eſt, generare verum hominem, aliud verum filium.

Neque verò ſatis eſt quod ait Smalcius, Deum in Chriſti generatione id adieciſſe, quod ex parte viri in generatione adici ſolet: nam ſi id adiiciatur, quod ſit de ſubſtantia generantis deſumptum, nō ſolùm generabitur verus homo, ſed etiam verus Filius: id enim hominem illum conſtituit Filium, quòd ſit de ſubſtantia generantis. Si verò adiiciatur aliqua alia materia, non de ſubſtantia generantis deſumpta, ea ſufficiet quidem ad conſtituendum hominem, non tamē ſatis erit ad conſtituendum Filium; cùm id illi homini deſit, quod hominem facit Filium. quippe cùm non ſit de ſubſtantia generantis.

Ex quibus ſequitur, Chriſti ſecūdum carnem generationem eſſe quidē propriè generationem reſpectu matris, cùm ſit de matris ſubſtantia genitus; reſpectu verò Dei nō eſſe generationem propriè, ſed productionem ſimplicem: cùm illi deſit id, quod ad generationem Filij ex Patre eſſentialiter requiritur, nempe eſſe de ſubſtantia Patris genitum. Tandem & hoc manifeſtum, Deum in hac Chriſti generatione ſuppleuiſſe vicem viri, ſolùm in eo quod ad hominis abſolutè generationem ſpectat: non verò in eo, quod ad generationem Filij pertinet.

Chriſtus ex ſolo Virginis ſanguine genitus.

Aſſerit ad hæc Smalcius, ad Chriſti generationem, Deum ſubſtantiam aliquam creaſſe, & in vterum Virginis immiſiſſe: ex qua, iuncto eo quod ex Virginis ſubſtantia ſumpſit, verus homo generatus ſit. Verùm id à Smalcio temerè, & ſine ratione aſſeritur, cùm id neque ex ſacris literis deduci poſſit, neque vlla ratio afferri, cur id fieri neceſſe ſit. Promittitur, inquit, obumbratio virtutis altiſſimi, in qua tacitè & pudicè iſta materiæ effectio & in Mariam illatio continetur: quaſi verò ſi materia non creata, ſed ex ſanguine Virginis formata à Deo fuiſſet, non eſſet verum Virginem virtute altiſſimi obumbrante cōcepiſſe: idque ſacris literis multò conuenientius eſt, ſi Chriſtus non ex alio quàm Dauidis ſemine dicatur Spiritus ſancti virtute progenitus. Nam hanc alterius cuiuſpiam ſeminis admiſtionem, ſacræ lite-

cræ literæ non ſolùm non commemorant, ſed nec admittũt, niſi minus ſufficiẽter docuerint, ex quonam ſemine Chriſtus ſecundùm carnem progenitus ſit. Quare cùm Paulus ad Rom: 1. ait: *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* indicat Chriſtum etiam, vt Deo ipſi factus eſt, ſecundùm carnem, non ex alio, quàm ex Dauidis ſemine fuiſſe.

At, inquit Smalcius, niſi aliquid creatum à Deo fuiſſet, quod vnà cum ſanguine Virginis ad generationem Chriſti concurreret, non fuiſſet Chriſtus ſecundùm carnem Dei Filius. Ineptè ſanè id pro ratione affertur, de quo eſt controuerſia. Hoc enim eſt quod præcipuè hîc vrgemus, Chriſtum ſecundùm carnem non eſſe Dei, ſed Virginis matris Filium. Deinde non quæuis materia immiſſa ſufficit ad conſtituendum Filium, ſed requiritur, vt ſit de ſubſtantia generantis accepta. Porrò hæc materia, quæ fingitur creata à Deo, non eſt de ſubſtantia Dei; non igitur ſufficiens eſt ad conſtituendũ Chriſtum Dei Filiũ: etſi enim ſufficiens ſit ad conſtituendum Chriſtum hominem, quia ex ea Chriſtus eſt homo factus; non tamen eſt ſufficiens ad conſtituendum hominem illum, Dei Filium. Homo enim fieri poteſt ex quacunque materia. At Filius dici nequit, niſi ſit ex ſanguine & ſubſtantia Patris aut Matris, cùm inter Filium debeat intercedere conſanguinitas & vnitas ſanguinis cum Patre. *Refellitur Smalcius.*

Ad hæc demus id nõ requiri ad rationẽ Filij, vt ſit de ſanguine Patris; certè nõ magis ad generationem Chriſti faciet materia de nouo creata, quàm accepta ex ipſa Virgine. Sicut enim Deus creare poteſt ex nihilo ſemen ad generationem requiſitum: ita poteſt ex ſanguine Virginis formare idem ſemen. Quemadmodum & hominem non minus ex limo formauit, quàm ſi illum ex nihilo creaſſet. Abſque dubio verò ex vtrouis ſemine ſequi poteſt perfecta generatio hominis. Nulla igitur eſt neceſſitas nouè creati ſeminis ad ſupplendas vices viri: ſed ſufficit ſanguis Virginis ad eam perfectionem Diuina virtute efformatus, abſurdeq; & ſine ratione à Smalcio dicitur, ſi ex creata noua materia Chriſtus generaretur, poſſe dici Dei Filium: ſi verò ex ſanguine Virginis formata, non poſſe: vtrouis enim modo Chriſtus æquè fuiſſet homo genitus: Quod ſi ratione materiæ ex nihilo creatæ dici poſſet Dei Filius, pariter dici poſſet & ratione materiæ ex ſanguine Virginis formatæ.

Porrò

Plus requiri ad Filii, quàm ad hominis rationem.

Porrò id quod toties iterat Smalcius, ſatis eſſe ad generationẽ, ſi materia talis, qualis ex parte viri ad generationem neceſſaria eſt, accedat; id inquam diluitur dicendo, ſatis id eſſe ad generationem hominis, non ad generationẽ Filij: ex illa ſiquidem materia ſufficienter generabitur homo, non verò ſufficienter generabitur filius: eſſe enim filiũ non eſt ſolùm eſſe hominẽ, ſed hominẽ ex ſanguine & ſubſtantia Patris genitum. Si igitur materia accedat, quæ non ſit ex ſubſtantia Patris deſumpta, generabitur quidem homo, ſed non generabitur filius; quia non erit de ſanguine paterno. Et verò ſi Angelus formet ſimilem materiam, qualis eſt ex parte viri neceſſaria, & eam coniungat cum altera materia, quæ ex parte feminæ requiritur, is proculdubio erit cauſa generationis hominis: quia præbuit materiam ſufficientem ad generationem hominis: neque tum idcirco Angelus erit verè Pater hominis illius, nec homo ille erit verè Angeli filius, ſolũ ex eo, quòd non ex Angeli ſanguine & ſubſtantia genitus eſſet. Nam etſi verè genitus eſſet, non tamen tali generatione, quæ ad Filium generandum requiritur, quæ eſt generatio ex ſubſtantia & ſanguine paterno, eſſetque illa generatio Filij ſolùm matris reſpectu, non verò reſpectu patris. Semper enim inter Filium & Patrem neceſſe eſt intercedere neceſſitudinem & conſanguinitatem quandam, quæ ſine communione ſanguinis & ſubſtantiæ paternæ intelligi non poteſt.

Chriſtum in ſcriptura dici Dei Filium non adoptiuum, ſed naturalem, aduerſus Arianos oſtenditur. CAP: IV.

Chriſtus ob ſimilitudinem cum Deo, non dicitur Dei Filius.

NON ſolùm ſecundùm carnem volunt Ariani Chriſtum dici Dei Filium, ſed etiam ob ſimilitudinem cum Deo ſanctitatis, ſapientiæ, poteſtatis, immortalitatis. Nos contra vrgemus, Chriſtum eo reſpectu nuſquam in ſcripturis dici Filium Dei. Scriptura enim docet, Chriſtum eſſe Filium Dei non adoptiuum, ſed naturalem; nõ per gratiam adoptionis, ſed per naturam. At ſi donorũ participatione conſtitueretur Dei Filius, eſſet per gratiam adoptionis Filius, ſicut & nos ſumus Filij Dei, non per naturam, ſed per gratiam adoptionis.

Adoptiuus Filius quis?

Et ſanè luce clarius eſt Filios adoptiuos eos dici, qui cùm naturâ non ſint Filij, ad Filiorum priuilegia & bona admittuntur, cùm & tanquam Filij amentur, & ipſi viciſſim amore filiorum ament ſuos Patres,

Patres, à quibus adoptantur. quæ quidem adoptio, vti à Deo fit, eſt coniuncta cum interna hominis renouatione, & regeneratione quadam ſpirituali, vti ſcriptura docet: quos enim Deus in Filios admittit, eos Spiritu ſuo donat, quo & à peccatis purgati exiſtant, & charitate per Spiritum S. diffuſa in cordibus eorum, dicere Deo poſſint *Abba Pater.* Rom: 8.15. Porrò hæc hominis quoad ſpiritum renouatio dicitur etiam in ſcriptura regeneratio, ſecundùm quam homo, quoad ſpiritum regeneratur, & fit noua creatura in Chriſto. Ex quo ſequitur, quòd ſicut nos per hanc ſpiritus participationem efficimur filij Dei adoptiui; ita & Chriſtus, ſi donorum, hoc eſt ſanctitatis, poteſtatis, ſapientiæ, immortalitatis, vt iſti volunt, participatione conſtituatur Dei Filius, erit Filius adoptiuus: ſicut enim ad donorũ participationem, ita & ad iura Filiorum Dei ex gratia admitteretur, quod eſt eſſe Filium adoptiuum.

Error Smalcii, fideles impropriè dici Filios Dei adoptiuos.

Smalcius hîc primùm aſſerit, fideles impropriè Filios Dei adoptiuos appellari. Adoptiuus enim filius propriè neque natus eſt ex adoptante, neque ſimilis ipſi naturâ dici poteſt. Fideles verò & in hoc ſeculo ex Deo nati dicũtur eſſe, & olim Deo & Chriſto ſimiles in natura futuri ſunt. At errat turpiter Smalcius, cùm nõ intelligit, quid ſit propriè adoptiuum eſſe. is enim propriè adoptiuus eſt, qui ex gratia & beneuolẽtia adoptantis eſt Filius, & admittitur ad iura & priuilegia filiorum. Cùm igitur fideles ex Diuina gratia & beneuolentia propria admittantur ad iura & priuilegia filiorum Dei, conſequens eſt illos eſſe propriè Dei Filios adoptiuos. Nec obſtat, quòd fideles dicantur ex Deo nati; ſiquidem adoptatio, vt à Deo fit, per renouationem & regenerationem hominis fit ſpiritualem: ita vt regeneratione non ſolùm non tollatur adoptatio, ſed etiam ponatur perfectiſſimè: eo enim fine regenerantur homines, vt in numerum Filiorum admittantur & adoptentur, idq; perfectiſſima ratione cum renouatione ſpirituali & regeneratione. Qui modus adoptandi eſt longè perfectior adoptatione humana, quæ ſine vlla immutatione & renouatione eorum, qui adoptantur, perficitur, per ſolam voluntatem adoptantis. Nec mirum, vt enim Theologi docent, voluntas humana cùm ſit imperfecta & inefficax, non facit eos bonos, quos amat: ſed vel ſupponit eos eſſe bonos, vel optat vt ſint boni. At Diuina voluntas eſt omnipotens & perfecta. Quare quos admittit in Filios,

Adoptatio Diuina cũ regeneratione coniuncta eſt perfectiſſima.

lios, verè facit Filios per ſpiritualē interioris hominis renouationē.

Ex quo patet, adoptationem fidelium in Filios Dei, non eſſe impropriè adoptationem propter cōiunctionem cum regeneratione ſpirituali. quia ex tali coniunctione nō ſolùm nihil detrahitur proprium adoptationi, ſed etiam adoptatio perfectiſſima in ſuo genere conſtituitur. Sicut enim genus non tollitur, ſed perficitur per ſpeciē; ita adoptatio, quæ in genere eſt admiſſio gratuita alicuius in Filium, tunc in perfecta ſpecie adoptationis conſtituitur, cùm illi accedit interna hominis renouatio & regeneratio ſpiritualis. vtrumque enim perfecta ratione ad conſtituendum Dei Filium pertinet. Verum quidem eſt, homines cùm ab hominibus adoptantur in Filios, nō regenerari, ſed extrinſeca tantùm voluntate aſſumi in Filios; ſed id ex eo prouenit, quòd talis adoptatio non ſit ita perfecta, vt Diuina: ita vt vtraque adoptatio ſit propria adoptatio; quia eſt propriè admiſſio ad ius Filiorum, quæ eſt adoptationis eſſentia & definitio: Diuina verò adoptatio excedit perfectione adoptationē humanam, eo quòd ſit cum renouatione & regeneratione ſpirituali coniuncta, quod præſtare non poteſt adoptatio humana.

Quæ regeneratio repugnat adoptationi.

At Smalcium impulit in eum errorem, quòd pro ſuo acumine non aduertit, natiuitatem non quamcunque repugnare adoptationi, ſed naturalem duntaxat: is enim qui ſecundùm naturam ex aliquo natus eſt, non adoptiuus, ſed naturalis eius filius eſt. At noſtra ſpiritualis ex Deo regeneratio, non naturalis eſt, id eſt ſecundùm naturam, ſed gratuita; non propria ſed metaphorica. Sicut & ſemen huius regenerationis, nempe verbum Dei, eſt ſemen non proprium ſed metaphoricum, 1. Pet: 1. 23. Metaphoricè autem naſci minimè repugnat ei, qui adoptatur. Qua enim ratione quis Filius dicitur, eadem quoq; natus dici poteſt: cùm fieri Filium, ſit quodammodo naſci.

Æquiuocationes Smalcij.

Æquiuocatione igitur ludit Smalcius, cùm natos filios negat eſſe adoptiuos: id enim ſi de iis, qui naturaliter nati ſunt, intelligat, eſt verum: nō verò de iis, qui ex gratia & metaphoricè dicuntur nati. Similiter cùm ait veros filios non eſſe adoptiuos, fideles autem eſſe veros Dei Filios, qui non ſolùm nominentur, ſed & re ipſa ſint Filij. 1. Ioan: 3. 1. Ludit iterum æquiuocatione. Si enim veros filios intelligat, qui naturaliter ſunt filij, ſic verum eſt veros filios non eſſe adoptiuos; neque fideles hoc ſenſu dici poſſunt veri filij: ſiquidē

ſimilitu-

ſimilitudine quadam tantummodo ſunt filij. Si autem veros filios intelligat, qui non ſunt filij ficti, ſed re ipſa; ſic adoptiui dicuntur & ſunt veri filij: quia non ficta adoptatione, ſed vera & reali ſunt filij; neq; nominantur ſolùm, ſed & re ipſa ſunt filij: quia re ipſa ad iura filiorum admittuntur. Porrò hoc ſenſu eſſe veros filios, non eſt abſolutè eſſe veros, ſed ea ſolùm ratione, qua & ea, quæ metaphoricè ſunt talia, dicuntur vera, quòd in re ipſa inueniantur.

Ex quibus manifeſtum eſt, ſcripturas, cùm fideles eſſe Filios Dei adoptiuos teſtantur, perperam ab Arianis exponi de impropria adoptatione: neque enim aliquid tale ſcripturæ innuunt, neque temerè à ſenſu proprio ad improprium detorqueri debent. Loca ſcripturæ ſunt illuſtria, Rom: 8. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* ℣. 23. *adoptionem filiorum expectantes.* Gal: 4. *vt adoptionem filiorum reciperemus.* Epheſ: 1. 5. *prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* En quomodo ſcriptura paſſim docet, nos eſſe filios Dei, non niſi per adoptionem: imò acceptionem illam Spiritus, quo regeneramur, vocat expreſſè adoptionem & Spiritum adoptionis Filiorum. Non igitur ſcriptura regenerationem adoptioni opponit, ſed cum ea coniungit, vt perfecta conſtitutio Filiorum Dei intelligatur. *Scriptura loca de propria adoptatione.*

Ineptè verò & abſurdè Smalcius erroris notat, quod à me ſcriptum eſt, Deum nos regenerare per baptiſmum aquæ, quo & nihil puerilius dici poſſe, leuiſſimè pronunciat: quaſi verò puerile id abſque blaſphemia vocari poſſit, quod expreſſè ſcriptura ipſa teſtatur, Ioan: 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Epheſ: 5. *per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus S.* Tit: 3. 5. *Baptizetur vnuſquiſq; in remiſſionem peccatorum.* Act: 2. *Baptizare & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius.* Act: 22. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Marci vlt. Quis ita cæcus eſt, vt non videat ſcripturam in his locis tribuere Baptiſmo regenerationem noſtram ſpiritualem, renouationem, remiſſionem & ablutionem peccatorum, denique ſalutem? Quæ omnia loca vberius in libro de Baptiſmo contra Moſcorouium expendẽda ſunt. At verebatur Smalcius, ne pueros quoq; per Baptiſmum regenerari aſſererem: quod iſte impius ad idololatriam inclinationem quandam aſſerere non erubeſcit: quaſi non longè propius idololatriæ & ſimilis ſit, pueros à regno cœlorum arcere, quorum eſſe regnum *Error Smalcij negantis regenerationem Baptiſmo aquæ.* *Error Smalcij de paruulis non baptizandis.*

 gnum

gnum cœlorum, Chriſtus ipſe aſſeuerauit. Conſequi enim regnum cœlorum non poterunt, niſi renati ex aqua & Spiritu S Ioan 3. neque enim ſecundùm ſcripturas vllus regnum cœlorum adipiſci poteſt, niſi ſpiritualiter renatus & factus Filius Dei. *Si enim filii & hæredes.* Rom: 8. neque hæreditas illa cœleſtis datur à Deo, niſi Filiis. Quare aut infantes à regno cœlorum excludendi ſunt, contra ſcripturas, aut concedendum ipſos renaſci & regenerari ex Spiritu S. poſſe. Et verò cùm Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, omnes voluit eſſe ſuæ redemptionis participes, ac ex conſequenti regenerationis, qui eſt primus & præcipuus redemptionis fructus. Quod ſi regenerationis capaces ſunt, ergo & baptiſmi, qui eſt *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.* Tit: 3.5. & ſanè ſi infantes Spiritus S. capaces ſunt, & repleri poſſunt Spiritu ſancto ex vtero matrum ſuarum, vt de Ioanne Baptiſta legimus Lucæ 1. quidni regenerari ex Sprritu S. poſſint, cũ ipſa acceptio Spirit⁹ S. ſit regeneratio ſpiritualis & ſanctificatio.

Quomodo annũciatio Euangelij ad paruulos ſpectet.

Nam quod ait Smalcius, Deum nos facere Filios per annunciationem Euangelij, cuius pueri non ſunt capaces. non aduertit aliter ad pueros, quàm ad adultos annunciationem Euangelij pertinere. Cùm enim puerorum ſit ea conditio, vt non ſua volũtate, ſed parentum gubernentur, per eamque quæuis iura & beneficia acquirant: Chriſtus quoque non adultorum ſolùm, ſed & puerorum Saluator, per parentes ſaluti ipſorum conſulere voluit: idque modo naturæ & ætati illi couuenienti. Quare adultis annunciari voluit Euangeliũ, non ſolùm pro ſeipſis, vt per ſeipſos credant, ſed & pro infantibus, vt eos Sacramento Fidei, hoc eſt Baptiſmo, Chriſto obligent. Hoc n. fert infantilis illa conditio, vti dictum eſt, & requirit, vt modo ætati illi conuenienti ad ſalutem dirigatur. Idque Eccleſia Catholica nõ ſolùm Apoſtolica traditione didicit & ſeruauit totis his mille & ſexcentis annis, ſed & ex ſcripturis deduxit; quæ docent infantes, nec à regno cœlorum excludendos eſſe, nec niſi renatos ex aqua & Spiritu S. illud conſequi poſſe. Regenerari autem cùm propria voluntate & fide non poſſint, aliena voluntate & fide neceſſario debent: ipſaque ſuſceptione Baptiſmi, qui eſt Fidei Sacramentũ, fidem quantum per ætatem poſſunt, profitentur. Neq; maiorem Fidei profeſſionem ab illis requiſiuit Deus, aut requirere potuit. Sed de hac re alibi ex profeſſo contra Moſcorouium fuſiùs.

Iam

Iam verò quàm non dicam falſum ſed impium eſt, quod addit Smalcius, Spiritum S. cùm hominibus infunditur, regenerationem ſpiritualem in illis non efficere: ſiquidem non niſi iam ante regeneratis per receptionem Euangelij eum dari pronunciat. Quis hæc nō videat ſacris literis manifeſtè repugnare? Chriſtus Ioan 3. non ſemel aſſerit, *oportere nos renaſci de Spiritu.* Smalcius negat vllum renaſci de Spiritu, ſed antequam Spiritum accipiat. An id non eſt impudenter Chriſti verbis & doctrinæ contradicere? Similiter Paulus ait ad Titum 3. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Vbi cùm regenerationem ac renouationem Spiritus ſancti nominat, quid aliud quàm eſſe opus Spiritus ſancti oſtendit? cùm verò Spiritum ſanctum eo fine in nos effundi ait: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ, indicat Spiritum S. efficere in nobis iuſtificationem, quæ nihil eſt aliud quàm renouatio & regeneratio ſpiritualis. Porrò ad Rom: 8. 9. docet: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Si igitur ante Spiritum S. acceptum nemo eſt Chriſti, quomodo erit Filius Dei? Ibidem Paulus docet ℣. 14. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei.* & eundem Spiritum appellat ibidem: *Spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* quæ igitur tanta impudentia Smalcij eſt, vt contra manifeſtas ſcripturas negare audeat Spiritum S. nos regenerare & facere Filios Dei.

Smalcius impiè negat nos regenerari ex Spiritu ſancto.

Adhæc negat Smalcius Angelos poſſe dici propriè Filios Dei adoptiuos. Quid ita? quia non poteſt adoptari propriè, niſi qui ante adoptionem non erat filius. At hoc falſiſſimum eſſe nemo non videt: quid enim vetat aliquem, illico ac natus eſt, adoptari in filium; ita vt eo ipſo puncto temporis, quo naſcitur, ſit per gratiam adoptiuus filius. Etenim per ſe manifeſtum eſt, naſcituris multa promitti, vt eo ipſo quòd naſcũtur, incipiant ius habere in res ante ſibi promiſſas & aſſignatas. quod idem de gratia adoptionis eſt par ſentire, nempe eam in ipſo natiuitatis puncto obtineri poſſe. Quare & de Angelis, qui in ipſo creationis momento facti ſunt filij Dei, pariter exiſtimandum eſt, eos non ex nátura, ſed ex gratia adoptionis, fuiſſe filios Dei, ac proinde filios adoptiuos; quam enim gratiam adoptionis obtinere poſtea poterant, obtinuerunt illico ac creati ſunt.

Angelos negat Smalcius, eſſe Filios Dei adoptiuos propriè.

Summa etiam temeritas, ne dicam inſania Smalcij eſt, negantis vllo modo veriſimile eſſe, Angelos ex Deo natos eſſe. Etenim ſi propriè loquendum eſt, Angeli & quoad naturam creati ex nihilo ſunt; & quoad gratiam filiorum Dei, ex Deo nati: vti & nos naſcimur. Cùm verò Smalcius ait, eos eſſe creatos filios Dei, id ea ſolùm ratione verum eſt, quòd ſimul cum creatione gratiam adoptionis receperunt: licèt qua filij Dei, nati ex Deo dicendi ſint, non creati: quâ verò Angeli, creati ex nihilo dici debent, non nati.

Ignorantia Smalcij.

Neque verò vt quis ex Deo naſcatur eſt neceſſe, vt multò ante tempore præexiſtat, vt ſomniat Smalcius; ſed ſatis eſt, vt tunc exiſtat, cùm illi regenerationis gratia confertur: Poteſt enim Deus, in ipſo puncto temporis quo incipit quis exiſtere, eſſe ſpirituale & donum gratiæ ſuæ illi infundere, ratione cuius ſit filius Dei & ex Deo natus, ſatiſque eſt ad rationem adoptionis, vt is qui adoptandus eſt, ſupponatur eſſe in illo temporis puncto quo adoptatur; non verò vt multo ante tempore præexiſtat. Nam & eo temporis puncto talis beneficij capax eſt; & Deus omni temporis puncto, quo res creata exiſtit, poteſt eidem ſuam gratiam & beneficium conferre. Verùm in tam abſurdis Smalcij opinionibus confutandis piget tempus terere. veniamus ad aliam eiuſdem reſponſionem.

Chriſtũ eſſe Filium Dei adoptiuum abſurdè cõcedit Smalcius.

Non reputat blaſphemus iſte pro abſurdo, id quod tanquam abſurdum inferebamus, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptiuum: ea, inquit, eſt Filij Dei adoptiui conditio, vt ante adoptionem talis non fuerit, qualis poſt adoptionem eſt factus. quod in Chriſtum conuenire ait, qui ab ipſa conceptione non fuit talis Filius Dei, qualis poſt factus eſt. Addit quidem Smalcius Chriſtum impropriè dici adoptiuum Filium; quòd adoptiui non naſcantur, Chriſtus autem eſt Filius ex Deo natus. At hoc idem de cæteris fidelibus docet, quos etiam eandẽ ob cauſam negat eſſe propriè adoptiuos Filios: vnde, vt minimum, id concedere debet, ea ratione qua nos dicimur in ſcriptura adoptiui Filij Dei, Chriſtum quoque dici adoptiuum Filium.

At id non ſolùm falſò, ſed etiam impiè à Smalcio aſſeri, primùm ex eo manifeſtum eſt, quòd ſcriptura nullibi Chriſtum eſſe adoptiuũ Dei Filium, nec expreſsè, nec tacite indicat. Rem verò tantam ſine euidenti ſcripturæ teſtimonio de Chriſto affirmare, nefas eſt & piaculum maximum.

Ait Smalcius non affirmari quidem id expreſsè in ſcripturis: at deduci manifeſtè. millies, inquit, legimus Chriſtum profeciſſe ſapientia & gratia apud Deum, & Spiritum ſanctum in eum deſcēdiſſe: ex quo infert non fuiſſe talem natum, ſed per adoptationem factū. In qua deductione Smalcij nihil non falſum continetur. Falſum enim eſt, millies in ſcriptura legi, Chriſtum profeciſſe ſapientia & gratia: id enim ſemel tantùm legitur Luc: 2. Falſum eſt, eo ſenſu in ſcriptura id legi, vti vult Smalcius: non enim de vero incremento, ſed de operib. ſapientiæ & gratiæ Diuinæ, quibus magis ac magis ſuam ſapientiam & gratiam apud Deum demonſtrabat, accipiendū eſſe; ſicut ſol in meridie dicitur in calore creſcere, ex communi Patrum interpretatione, in Monſtris Arianiſmi oſtendimus. Falſum eſt, Chriſtum ſapientiæ & gratiæ Diuinæ participatione eſſe Filium Dei. Falſum eſt Spiritum ſanctum deſcendiſſe in Chriſtum, vt eum impleret & faceret Filium Dei: quippe qui ſolùm in ſignum & teſtimonium, quòd eſſet verè Filius Dei, ſpecie columbæ in eum deſcendit. Falſum denique eſt, non fuiſſe Chriſtum cum omni plenitudine ſapientiæ & gratiæ Diuinæ natum: vt in 2. lib: de erroribus Arianorum demonſtratum eſt. quis igitur tam ineptam deductionem, in qua nihil non falſi continetur, pro Dei verbo & ſcripturæ teſtimonio admittat? *Refellitur Smalcius.*

Secundò, non ſolùm id non affirmant ſcripturæ, ſed nec affirmari permittunt, quod multis ſcripturarū teſtimoniis probare poſſumus. Inprimis Paulus ad Hebr: 1. ita de Filio Dei loquitur: *Cui enim aliquando Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Certè ſi de Filiis per gratiam adoptionis factis agatur, nullo modo id verum eſt quod Paulus ait: Etenim non ſolùm Chriſto, ſed & Angelis dictum eſſet, Filij mei eſtis vos. Neque enim negari poteſt Angelos eſſe Filios Dei, per gratiam adoptionis. Quocirca cùm verificari Pauli verba non poſſint, ſi Chriſtus ſit Filius per gratiam adoptionis; neceſſe eſt de Filio Dei per naturam, verba Pauli interpretari. Ex quo tale conficio argumentum. *Probatur idem ex ſcripturis.* *Primū ſcripturæ teſtimonium.*

Ea ratione Chriſtus eſt Filius Dei, quæ nullo modo in vllum Angelorum cadit aut cadere poteſt. At ratio Filij adoptiui cadit ſuo modo in omnes Angelos: ratio verò Filij naturalis non cadit vllo modo in Angelos: ergo Chriſtus dicitur à Paulo non adoptiuus Filius, ſed *Chriſtus ea ratione eſt Dei Filius, quæ in Angelos non cadit.*

us, ſed naturalis. Nam quòd dicunt, propter maiorem excellentiam ſolum Chriſtum dici Filium Dei: reſpondendum eſt, ex ſola maiori excellentia non ſequi aliis idem nomen nunquam tributum eſſe, aut tribui poſſe. Etſi enim propter excellentiam aliquis ſolus poteſt aliquando dici talis; tamen hæc excellentia non facit, ne alij quoque poſſint vllo vnquam tempore eodem nomine appellari, eo quòd illam excellentiam non habeant. Porrò Paulus hoc loco probare intendit Chriſto talia nomina tribui, quæ nullo modo Angelis tributa ſint, aut tribui poſſint. patet id primùm ex theſi ipſius ℣. 4. cùm ait, *Chriſtum tanto meliorem Angelis effectum, quanto differentius nomen præ Angelis hæreditauit.* Deinde eam theſim ita probat, vt oſtendat idem nomen Chriſto & Angelis nuſquam tributum eſſe. Idque primum oſtendit in nomine Filij Dei. Deinde in adoratione, quæ ſoli Chriſto non Angelis attributa eſt. Tertiò in Dei nomine, quod vti tribuitur Chriſto, ita Angelis nomen miniſtrorum datur. Quartò, quòd Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Dei, vt Deus. Angeli verò dicuntur adminiſtratorij ſpiritus. Ex quibus talia nomina Chriſto tribui à Paulo, quæ nullo modo tribuantur vel tributa ſint vnquam Angelis. Cùm igitur nomen Filij adoptiui non ſit eiuſmodi, quod nullo modo tribuatur Angelis: licèt enim excellentiſſima illa ratione non tribuatur Angelis; tamen ſecũdùm abſolutam ſuam rationem tribuitur & tributum eſt: Filij verò naturalis nomẽ eſt eiuſmodi, quod nullo modo tribuitur, aut vnquam tributum eſt Angelis. conſequens eſt Paulum de nomine Filij Dei naturalis locutum fuiſſe.

Declaro id exemplo. Chriſtus docet ſolum Patrem cæleſtem eſſe Patrem noſtrum, nec vocandos nobis ſuper terram Patres; quia nimirũ excellentiſſima ratione ſolus ille eſt Pater noſter. Numquid igitur propter hanc excellentiam Patris cæleſtis, dicere quiſquam poterit, nullo vnquam tempore aliquem appellatum eſſe Patrẽ, aut appellari potuiſſe? Excellentia enim illa maior facit ſolùm hoc, vt eius reſpectu dici poſſit aliquando figuratè, ſolus talis: non verò facit, nullo vnquam tempore quempiam alium dictum fuiſſe talẽ; ſiquidem nullo habito reſpectu excellentiæ, ſed abſoluta nominis ſignificatione ſpectata, aliis quoque idem nomen tribui poteſt, imò communiter & paſſim in abſoluta ſua ſignifiatione tribuitur. Cùm igitur

igitur Paulus hoc loco dicat, nullo vnquam tempore nomen Filij Dei, tributum eſſe vllo modo Angelis, ſed ſoli Chriſto; non de tali nomine loquitur, quod ſecundùm excellentiam maiorem ſoli Chriſto tribuatur: tale enim nomen in abſoluta ſua ſignificatione aliis quoque tribui poteſt; ſed de tali, quod in abſoluta ſua ſignificatione nullo modo Angelis tributum ſit vllo vnquam tempore: quale nomen eſt Filij Dei naturalis. Etenim ſi ſit vnus Filius naturalis inter multos adoptiuos, rectè à Patre dici poteſt: Tu ſolus es Filius meus. quia tali ratione es Filius, quæ in alios adoptiuos nullo modo cadit, nempe verè & naturaliter. At ſi omnes ſint Filij adoptiui, non poteſt vni, quem fortè præ aliis magis diligit & beneficiis ornat, dicere, Tu ſolus es Filius meus; alij non ſunt vllo modo Filij mei; neque vllo vnquam tempore quiſquam illorum à me dictus & appellatus eſt Filius. Porrò conſtat ex ſcripturis, Angelos Filios Dei appellari, Iob: 1. 6. *cùm veniſſent Filij Dei, vt ſtarent coram Domino.* & cap: 38. 7. *vbi eras cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei.* Certum igitur & exploratum eſſe debet, Paulum cùm hîc negat Filij Dei nomen tributum Angelis vnquam, non de nomine adoptiui Filij, ſed naturalis id accepiſſe.

Ex quo & illa reſpōſio Smalcij refellitur, dum ait Paulum non negare abſolutè, Angelos eſſe & dici Filios Dei, ſed tantùm cōparatè reſpectu Chriſti. Friuolum enim id eſſe vel ex eo intelligitur, quod ſi Paulus cōparatè loqueretur, ſenſus eſſet, nulli vnquam Angelorum comparato cum Chriſto dictum eſt à Deo: *Filius meus es tu.* quem tamen ſenſum alienum eſſe à verbis Pauli, res ipſa loquitur. Non enim ſolùm ſi Chriſto comparentur, ſed abſolutè, ſi ſecundùm ſuam conditionem conſiderentur, negantur à Paulo eſſe Filij Dei: quia nimirum non ſunt Filij naturales, ſicut Chriſtus. Neque hanc comparatam conſideratione vllo modo Pauli verba indicant. Deinde eſto: tamen Pauli mens eſt, omnino differētia nomina Chriſto & Angelis tribuere, & talia, quæ nullo modo Angelis tributa ſunt vnquam, aut tribui poſſunt, vti dictum eſt; comparatque Chriſtum cum Angelis, tanquam Filium cum non Filiis: quæ comparatio nulla eſt, niſi Chriſtus naturalis eſſe Dei Filius intelligatur. Alterum ſcripturæ teſtimonium eſt, Gal: 4. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, vt adoptionem Filiorum reciperemus. Quoniam autem eſtis Filij, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater.*

Smalcius refutatur.

Secundum ſcripturæ teſtimonium.

Ex quo loco duplex ſumitur argumentum ad probandum Chriſtum non eſſe Filium Dei adoptiuum ſed naturalem. Nam inprimis hoc loco *Filius ſuus* opponitur Filiis adoptiuis tanquam non ſuis. ſuũ enim Filiũ miſit Deus, vt nos, qui non ſumus ſui Filij, per ipſum tanquam per ſuum Filium adoptionem Filiorum reciperemus. verè enim Filij adoptiui non ſunt *ſui* propriè ſed alieni, ſolumque propter adoptionem habentur pro *ſuis*, ac ſi eſſent *ſui*: ſicut igitur adoptiui idcirco non dicuntur propriè *ſui*, quia ſecundùm naturam ex adoptante non ſunt geniti, ſed alium habent Patrem naturalem: ita & Chriſtus à Deo Patre idcirco dicitur Filius ſuus, quia ſecundùm naturam eſt Dei Filius. Hoc enim oppoſitionis ratio poſtulat, vt quomodo adoptiui non ſunt *ſui Filij*, ipſe dicatur & ſit *ſuus*.

Deus, Chriſtum dicit Filium ſuũ, id eſt proprium, non adoptiuum.

Futile verò eſt reſponſum Smalcij, cùm ait etiam per adoptiuũ Filium poſſe alios adoptari in Filios: nos enim nõ id vrgemus, quòd per illum alij adoptentur à Deo, ſed quòd tanquam per *Filium ſuum* adoptentur. Cùm enim quis per Filium ſuum dicitur adoptare alios in Filios, ſenſus eſt, per illum filium non tanquam adoptiuum, ſed tanquam *ſuum*, hoc eſt qui propriè & naturaliter eſt *ſuus*, alios adoptare in ſuos. Hanc enim vim habet illa particula *ſuus*, & ſecundùm eam attenditur oppoſitio, Filij ſui & Filiorum adoptionis, qui eo ipſo quòd ſunt Filij per adoptionem non ſunt ſui. Nullus enim adoptat filium ſuũ ſed alienum, & adoptando non facit Filium ſuũ propriè & ſimpliciter, ſed impropriè & ſecundùm quid, nempe per gratiam adoptionis: quia etſi non ſit propriè ſuus Filius, habetur tamen pro Filio ſuo, acſi eſſet Filius ſuus.

Alterum argumentum, quia nomine *Filij ſui* abſolutè dicti, intelligitur Chriſtus, tanquam is qui ſolus eſt Filius ſuus. At ſi eſſet adoptiuus Filius: non poſſet id verificari, quia non eſt ſolus filius ſuus, cùm eſſent alij quoque Filij adoptiui per gratiam adoptionis, ſui Filij.

Ait Smalcius cum ſuo Socino, Chriſtum dici *Filium ſuum*, id eſt peculiarem Filium. At fallitur vnà cum Socino. Nam ſi ita ſit peculiaris Filius, vt non communi cum aliis ratione ſit Filius, fateor hoc ſenſu ſolum Chriſtum eſſe ſuum, id eſt Dei Filium. verùm hæc peculiaris ratio, non erit ratio Filij adoptiui (hæc enim eſſet illi cum aliis Filiis adoptiuis communis) ſed ratio Filii naturalis: ea ſiquidẽ

Chriſtus quo ſenſu peculiaris Filius Dei dicatur.

ita eſt

ita eſt illi peculiaris, vt nullo modo aliis conueniat. Hoc igitur ſẽſu nos fatemur eſſe peculiarem Dei Filium: quia ratio Filij naturalis illi ſoli propria eſt. Si verò Smalcius vocat Chriſtum peculiarem Dei Filium propter præſtantiam, quòd inter adoptiuos ſit præſtantiſſimus, id non ſufficit ad hoc, vt ſolus Chriſtus dicatur ſuus, id eſt Dei Filius, alij non ſui. Nam non obſtante illa maiori præſtantia, eſſet communi cum aliis ratione Filius, nempe per gratiam adoptionis; cùm & illa maior præſtantia ex gratia adoptionis habeatur. & ſicut gratiam adoptionis non ſolus habet: ita non ſolus per gratiam adoptionis eſſet Filius. non igitur ea ratione, qua adoptiuus eſt, poteſt ſolus dici *ſuus*.

Quod ſi dicat, propter præſtantiam figuratè poteſt quis ſolus cõmuni nomine inſigniri κατ᾽ ἐξοχὴν: id in hunc modum refellitur. cùm enim de ſola præſtantia agitur, poteſt talis figura & tropus admitti. At cùm agitur de ipſa rei veritate non poteſt: ſecundùm enim veritatem commune non eſt proprium, nec quòd multis conuenit, vni ſoli conuenire dicendum eſt. Porrò ita hîc accidit. Agitur enim hîc de ſuo & non ſuo Filio, particulaque *ſuus* excludit non ſuos, qui verè non ſunt ſui Filij, ſed tantùm per adoptionem, quod eſt impropriè eſſe ſuos. Quare in iſta comparatione & oppoſitione, veritas filiorũ ſpectatur non præſtantia, & ex conſequenti non habet hîc locum figurata illa & impropria locutio.

Ad hæc ſcriptura vtitur formis loquendi, prout vſu communi receptæ ſunt. Hominibus enim, & propter homines loquitur, ac proinde communi hominum & vſitato more. Atqui communis loquendi modus eſt, cùm quis filium ſuum à non ſuis diſtinguit, filium naturalem intelligere. Ergo eodem modo in ſcriptura, eadem loquẽdi ratio intelligenda eſt. Neque enim in ſcripturis exponendis temerè à proprio ſenſu recedendum eſt, niſi cùm is communi omnium ſenſu habetur impoſſibilis. quod hîc non accidit.

Nam quod Ariani reputant impoſſibile, aliquem Dei Filium naturalem, id eſt ex ſubſtantia Dei genitum dici propter ineptas & à ſe confictas implicationes contradictionis, id totus orbis Chriſtianus, & ſapientiſſimi quiq; ac ſanctiſſimi Patres omnibus ſæculis, non ſolùm pro re incredibili non habuerunt, ſed etiam ab Arianis obiectas contradictiones, meras ignorantias & fallacias eſſe, ſolidiſſimè

docuerunt. Neque verò cõtradictionis implicatio, cum primo principio lumine naturali noto, manifeſtè repugnet. ſi verè talis eſſet, vt ab iſtis conclamatur, poſſet à toto mundo aut non deprehendi, aut non intelligi.

Concluditur, Chriſtũ eſſe Filium Dei naturalem.

Concludo igitur, cùm in ſcripturis Chriſtus talis Filius Dei dicatur, qui ſolus ſit Filius Dei; nullo modo ipſum dici poſſe Filium adoptiuum, (ſic enim non eſſet ſolus Filius Dei, quia non ſolus gratiam adoptionis haberet) conſequens eſt, vt dicatur Filius Dei naturalis ex ſubſtantia Dei genitus. Sic enim nulli Angelorum dictum eſt, *Filius meus es tu*: ſic etiam ſolum eum dicit Deus Filium ſuum, quia ſolus verè & propriè & ſecundùm naturam eſt Filius.

Porrò cùm in ſcriptura legimus Chriſtum habere multos fratres, id vel referendum eſt ad naturam humanam, ſecundùm quam factus noſtræ carnis & ſanguinis particeps, omnes homines ſuos effecit fratres: ita vt eam ob cauſam non confundatur eos vocare fratres, vti dicitur Heb: 2. vel certè ea ratione intelligendum eſt, qua filius naturalis habet multos fratres adoptiuos. Rom: 8.

Chriſtus cùm ſit proprius & vnigenitus Dei Filius, non adoptiuus ſed naturalis dici debet.
CAP: V.

Solus naturalis dicitur proprius Filius.

NON potuit magis expreſſè dici, qualis Dei Filius eſſet Chriſtus, quàm cùm proprius & vnigenitus Dei Filius appellatus eſt. Etenim nihil magis adoptiuo Filio repugnat, quàm eſſe proprium; nihil magis naturalem Filium exprimit, quàm ſi proprius dicatur. Nam neque proprius Filius adoptari in Filium poteſt, eo quòd proprius eſt; neq; adoptiuus Filius, cùm ſolùm per gratiam adoptionis Filius ſit, proprius Filius dici poteſt. Illi enim ſolùm adoptantur in Filios, qui non ſunt proprij adoptantis Filij: loco tamen propriorum Filiorum habentur. Id verò ipſum, quòd pro Filiis propriis habentur, & in propriorum locum adoptantur, facit, vt Filij proprij non ſint. Ex altera verò parte, nemo eſt qui neſciat, Filios, qui naturaliter ex parentibus generantur, proprios eorundem Filios dici: eos verò qui ex ipſis naturaliter geniti non ſunt, non proprios ſed alienos appellari: ita vt proprij & alieni Filij non niſi ſecundùm naturam dicantur.

tur. Cùm igitur ſcriptura, Chriſtum non qualemcunque Filium Dei aſſerat, ſed proprium, an non manifeſtè vult eum non adoptiuum eſſe, ſed naturalem. ita enim Paulus loquitur Rom: 8. 32. *qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Neque ſolum Chriſtum ſcriptura vocat proprium Dei Filium, ſed & Deum proprium eius Patrem. Nam Ioan: 8. 27. Chriſtus *Patrem proprium* ἴδιον *dicebat Deum.* & eam ob cauſam lapidibus à Iudæis vix non obrutus eſt. Certè Pater adoptans, non eſt proprius Pater; neque adoptare eſt propriè generare, ſed pro genito habere. alioqui nos omnes proprium Patrem haberemus Deum, & eſſemus proprij Dei Filij, ſi ad hoc adoptatio ſufficit. Conſequens igitur eſt, Deũ naturalem eſſe Chriſti Patrem.

Reſpondet Smalcius: etſi inter homines is ſolùm, qui ex ſubſtantia alicuius eſt genitus, proprius Filius dicatur, in Deum tamen id transferri non debere, quòd Diuina generatio humanæ ſimilis nõ ſit; neque Diuina natura communicari alteri, cùm ſit vna numero, poſſit. Verùm Smalcius & malè concludit, & falſam adhibet rationem. Si enim ſcriptura Chriſtum, proprium Filium vocet, concludendum omnino eſt, id illi totum conuenire, quod proprij Filij nomine deſignatur: non enim idcirco vocat illum proprium, quòd proprius non ſit, ſed quòd ratio proprij Filij in illũ conueniat. Cùm igitur ad rationem proprij Filij requiratur, vt ſit de ſubſtantia ſui Patris genitus, neceſſe etiam erit id proprio Dei Filio conuenire. Neque refert, quòd generatio humana & Diuina diſſimiles ſint; verſantur enim circa diſſimiles naturas. Non tamen ita ſunt diſſimiles, quin proportione ſibi reſpondeant. & ſicut in vtraque generatione datur Filius, & quidem proprius: ita & propriam generationem ſecundùm naturam dari oportet. Sicut enim in humana generatione id ſolùm facit proprium Filium, quòd de ſubſtantia hominis genitus ſit, ita vt cætera omnia ad rationem proprij Filij non faciant: ita proportionaliter, cùm in generatione Diuina detur proprius Dei Filius, dari quoque debet de ſubſtantia Dei, generatio Diuinæ naturæ proportionata: aut ſi talis generatio dicatur eſſe impoſſibilis, debet quoque impoſibile cenſeri, quod detur Dei Filius proprius; hoc enim nomine proprij Filij intelligunt omnes; nempe talem Filium, qui non de aliena, ſed de propria generantis ſubſtantia ſit genitus: & ſicut

Smalcius ineptè reſpondet.

ſicut ratio proprij Patris, & proprij Filij, in Deum transfertur ſecundùm ſcripturas: ita & rationem generationis de ſubſtantia, transferri neceſſe eſt. Ad hæc cùm Filius, non niſi duplici ratione dici poſſit, vel per naturam, vel per gratiam adoptionis, is verò qui eſt Filius per gratiam adoptionis, non ſit proprius Filius; conſequens eſt, in Diuina etiam generatione, non eum dici proprium Filium, qui per adoptionis gratiam Filius eſt, ſed qui eſt per naturam Filius. Futile verò quod addit Smalcius, naturam Diuinam, vna numero cùm ſit, communicari pluribus non poſſe. Vnum enim numero ſalua vnitate numerica, pluribus communicari poſſe, omnium ſapientum ſententia eſt à nobis ſupra demonſtrata.

Reſpondet ſecundò, Chriſtum ſecundùm carnem dici propriũ Dei Filium. At id ſatis abundè iam refutatum eſt, cùm ſecundùm carnem non ſit de ſubſtantia Dei genitus: quod ſolùm facit Filium eſſe proprium. Nullus enim alia de cauſa dicitur eſſe proprius alicuius Filius, niſi quia ex ipſius ſubſtantia & ſanguine eſt genitus, ita vt ſi ex eius ſubſtantia non eſſet genitus, dici non poſſet proprius ipſius Filius.

Tertiò reſpondet Smalcius, Chriſtum dici proprium Dei Filiũ, id eſt peculiarem; quia nimirum non communem cum aliis, ſed peculiarem & ſibi propriam habet cum Deo ſimilitudinem, qua cæteros omnes Dei Filios ſuperat.

Ignorat Smalcius, quid ſit eſſe proprium alicuius Filium.

At errat turpiter. Primò, quia adoptiuus Filius quantamcunq; habeat ſimilitudinem cum adoptante, nunquam erit proprius eius Filius: nam & ſecundùm naturam eſt alienus Filius, non proprius adoptantis; & quatenus adoptatur, non efficitur proprius, ſed vice proprij & tanquam proprius habetur. Qui autem loco proprij eſt, eo ipſo non eſt proprius. Nam ſi proprius eſſet, nõ eſſet loco proprij, ſed ipſe proprius. Si igitur Chriſtus ſit adoptiuus Dei Filius, quantamcunque ſimilitudinem & quantumcunque peculiarem cum Deo habeat, eſſe non poterit proprius Dei filius: ſiquidem adoptiuo quâ adoptiuus eſt, repugnat eſſe proprium: adeò vt etiam implicet contradictionem. Adoptatur enim tanquam alienus Filius: quippe cũ proprius adoptari nõ poſſit. Si igitur dicatur proprius, erit ſimul proprius & non proprius: proprius ex ſuppoſitione; non proprius, quia adoptiuus.

Secundò errat Smalcius, quia confundit & pro eodem habet proprium & peculiarem Filium, & vnum per alterum exponit: cùm iſtà duo ſint valdè diſtincta: poteſt enim quis eſſe proprius Filius, qui nihil peculiare præ aliis habeat: vt ſi vnus Pater plures habeat filios naturales, ſinguli erunt proprij filij; quia de ſubſtantia Patris geniti: neque tamen habent aliquid peculiare præ aliis. Similiter poteſt quis peculiari ratione eſſe alicuius Filius: qui tamen non erit proprius Filius. Etenim Filius adoptiuus quantamcunque excellentiam peculiarem præ aliis habeat, nunquam ea peculiaris excellẽtia efficiet eum proprium Filium. Neque enim peculiaris Filius, adoptiuus vnquam eſt, aut dicitur proprius. Perperam igitur & contra omnem rationem proprium Filium, id eſt peculiarem interpretatur. Neque in hoc Socini authoritas eum adiuuat, ſed vtriuſque craſſam ignorantiam declarat. Adhæc peculiaris ratio facere quidẽ poteſt, vt aliquis ſolus dicatur Filius, non verò vt dicatur proprius Filius. Id enim quod peculiare eſt, vni tantùm conuenit, ſiue illud propriè ſit tale, ſiue non.

Non idem eſt, eſſe proprium & peculiarem Filium.

Tertiò, æquiuocatione craſſa ludit, dum proprium accipit, vt opponitur communi: non verò vt opponitur alieno. In ſubiecta autem materia cùm quis dicitur proprius alicuius Filius, non intelligitur non eſſe communi cum aliis ratione Filius: alioqui plures fratres non eſſent proprij filij ſui Patris; quia communi omnes ratione ſunt Filij, tanquam de ſubſtantia Patris geniti. Intelligitur igitur proprius Filius, quia ex propria Patris ſubſtantia, non ex aliena eſt genitus. Quam æquiuocationem ſi non aduertit Smalcius, rudis eſt; ſi aduertit, malitioſus, dum aſtu tenebris æquiuocationis veritatem inuoluit.

Æquiuocatio Smalciana.

Quartò, errat etiam Smalcius, cùm ſimilitudinem cũ Deo pro ratione aſſignat, propter quam Chriſtus dicatur Dei Filius. Nũquam enim ſcriptura talem rationem aſſignat, neque ea elici aut colligi ex ſcriptura poteſt. Nam ſimilitudo illa etiam inter eos eſſe poteſt, qui non ſunt inter ſe Filij: vel ſi ſolis Filiis conuenit, non conſtituit Filios, ſed eſt donum filiis iam factis per gratiam adoptionis attributũ, vt infra copioſè demonſtrabitur, & in Monſtris demonſtratũ eſt.

Similitudo cum Deo nõ facit Dei Filium.

Denique negari ab aduerſariis non poteſt, Chriſtum non ſolùm peculiari, ſed & communi cum aliis ratione eſſe Dei Filium. Si enim

eſt ado-

eſt adoptiuus Dei Filius communi cum aliis ratione, nempe per gratiam adoptionis erit Filius: ſi verò peculiare quid habeat, peculiaris illa ratio, non excludet communem, ſed ſub ea continebitur.

Quanquam nos minimè negamus, Chriſtum eſſe peculiarẽ Dei Filium, ſed longè alia, quàm Ariani ratione. Nam idcirco peculiarem dicimus, quòd de ſubſtantia Dei ſit genitus: quæ ratio ita peculiaris illi ac propria eſt, vt non ſit ei cum vllo communis: neque verò eum peculiarem tantùm facit Filium, ſed & proprium. Aduerſarij autem cùm peculiarem rationem Filij Chriſto aſſignent intra genus Filij adoptiui, talem rationem aſſignant, quæ partim communis illi ſit cum aliis, partim peculiaris, & nullo modo proprium Filium conſtituere poſſit.

Abſurda Smalciana refelluntur. 1. Ex quibus refelluntur, quæ folio 172. partim imperitè, partim abſurdè à Smalcio aſſeruntur. Non enim veretur concedere Chriſtum, ex parte, communi cum aliis ratione Filium Dei dici; idque nõ ſolùm non abſurdum eſſe, ſed planè neceſſarium: cùm enim Deus ex ſubſtantia ſua generare non poſſit, neceſſe, inquit, eſt Chriſtum eo modo generari, quo alij adoptiui generantur & fiunt Filij Dei, nempe per gratiam adoptionis, per quam admittuntur in Filios. Et verò licèt neceſſarium ſit, facta illa ſuppoſitione, quòd Chriſtus ſit Filius adoptiuus, concedere illum eſſe communi cum aliis ratione Filium: tamen id ita abſurdum eſt, & ſcripturis, quæ Chriſtum ſolum & proprium Dei Filium affirmant, repugnans, vt illa ſuppoſitio de adoptiuo Dei Filio, ex qua hoc abſurdum ſequitur, longè falſiſſima & abſurdiſſima cenſenda ſit.

Deum ex ſua ſubſtantia generare, non eſt impoßibile. 2. Cùm autem aſſumit Smalcius, Deum ex ſubſtantia ſua generare non poſſe, propter illam nullius momenti rationem, quòd natura vna numero pluribus communicari non poſſit; cõſultius feciſſet, ſi futili illa ratione reiecta, intuliſſet id non eſſe impoſſibile. ſi enim ſecundùm ſcripturas non eſt impoſſibile, proprium eſſe Dei Filium, non erit quoq; impoſſibile propria ratione generari; nempe ex Dei ſubſtantia: id enim ad rationem proprij Filij ſpectare, nemo eſt qui diffiteri poſſit.

3. Imperitè etiam dicit, Chriſtum dici proprium Filium Dei, quòd omnes alios Filios longè ſuperet: hoc enim non eſt eſſe propriũ Filium, ſed peculiarem. qui enim præ aliis aliquid habet, peculiaris

eſt,

eſt, etiamſi proprius non ſit, ſed adoptatus. ſimiliter & illud imperitè ſimul ac abſurdè à Smalcio aſſeritur, Chriſtum dici Filium propriũ, pro eo tempore, quo in terris degebat: quippe qui tunc ſolus tantùm Filius Dei fuerit, eo nimirum modo, quo homines debent eſſe Filij Dei ſub nouo fœdere: & nunc ſolus omnino ea habet, quæ Filiũ Dei conſtituunt, nempe immortalitatẽ & Diuinum imperium. Etenim magna imperitia eſt, pro eodem accipere proprium Filium & ſolum Filium: poteſt ſiquidem proprius Filius, nõ eſſe ſolus Filius, ſi nimirum habeat multos eiuſdem generis fratres. Item poteſt eſſe ſolus Filius, qui tamen non ſit proprius Filius; vt ſi quis nullum habeat naturalem Filium, ſed vnum aliquem in Filium adoptet: is ſolus erit talis Patris Filius, proprius tamen non erit. Abſurdum verò eſt dicere, Chriſtum eo tempore, quo in terris degebat, ſolum fuiſſe Filium Dei adoptiuum. quis enim negabit eos, qui ex Deo nati ſunt, vel renati ex Spiritu ſancto eſſe Filios Dei adoptiuos? tales autem fuiſſe plurimos Chriſti tempore Euangelia teſtantur, qui & crediderunt in Chriſtum, & remiſſionem peccatorum vnà cum Spiritu ſancto conſecuti ſunt. de quo infra fuſius. Abſurdum quoque Chriſtum nunc eſſe, ſolum Dei Filium propter immortalitatem & Diuinum imperium. nam immortalitas non facit Dei Filios, ſed ſupponit factos, eiſque in præmium & hæreditatem attribuitur ſecundùm ſcripturas. *Si enim Filij & hæredes.* Hæreditas enim Filiorũ Dei eſt vita æterna & immortalis, vt infra ex profeſſo demonſtrabitur. etſi enim non ſit hæres, niſi Filius: non ideo tamen Filius, quia hæres, ſed ideo hæres, quia Filius. Quod verò de imperio Chriſti Diuino adiungit, ſi de poteſtate increata, qua vnà cum Patre imperat, intelligat, verum eſt Chriſtum reſpectu talis poteſtatis eſſe Filium Dei: ſiquidem talis poteſtas idem eſt, cum natura Diuina. At ſi intelligat poteſtatem imperandi creatam; eiuſmodi poteſtas quanta quanta ſit, non facit Filium Dei adoptiuum: prius enim eſt aliquem ex gratia Dei adoptari in Filium, quàm illi talem poteſtatem conferri: neque enim tantam poteſtatem Deus conferret, niſi Filio vnicè dilecto.

(margin, beside first line: 3.; beside "Abſurdum quoque": 4.)

Poteſtas creata non facit Chriſtũ Filium adoptiuum.

Alterum argumentum ſumitur ex nomine vnigeniti, quo idcirco in ſcriptura inſignitur Dei Filius, vt ſolus eſſe genitus ex Deo intelligatur: id enim & vox ipſa deſignat, & Paulus Hebr: 1. exponit. Ta-

Chriſtus dicitur vnigenitus, quia ſolus ex Deo genitus eſt.

nit. Talem enim eſſe Filium dicit, cui ſoli dictum eſt à Deo; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Aliæ verò ſcripturæ ſemper nomine Filij Dei vnigeniti Chriſtum intelligunt. quia ſcilicet ipſe ſolus eſt verus Filius Dei. Rectè igitur ſecundùm ſcripturas nomen vnigeniti interpretamur Chriſto eapropter conuenire, quòd ille ſolus ſit ex Deo genitus. Quod dici nullo modo poſſet, ſi Chriſtus eſſet Filius adoptiuus: ſic enim multos haberet fratres, eiuſdẽ generis, qui ſecundùm gratiam adoptionis, eſſent quoq; Filij Dei: ac proinde Chriſtus nec ſolus eſſet Filius Dei nec vnigenitus. Reliquum igitur eſt, vt dicatur vnigenitus, quia ſolus naturaliter de ſubſtantia Dei genitus eſt.

Reſponſio Smalcii refellitur.

1. Torquet ſe in omnem partem Smalcius, vt luci tenebras offundat, inprimiſque ait, non poſſe eo modo Chriſtum dici vnigenitum, cùm id ſit impoſſibile. Verùm quid hoc aliud eſt, quàm rationi, eique falſæ, ſcripturas ſubiicere, & non rationem ex ſcripturis moderari. Si enim conſtat ex ſcripturis, Chriſtum eſſe verè Filium Dei vnigenitum, inferri omnino debet, eſſe ſolum de ſubſtantia Dei genitum: cùm nulla alia ratione vnigenitus dici poſſit, neq; id impoſſibile ſecundùm rationem cenſendũ; ſed quia ſcriptura dicit, poſſibile iudicandum eſt.

2. Ait ſecundò Smalcius, Chriſtum vnigenitum dici, non quòd ſolus ſit ex Deo genitus, ſed quòd peculiari præ cæteris omnibus ratione ſit Dei Filius. ſic enim & Iſaac dicitur vnigenitus Abrahami, Gen: 22. 2. cùm tamen ante ipſum & Iſmael genitus eſſet. & Salomon Prouer: 4. 3. vnigenitus coram matre ſua, cùm tamẽ alios quoque habuerit fratres. & Dauid Pſal: 21. 21. animam ſuam vnicam vocat, id eſt ſibi cariſſimam. Verùm ſatis à nobis probatum eſt ex Paulo, Chriſtum ita eſſe vnigenitum, vt nulli alteri vnquam dictum ſit; *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: ex quo neceſſariò infertur, eſſe talẽ Filium, qui ſolus ſit ex Deo genitus, nempe ſecundùm naturam. nam ſecundùm gratiam adoptionis, conſtat non eſſe ſolum genitũ.

Filius adoptiuus nunquam dicitur vnigenitus.

Adhæc Filius adoptiuus, præſertim ſi plures fratres habeat, nũquam dicitur aut dici poteſt vnigenitus: id enim proprium epitheton eſt Flij naturalis: nec aſſeri poteſt exemplum, quo filium adoptiuum dici vnigenitum doceatur. Nam & exempla, quæ à Smalcio afferuntur, ad Filios naturales ſpectant: Quamuis autem in dictis exemplis contẽdat dici vnigenitum, qui præ cæteris ſit cariſſimus, e-

tiamſi

tiamſi non ſit ſolus genitus: tamen id ex dictis exemplis neceſſariò elici non poteſt. Iſaac enim verè dicitur vnigenitus Abrahami: non quomodocunque, ſed Saræ reſpectu, & in ordine ad ſucceſſionem hæreditariam: ſolus enim fuit Abrahamo ex Sara genitus, tanquam ad familiam ſpectans & ſucceſſor ac hæres futurus. Iſmael enim ex ancilla genitus ad ſucceſſionem non pertinebat, nec in familia computabatur, vt ibidem patet. Non igitur quia cariſſimus, dicitur vnigenitus, vt vult Smalcius; ſed quia ſolus genitus modo iam dicto. Neque habuit Smalcius, quo eam expoſitionem ſolidè refelleret, niſi dicendo, quòd non ſolus eſſet Abrahamo genitus: cùm tamen modo explicato ſolus fuerit genitus. Quod de Salomone adducit, ſi textus Hebræus ſpectetur, nihil pro Smalcio facit. Nam in Hebræo textu eſt vnicus, non vnigenitus; & legi poteſt, vel corā matre ſua, vel inter filios matris ſuæ: vti & Biblia Stephani Roberti habēt. Vtrauis autem lectio admittatur, non inferetur ex ea, Salomonē dici abſolutè vnigenitum, quod probandum erat, ſed ſolùm vnigenitum inter filios matris ſuæ, vel coram matre ſua, quod eſt velut vnigenitum haberi à matre inter omnes filios. Patet igitur vnigenitum, non dici niſi filium naturalem, non autem adoptiuum.

Porrò Chriſtum verè, propriè & abſolutè vnigenitum dici ex ſcripturis liquidò patet. Ioan: 1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Vbi notant Doctores particulam *quaſi*, non eſſe aſſimilatiuam, ſed expreſſiuam veri; vt idem ſignificet, quod *tanquam, ſicut.* Si regium apparatū quis deſcribere volens, dicat; inceſſit tanquam Rex, hoc eſt eo modo quo verè regi conuenit. Sic igitur Ioannes de Chriſto dicit, Gloriam eius fuiſſe quaſi vnigeniti, hoc eſt tanquam veri vnigeniti, ſeu talem & tantam quæ verè vnigenito conuenit. ibidem ℣. 18. dicitur, *vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* vbi tanquam proprio nomine, vnigenitus appellatur, quaſi præter illum nullus alius ſit verus Dei Filius. Ioan: 13.16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* 1. Ioan: 4. 9. *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus.* Ex quibus ſcripturis manifeſtè apparet, Chriſtum & verè ac propriè & abſolutè vocari vnigenitum. abſolutè autem vnigenitus non dicitur, qui pro vnigenito habetur, vel tanquam vnigenitus diligitur, ſed qui verè eſt vnigenitus: ac proinde ſolùm naturalis Filius dici poteſt vnigenitus, non autem adoptiuus.

Chriſtus in ſcripturis dicitur verè vnigenitus.

Secundùm Smalcium Chriſtus nõ eſt abſolutè Vnigenitus.

Adhæc Ariani faciunt Chriſtum vnigenitũ, ſolùm ſecundùm quid, non abſolutè: ſiquidem abſolutè non ſolus eſt ex Deo per gratiam adoptionis genitus, ſed habet alios plures huius generis fratres ex Deo per adoptionem genitos: ſecundùm quid autem, hoc eſt ſecundùm peculiarem gratiam adoptionis, ſeu ſecundùm peculiarem rationem ſapientiæ, poteſtatis, immortalitatis, volunt dici vnigenitum. Verùm id dici non poteſt. Nam quod ſolùm ſecundùm quid de aliquo verum eſt, non poteſt abſolutè affirmari. Abſoluta enim abſolutè intelligenda ſunt: ſi verò non abſolutè intelligi debent, idipſum aliqua circũſtantia ſermonis indicatur, vt ſignificetur ſecundùm illam rationem non abſolutè accipiendum eſſe. Cùm igitur ſcriptura ſemper abſolutè Chriſtum vocet vnigenitum, nec vnquam quidquam adijciat, quod abſolutam vnigeniti ſignificationem reſtringat, conſequens eſt, Chriſtum non eſſe vnigenitum ſecundùm quid, & ob peculiarem adoptionem, ſed abſolutè, quod nullus præter ipſum ſit genitus, ſed ſolus ſit ver⁹ & naturalis Dei Filius. Nugatur verò Smalcius, cùm ex illis verbis, *vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*, exiſtimat, ideo vocari vnigenitũ, quia eſt Patri cariſſimus. Nam & eſſe in ſinu Patris, hoc in loco nõ dilectionẽ deſignat, ſed intimam Filij iunctionem cum Patre ad ſecreta cordis eius pernoſcẽda: & quamuis dilectio denotaretur, nullo modo tamen denotaretur tanquam cauſa appellationis vnigeniti. Non enim dubium eſt amari vnigenitum; ſed hoc oſtendendum eſſet, propter ſingularem amorem illum vocari vnigenitum. Cùm verò affert Dauidis teſtimoniũ Pſal: 21. 21. vbi animam ſuam vnicam vocat, id eſt vnicè dilectam. *Erue*, inquit, *à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam*; ex eoque inferre conatur, vnicum in ſcriptura dici, id quod vnicè diligitur: id nos refellimus, negando eam ob cauſam à Dauide animam ſuam vnicam dici, quòd ſit vnicè dilecta, ſed quòd ſit ſola & derelicta, & adiutorem non habeat. Sic enim ipſemet Dauid ſuam phraſim exponit, dum ſimili modo orat Deum, vt ſe adiuuet. *Quia*, inquit, *vnicus & pauper ſum ego*, Pſal: 24. 16. eſt enim id magnum argumentũ ad mouendam Dei miſericordiam, quod quis ſit ſolus & omni auxilio deſtitutus, ita vt in nullo, præterquam in Deo, ſpem ſuam collocare poſſit.

Vnigenitus qui in ſinu Patris.

Dauid animam ſuam vnicam vocat.

Quarto loco Smalcius addit, Chriſtũ vocari vnigenitum, quòd

pro eo tempore, quo in terris degebat, nemo adhuc talis filius erat: qualem ſub nouo teſtamento eſſe oportet, vt tali appellatione ſit dignus. Quis hæc commenta æquis auribus ferat? Etenim ſi pro eo tempore dictus eſt vnigenitus, quando nemo adhuc erat Dei Filius, vti ſub nouo teſtamento homines ſunt filij Dei: ſequitur poſtquàm homines cæperunt eſſe filij Dei, ſecundùm normam noui teſtamenti, Chriſtum deſiiſſe eſſe vnigenitum; aut ſi non deſiit eſſe vnigenitus, non propterea dicebatur vnigenitus, quod nemo alius eſſet tunc Filius Dei ſecundùm nouum fœdus. Nam etiam cùm eſſet in ſinu Patris, quo tempore multi fideles erant facti Filij Dei, vocat illum Ioannes vnigenitum. Friuolum enim eſt, quod reſpondet Smalcius, idcirco in ſinu Patris vocari vnigenium, quia in terris cùm enarraret nobis Diuina, erat vnigenitus. quis enim non videt non ſolùm tunc cùm enarraret in terris, vocari à Ioanne vnigenitum, ſed etiam cùm in cælo eſſet in ſinu Patris, *Vnigenitus,* inquit, *qui eſt in ſinu Patris enarrauit nobis.* Non igitur deſijt eſſe vnigenitus Dei Filius, poſtquam nos adoptauit in filios Dei. At, inquit, nunc in cælo alia ratione eſſe vnigenitum, quia nunc ſolus ea habet, quæ Filium Dei conſtituunt: nempe immortalitatem & Diuinum imperium. Verùm audax Smalcius concedit inprimis (quod inauditum in ſcriptura eſt) Chriſtum deſijſſe eſſe aliquando vnigenitum Dei Filium, & cæpiſſe eſſe alia ratione vnigenitum. Deinde ſicut eo tempore, quo fideles cæperunt eſſe Filij Dei in nouo fœdere, concedit Chriſtum deſijſſe eſſe vnigenitum; ita concedere debebit poſt diem iudicij, cùm fideles cõſecuti fuerint immortalitatem, & Chriſtus tradiderit regnum Deo & Patri, Chriſtum iterum non futurum vnigenitum, quia non ſolus habebit immortalitatem: quæ ita ſunt per ſe abſurda, vt alia refutatione non egeant.

Chriſtus ſecundùm Smalcium deſiit eſſe Vnigenitus.

Adhæc qua frõte Smalcius audet negare fuiſſe vllos Filios Dei noui teſtamenti, tunc cùm Chriſtus degeret in terra? Nam inprimis nemini dubium eſt, eos qui renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto, eſſe veros Dei Filios noui teſtamenti, cùm Chriſtus id manifeſtè doceat, Ioan: 3. Naſci enim ſecundùm ſpiritum eſt eſſe Filium Dei. idcirco ſcriptura paſſim eos docet, eſſe Filios Dei in nouo teſtamento, qui ſpiritu Dei aguntur. Rom: 8. 14. quique acceperunt ſpiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba Pater. ibidem ℣. 15. in

Chriſto Viuente fuiſſe multos Dei Filios noui teſtamenti.

quorum corda mittit Deus ſpiritum Filij ſui, Gal: 4. 6. Cùm igitur nemo diſſiteri poſſit, plurimos ante Chriſti reſurrectionem renatos fuiſſe ex Spiritu ſancto, nempe illos omnes, qui Spiritum & gratiam à Chriſto acceperunt, conſequens eſt ante Chriſti reſurrectionem, plurimos fuiſſe Filios Dei noui teſtamenti. Qui enim per ſpiritum & gratiam Chriſti regenerantur, nō poſſunt non eſſe Filij Dei noui teſtamenti. gratia enim & ſpiritus Chriſti eſt gratia & ſpiritus noui teſtamenti, & regeneratio per gratiam & ſpiritum Chriſti, eſt regeneratio per gratiam & ſpiritum noui teſtamenti.

Reſpondet Smalcius non ſequi, ſi Chriſtus ante mortem dixit, neminem intraturum in regnum cælorum, niſi renatum ex aqua & Spiritu ſancto, id ante Chriſti mortē fieri potuiſſe. Nam etiam, inquit, ante mortē dixit; *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: cùm tamen id ante mortem Chriſti fieri minimè potuerit. At Smalcius errores erroribus cumulat, & vt ſemel id quod eſt ingenuè fatear, errorum multitudine me non fatigat tantùm, ſed obruit; pluresq; abſurdos errores in eius paucis chartis, quàm in multis aliorum Hæreticorum libris deprehendo: quòd alij certos quoſdam errores propugnandos ſuſceperunt, iſte omnes. Nam & hìc quàm abſurdus error eſt, ante Chriſti mortem, neminem carnem Chriſti manducando & ſanguinem bibendo, vitam tunc ex ea manducatione conſecutum eſſe. quid enim egerunt in vltima cœna Apoſtoli? aut quo fine Chriſtus dabat illis corpus & ſanguinem ſuum, niſi vt vitam animæ conſequerentur, & quidem ipſo manducationis tempore? Sic enim promiſit Ioan: 6. 55. *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*: ſcilicet & vitam animæ, quâ viuet in æternum, habet in præſenti, & vitam corporis, ſeu immortalitatem habebit in nouiſſimo die. Nam quod pro ſe adducit, illa Chriſti verba: *Cùm videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius*, ex ijſque infert, Apoſtolos tunc demum cognituros ſpiritum eſſe, qui viuificat, carnem non prodeſſe quidquam, nec verba Chriſti rectè intelligit, nec ea ad propoſitum adducit. Non intelligit. Chriſtus enim in ijs verbis reprehendi Iudæos à minori ad maius argumentando, quòd qui minora nolebant credere, maiora minus credituri eſſent. Magis enim credibile eſt, Chriſtum præſentē, carnem ſuam ad manducan-

ducandum dare poſſe, quàm abſentem, & in cælos aſcendentem. *Hoc vos,* inquit, *ſcandalizat? ſi ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius,* multò maiorem rationem ſcandali habebitis. Quod ſi oppoſita interpretatio eſt admittenda, vt ceſſaturum ſcandalū prædici intelligatur, cognita Diuina Chriſti aſcendentis maieſtate: ea expoſitio Smalcium nihil iuuat, nec ex ea quidquam concludet. ſolùm enim ſequitur, eos qui tum ſcandalizabantur ex verbis Chriſti, carnē Chriſti non manducaſſe, non verò Apoſtolos, qui plenè & integrè verbis Chriſti crediderunt, vt ibidem dicitur; & poſtea in vltima cœna ad carnis Chriſti manducationem tanquam credentes admiſſi ſunt. Iam enim extunc crediderant Apoſtoli, ſpiritum eſſe qui viuificat, carnem non prodeſſe quidquam; hoc eſt non carnali, vt alios cibos, modo; ſed Diuina prorſus & ſpirituali ratione carnē Chriſti manducandam fuiſſe; propter admirandam illam (veram tamē) carnis & ſanguinis, ſub panis & vini ſpecie exiſtentiam, quam ſola fides agnoſcit. Quod ſi locum Ioannis de manducatione ſpirituali per fidem, non de ſacramentali intelligat, multò faciliùs erroris cōuinci poteſt Smalcius. Etenim nihil clarius in ſcripturis, quàm Fidei in Chriſtum tribui vitam æternam. Cùm igitur conſtet multos ante Chriſti mortem credidiſſe in Chriſtum, & illum manducaſſe per fidem, conſequens eſt illos tunc conſecutos eſſe vitam animæ, & factos eſſe ſecundùm ſpem hæredes vitæ æternæ.

Iam verò, cùm ait Smalcius, nō poſſe concludi ex verbis Chriſti Ioan: 3. aliquos ante Chriſti mortem renaſci potuiſſe ex aqua & Spiritu S. mirari ſatis non poſſum Smalcium, tam parum Chriſto tribuere, vt ei renouationem & regenerationem ſpiritualē, ad quam efficiendam de cœlo deſcenderat, denegandam putet; cùm tamen conſtet eum paſſim & remittere peccata ſolitum, & omnes credentes in eum, vitam æternam habuiſſe. Ioan: 3. 36. quæ ſine interna hominis renouatione & regeneratione ſpirituali effici non poterant. Et ſanè Apoſtolos, nemo diffiteri poteſt fuiſſe Filios Dei per gratiam Chriſti. Eos enim Chriſtus ipſe & mundos eſſe pronunciauit; & nō de hoc mundo; & amicos ſuos, quæ & internam regenerationem indicant, & Filios eſſe Dei teſtantur.

Abſurda Smalcii doctrina.

Ad hæc omnes ij, qui tempore Chriſti credebant in Chriſtum, habebant in ſe vitam æternam. Ioan: 3. 36. Chriſtusquę disertè pronunciat,

nunciat, hanc eſſe vitam æternam, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, Ioan: 18. 3. Habere autem vitam æternam non eſt, niſi Filiorum Dei: qui per gratiam adoptionis efficiuntur hæredes vitæ æternæ. Si enim filij & hæredes. Rom: 8 conſequens igitur eſt, illos qui tempore Chriſti credebant in Chriſtum, fuiſſe Filios Dei.

Smalcius euertit ſeipſum.

Reſpondet Smalcius, ad conſtituendum Filium Dei ſub nouo Teſtamento requiri veram fidem in Chriſtum. Ad hanc verò excitandam opus eſt Chriſti reſurrectione & exaltatione. 1. Pet: 1. 3. *Regenerauit nos ad ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* & ℣. 21. *Deus ſuſcitauit eum ex mortuis, & ei gloriam dedit, vt fides & ſpes veſtra eſſet in Deo.* Sed ſeipſum euertit Smalcius. Nam vel concedit ante Chriſti reſurrectionem Apoſtolos habuiſſe veram fidem in Chriſtum, per quam vitæ æternæ hæredes efficerentur, vel negat. Si concedit, concedat oportet eos fuiſſe Filios Dei noui Teſtamenti, quia & per fidem in Chriſtum facti ſunt Filij, & tales filij, qui eſſent hæredes vitæ æternæ; quæ eſt propria adoptio Filiorum noui Teſtamenti, nempe per gratiam & fidem in Chriſtum eſſe hæredem vitæ æternæ. Si verò neget, repugnabit Chriſto, qui eos verè in ipſum fidem habuiſſe teſtatur, Ioan: 18. 8. & idcirco neminem ex eis periiſſe, niſi filium perditionis. Porrò ad fidem illam in Apoſtolis excitandam non erat tunc opus reſurrectione Chriſti, quia nondum fuerat facta. Ergo ſine tali fide explicita, Apoſtoli erant Filij Dei noui teſtamenti. Illa enim Apoſtolorum Fides, erat vera fides noui Teſtamenti, & pro ſtatu illo perfecta, atque adeò ſufficiens ad conſtituendos Filios Dei, & hæredes vitæ æternæ. Quamuis autem poſt reſurrectionem perfectiorem fidem habuerint; & plura explicitè crediderint quàm ante, tamen & ante reſurrectionem tantam habuerunt, quanta requirebatur ad faciendum Filium Dei. Fides enim quam à nobis requirit Deus ad ſalutem, eſt, vt credamus omnia quæ nobis à Deo proponuntur. quia igitur tunc non proponebantur Apoſtolis omnia explicitè credẽda, idcirco maior fides ab illis tũc nõ requirebatur. à nobis talis fides requiritur, quibus explicitè proponitur credenda Chriſti reſurrectio & gloria, vti locus citatus ex D. Petro docet. Neque verò nos idcirco ſumus alterius rationis Filij, quia plura de Chriſto credimus, quàm tunc crederent Apoſtoli: nam & modo multi rudiores

Non omni tempore fides æquè perfecta requirebatur ad ſalutem.

diores fideles multa inuincibiliter ignorant, quæ alij in ſcripturis verſati norunt & credunt: vtrique tamen ſunt fideles noui Teſtamenti, & per gratiam noui Teſtamenti, Filij Dei & hæredes vitæ æternæ.

Quocirca abſurdè Smalcius negat, Apoſtolos fuiſſe, tales Filios Dei ante Chriſti reſurrectionem & miſſionem Spiritus S. quales eſſe debent ſub nouo teſtamento. Nam filij Dei ſub nouo Teſtamento eſficiuntur per fidem veram & viuam in Chriſtum: qualem fidem Apoſtolos tunc habuiſſe dubium nō eſt, niſi eos verè Chriſtianos fuiſſe negare quis velit. neque refert quòd multa ad fidem ſpectantia tunc ignorarent: ſatis enim eſt, quòd non ignorarint Chriſtum eſſe verum Dei Filium & Saluatorem, per cuius gratiam ſalutem & vitam æternam conſequi poſſent; quæ fides & ad faciendum Filium Dei ſufficiens tunc erat, & in ea cætera, quæ ad Chriſtum pertinent implicitè continebantur, maximè cùm fides noui teſtamenti, nondum eſſet tunc perfectè explicata. Cùm verò ait Apoſtolos nō credidiſſe tunc eo modo quo ſub nouo Teſtamento credere oportet: Reſpondendum eſt, credidiſſe tunc eo modo, quo ad conſtituendum Filium Dei & hæredem vitæ æternæ, credere ſub nouo Teſtamento oportet. Neq; enim omnis Fides, quæ ſub nouo Teſtamento haberi poteſt, requiritur ad Filium Dei conſtituendum. multa enim inuincibiliter & ſine ſalutis detrimento à fidelibus ignorantur. Id verò quod ſine ſalutis iactura ignorari non poteſt, eſt quod Chriſtus ipſe explicuit Ioan: 18. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* quod Apoſtoli tunc non ignorarunt. Alia quidem plura fideles credere explicitè oportet, ſed neceſſitate præcepti, non medij: ita vt ſi ignorantia præcepti inuincibili à peccato excuſentur, iacturam ſalutis non faciant.

Apoſtoli Chriſto viuente fuerunt verè Filij Dei, noui fœderis.

Denique cùm ait, eos fideles, qui Chriſti temporibus fuerunt, non fuiſſe pares fide iis fidelibus, qui modo ſunt, dicendum eſt: Fide illa (vt ita dicam) eſſentiali, quæ ad conſtituendum filium Dei & hæredem vitæ æternæ requiritur, pares fuiſſe: impares autem earum rerum explicita fide, quæ ſi inuincibiliter ignorentur, hominem vita æterna non priuant. Ex quo patet, quod ad rationem eſſentialem filij Dei ſub nouo Teſtamento ſpectat, omnes fideles Chriſtianos, eſſe eadem ratione filios Dei per fidem veram & viuam in Chriſtum.

Fides explicita.

Iis enim qui credunt in nomine eius, dedit poteſtatem filios Dei fieri, tales inquam filios, qui non carnaliter *nati ſunt ex ſanguinibus, aut ex voluntate carnis, vel ex voluntate viri, ſed ex Deo,* vt dicitur Ioan: 1. 13. Denique dubium non eſt, eos qui Spiritum S. accipiunt, effici eo ipſo filios Dei, & hæredes vitæ æternæ: idcirco enim in ſcriptura legimus nos *accipere Spiritum adoptionis Filiorum,* & eos, *qui Spiritu Dei aguntur eſſe filios Dei.* Rom: 8. qui etiam Spiritus dicitur, *pignus hæreditatis.* Eph: 1. 14. Certum autem eſt, multos Chriſti tempore Spiritum S. accepiſſe: eo enim legitur repletus & Ioannes in vtero, & Eliſabet, & Zacharias, & Simeon: conſequens igitur eſt, Chriſti tempore fuiſſe filios Dei.

Quo ſenſu Spiritus S. non datus ante Chriſti glorificationem.

Reſpondet Smalcius. Primò, Spiritum S. non fuiſſe datum ante Chriſti glorificationem, Ioan: 7. 38. At inſigniter errat, cùm de abſoluta datione Spiritus S. verba Ioannis interpretatur contra ſcripturas, quæ multis Spiritum S. iam tum datum fuiſſe diſertis verbis affirmant, vt de Ioanne, Zacharia, Eliſabet, Simeone conſtat. Cùm igitur Ioannes ait, Spiritum non fuiſſe datum ante Chriſti glorificationem, de plenitudine illa Spiritus S. & viſibili eiuſdem effuſione accipiendum eſſe, ipſa Ioannis verba teſtantur: *Flumina,* inquit, *de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de eo ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* quibus verbis & copioſa illa effuſio Spiritus S. inſtar fluminis deſignatur, & eiuſdem viſibiles & conſpicui effectus. Certè ante Chriſti glorificationem Chriſtus Spiritum S. Apoſtolis dedit inſufflando, *Accipite,* inquit, *Spiritum S.* quod ridiculè Smalcius ad tempus proximè futurum refert; quaſi non illo ipſo tempore inſufflauerit in eos, quæ erat cerimonia dantis. Deinde ita dabat, vt illos re ipſa iuberet accipere: *Accipite,* inquit, *Spiritum S.* Ad hæc ſicut re ipſa tunc mittebat Apoſtolos, ita & Spiritu S. eos ad remittenda peccata muniebat, nec vllo vel minimo ſigno indicauit, ſe ad proximè futurum tempus reſpexiſſe.

Smalcius fingit tres Spiritus S.

Reſpondet ſecundò, ſi reuera tunc Spiritus S. datus ſit Apoſtolis, dicendum eſſe ſolis tantùm Apoſtolis datum eſſe, & non illum Spiritum, quem accepturi erant credentes in eum, qui eſt arrhabo noſtræ hæreditatis, ſed alium quendam multò inferiorem, licet eo, quo ante erant præditi, ſuperiorem. At nihil abſurdius, & magis cū ſcripturis pugnans dici potuit. quis enim vnquam vel audiuit, vel in

ſcriptu-

ſcripturis legit tres Spiritus ſanctos, eoſq́; dignitate inæquales? Certè Paulus clariſſimis verbis vnum Spiritum S. largitorem omnium donorum aſſeruit. 1. Cor: 12. 4. *Diuiſiones,* inquit, *gratiarum ſunt, idem autem Spiritus;* quem etiam Spiritũ ſanctum verſu præcedente nominauit, & ibidem ℣. 8. ait, *alii dari ſermonem ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum, alteri fidem in eodem Spiritu, alii gratiam ſanitatum in vno Spiritu, &c. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Denique ℣. 13. ait: *In vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, & omnes in vno ſpiritu,* velut Græca habent, *in vnum ſpiritum potati ſumus.* vbi docet; ſicut plura membra, quia vno ſpiritu viuificantur, vnum corpus efficiunt; ita nos omnes in vno ſpiritu baptizati ſumus, vt in vnum corpus myſticum, vno ſpiritu viuificante informatum coaleſceremus; id quod etiam alia metaphora potationis ſignificat; quia nimirum omnes eodem ſpiritu cum magna donorum plenitudine replemur & potamur.

Neque verò dicere poteſt Smalcius, Spiritum S. largitorem gratiarum, eſſe diſtinctum ab eo qui nos ſanctificat & viuificat, & eſt pignus hæreditatis. Nam & à Paulo loco citato vni eidemq́; Spiritui vtrumque tribuitur, & in die Pentecoſtes Spiritus S. in Apoſtolos deſcendens vtrumque effecit; nam eos & ſanctificauit, & gratiis omnibus repleuit, & illum Spiritum S. qui nos ſanctificare poteſt, alias quoq; minores gratias adferre poſſe, dubitari non debet. Temerè igitur & impiè, & contra omnium fidelium ſenſum res Spiritus S. à Smalcio inducuntur. Ad hæc qua fronte Smalcius aſſerit Spiritum S. quem Apoſtoli ad remittenda peccata acceperunt, eſſe multò inferiorem Spiritu ſanctificante, quem omnes in Chriſtum credentes accipiunt? Anné Spiritus remittens peccata non eſt ſanctificans? an remitti peccata ſine ſanctificatione poſſunt? ſed Smalcius ſemper eſt Smalcius, & nullum abſurdorum finem inueuit.

Spiritum S. Apoſtolis ad remittenda peccata datum, impiè Smalcius ait, eſſe multò inferiorem Spiritu ſanctificante.

Denique Smalcius ait, illos fideles repletos Spiritu S. fuiſſe quidem filios Dei, ſed non tales, quales eſſe debent ſub nouo Teſtamento. Verùm id iam ante refutatum eſt. Eodem enim Spiritu S. omnes fideles, tam qui Chriſtum ab orbe condito præceſſerunt, quàm qui Chriſtũ ſecuti ſunt, facti ſunt filij Dei, nec alij præ aliis, in eo quod ad eſſentiam filiorum attinet, aliquid peculiare habent. Nam omnes per fidem in Chriſtum Seruatorem facti ſunt Filij Dei: illi quidem creden-

Vnius modi ſunt omnes Filii Dei ab orbe condito.

credendo venturum; hi verò credendum iam veniſſe. Cumq; in eſſentia fidei conueniant, ſolùm fide magis vel minus explicita à ſe inuicem diſtinguuntur; omnes etiam idem ius filiorum Dei habent, & eandem gratiam adoptionis ad eandem hæreditatem æternam. Hebr: 11. 16. Quocirca nullo modo negari poteſt, omnes eadem ratione (quoad eſſentiam filiorũ ſpectat) eſſe Filios Dei, cùm & ex eodem Spiritu S. regenerati ſint, & eadem quoad ſubſtantiam in Chriſtum fide, & ad eandem gratiam filiorum & hæreditatem adoptati ſint, vt etiam ex Hebr: 11. 40. conſtat. Quocirca & Paulus 2. Cor: 4. 13. eundem Spiritum cum Dauide ſe habere agnoſcit.

Nullus ab orbe condito ſine fide in Chriſtum iuſtificatus.

Scio Smalcium cum ſuo Socino impiè aſſerere, homines ab initio mundi per ſolam fidem in Deum, ſine vlla fide in Chriſtum, iuſtificatos fuiſſe. quod tam impium dogma ſequenti libro ex inſtituto refellendum eſt. nunc id vnum aſſero. Si illi fideles fidem in Deum tanquam ſalutis ſuæ auctorem habuerunt, eo ipſo in Chriſtum quoque fidem habuiſſe, ſiue explicitam, ſiue implicitam. Deus enim illorum hominum non niſi per Chriſtum ſaluator extitit Chriſtum ſaluatorem promittendo. non poterant enim aliter in Deum ſaluatorem credere, niſi ſecundùm eos modos ſaluandi, quibus ſaluare nos conſtituerat. & ſanè Paulus Rom: 5. 12. expreſſè fatetur, omnibus hominibus ſalutem & iuſtificationem per gratiam Chriſti contingere. *Sicut enim per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit: multò magis gratia Dei & gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* & vt ℣. 18. dicitur: *per vnius hominis iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem.*

Fateor homines illos non ſtatim explicitè, ſed implicitè tantùm in Chriſtum credidiſſe, quòd promiſſio Diuina de dando ſaluatore, & per eum conterendo ſerpentis capite, non ſtatim explicitè fuerit propoſita, ſed primum in communi, nempe futurum aliquẽ ſaluatorem à Deo dandum; quis verò & qualis is futurus eſſet, non erat ſtatim omnibus explicatum (niſi fortè maioribus) ſed typis & figuris varijs adumbratum: poſtea verò magis expreſſa promiſſio Abrahæ facta, quòd ex eius ſemine oriundus eſſet, & omnes gentes benedicturus. Vnde & Filius Abrahæ dictus eſt: ex quo etiam tẽpore expreſſius à Patriarchis & Prophetis agnoſci & annunciari cæpit. à Dauide verò & Iſaia alijſque conſequentibus multò clariùs, &

cum

cum pluribus ac inſignioribus circumſtantijs. Tandem in lege noua clariſſimè & explicitè propoſitus eſt: ita vt Apoſtolus meritò dixerit 2. Cor: 3. 18. Nos autem reuelata facie, id eſt, ſublato velamine, gloriam Dei ſpeculantes: quod velamen non fuiſſe ſublatum ijs, qui ſub lege erant, ibidem docet. Quanquam etſi daremus Smalcio illos Fideles, qui ante Chriſtum incarnatum fuerunt, per ſolam fidem Dei, non Chriſti incarnati, iuſtificatos fuiſſe: adhuc tamen eiuſdem rationis nobiſcum Filij eſſent: quia eandem gratiam adoptionis & hæreditatis haberent: qua re Filiorum quaſi eſſentia continetur. quemadmodum enim diuerſis viis ad eundem terminum peruenitur, & per diuerſos generationis modos idem generari poteſt: idem enim ignis eſt ſiue generetur ab igne, ſiue à ſole, ſiue ex attritione: ita eiuſdem rationis Filij Dei ſunt, quicunque ad eandem hæreditatem vitæ æternæ adoptantur, etiamſi diuerſis vijs ac modis eam aſſequantur. Quocirca tales Filij Dei ſunt quoad eſſentiam ſub nouo Teſtamento, quales ſub veteri: vel quia eadem fide facti ſunt Filij Dei, vti nos ex ſcripturis credimus: vel ſi diuerſa fides concedatur, eodem tamen ſpectat & eoſdem Dei Filios facit. Ex quibus omnibus concluditur, Chriſtum non dici ea propter vnigenitum, quòd eo tempore, quo in terris agebat, præter illum nullus alter fuerit Filius Dei noui Teſtamenti: fuerunt enim etiam tunc, vti dictũ eſt, innumeri Filij Dei.

Chriſtus ſe eſſe naturalem, non adoptiuum Dei Filium conſtanter aſſeruit. CAP: VI.

QValem ſe Dei Filium prædicârit Chriſtus, vel ex illa quæſtione Matt: 22. ℣. 44. Phariſæis à Chriſto propoſita liquidò perſpicitur. *Quid vobis,* inquit, *videtur de Chriſto, cuius Filius eſt? dicunt ei, Dauid. Quomodo igitur Dauid in Spiritu vocat illum Dominum, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Si ergo vocat eum Dominum, quomodo Filius eius eſt?* qua quidem argumentatione potentiſſimè oſtendit, Chriſtum præter humanam aliam habere naturam, nempe Diuinam, ſecundùm quam Filius Dauidis dici nullo modo poſſit. Etenim theſim ac quæſtionem proponit Chriſtus de Filio ſecundùm naturam, non ſecundùm adoptionem, cuiuſnam ſecundùm naturam Chriſtus Filius ſit?

Vis argumenti Chriſti maxima, quâ Diuinã ſuam naturam demonſtrat.

Filius ſit?

lius ſit? Ad quam quæſtionem cùm Phariſæi minus ſufficienter reſpondiſſent, ſolum enim Filium Dauidis eſſe ſecundùm naturam dixerunt: Chriſtus argumento ſuo ex ſcriptura, quam Phariſæi negare non poterant, petito concludit; Chriſtum cùm Dominus à Dauide dicitur, habere aliam naturam, ſecundùm quam Dauidis Filius
1. dici non poſſit. Nam ſi accidentaria ſolùm ratione Chriſtus Dauidis Dominus diceretur, ob additam illi à Deo in Dauidem potentiam, nullam haberet vim Chriſti argumentũ: cuius tota vis in eo eſt: Si Dominus, quomodo Filius eius eſt? Filium enim alicuius fieri accidentaria ratione ſui Patris Dominum, nec impoſſibile eſt, nec ita repugnans, vt eo ſolo nomine non poſſit dici Filius eius, quia Dominus eius eſt. quot enim Filij, Domini ſuorum parentum ſunt & fuerunt? maximè ſi tale Dominium in parentes Filio diuinitùs tribua-
2. tur. Neceſſe eſt igitur, Domini nomine Diuinam Chriſti naturam contineri, ratione cuius Filius naturalis Dauidis dici nullo modo poteſt. In eoque ſenſu Domini nomen & Chriſtum accepiſſe, & Phariſæos intellexiſſe: ſcilicet ea ratione, qua Deus verus dicitur Dominus, non ſolùm ex eo conſtat, quod in nullo alio ſenſu Chriſti argumentum conſiſtere poteſt: ſed etiam quod 70. interpretes, ſecũdùm quorum interpretationem adduxit Chriſtus hoc Dauidis teſtimonium, nomen veri Dei ferè ſemper reddant voce Græca κυριος, quæ Dominum ſignificat, vti & hoc loco reddiderunt. Vtriq; enim voci κυριος, reſpondet in Hebræo vox Deum ſignificans, Iehoua & Adonai, ita vt pro eo quod eſt in Hebræo, *Dixit Deus Deo meo*, ver-
3. terint, *Dixit Dominus Domino meo*, Non eſt igitur mirum, quod & Chriſtus vocem Domini non in vulgari ſenſu vrſerit, ſed in eo ſenſu, quo ſoli Deo tribuitur, cùm ſit loco vocis *Deus* poſita: & Phariſæi ita vi argumenti Chriſti conuicti fuerint, vt non ſolùm nihil haberent quod reſponderent, ſed neque potuerint reſpondere, vt ait Euangeliſta; quæ impotentia non in ignorantiam Phariſæorum referenda eſt, ſed in ſummam ac inſolubilem Chriſti argumenti efficacitatem. Illa enim interrogatione, *Si Dominus, quomodo Filius eius eſt?* docere voluit, non poſſe Dominum, qui Diuinam naturam habeat, dici eius reſpectu Filium Dauidis naturalem.

Smalcii reſponſio inepta. Smalcius reſpondet in primis ad id, vt Chriſtus qui erat Dauidis Filius, eius eſſet Dominus, potentia tantùm in Dauide opus fuiſſe.

At erras

At errat Smalcius, nec aſſequitur argumenti Chriſti vim. Si enim potentia tantùm accidentaria ad id ſufficeret, non vſiſſet Chriſtus illam conſequentiam, *Si Dominus, quomodo Filius eius?* Sine vlla enim controuerſia Filius, potentia à Deo obtenta, poteſt eſſe Dominus ſui Patris: neque in hoc vllam apparentem vim haberet argumentum Chriſti: neque Phariſæi vllam in reſpondendo difficultatem inueniſſent. facillima enim & cuique obuia eſſet reſponſio, Dominum Dauidis eſſe poſſe Filium eius, potentia in Dauidem à Deo illi communicata. Si igitur & argumentum Chriſti debet eſſe efficax, & verificari debet quod aiunt Euangeliſtæ, Phariſæos tantam in reſpondendo difficultatem habuiſſe; neceſſe eſt affirmare, Chriſtum à Dauide, dictum eſſe Dominum, non accidentaria ratione ob nudam potentiam, ſed propter naturam Diuinam, eo modo quo Deus dicitur Dominus. Nam potentia ſola non impedit, quo minus Chriſtus ſit Dauidis ſecundùm naturam Filius; at natura Diuina impedit, ne ſecundùm eam dici poſſit, eius naturalis Filius. Hoc enim Chriſtus propoſuit, cuius Chriſtus ſit ſecundùm naturam Filius; hoc deinde argumento ſuo concluſit; ſi Dominus, quomodo Filius Dauidis ſecundùm naturam: quaſi diceret, non poteſt dici, quà Dominus, Filius Dauidis ſecundùm naturam. Natura enim alia quàm humana, non potentia opus eſt, vt Chriſtus non ſit naturalis Dauidis Filius. Nam ſi nullam aliam naturam haberet, ſed potentiam tantùm, ea non impedit quo minus ſolius Dauidis eſſet naturalis Filius. At ſi naturam Diuinam habeat, ea efficit ne ſolius Dauidis ſit naturalis Filius, ſed tam Dauidis ſecundùm carnem, quàm Dei ſecundùm Diuinitatem.

Nugatur verò Smalcius, cùm ait; ſi Chriſtus ſit Filius Dauidis, non poſſe eſſe eum eiuſdem Dominũ ratione eſſentiæ Diuinæ, quòd perſona humana Diuinam eſſentiam habere non poſſit, niſi duæ perſonæ ſtatuantur. Id enim ſatis prodit ignorantiam Smalcij; nam & perſonam humanam in Chriſto eſſe ſupponit, cùm non ſit niſi Diuina, & neſcit diſtinguere perſonam à natura; ratione cuius diſtinctionis Dei virtute fieri poteſt, vt duæ naturę in vna perſona ſubſiſtant; vti ad finem primi libri de erroribus Arianorũ ſatis demõſtrauimus.

Reſpondet ſecundò Smalcius, eam quæſtionem non fuiſſe facilem, ſed longè difficillimam: etſi enim non ſit nouum ac difficile, viui pa-

viui parentis viuum Filium dici & eſſe Dominum: tamen parentis iam pridem mortui filium, Dominum eſſe nulla vnquam ætas aut vidit aut audiuit. mortui enim cùm non ſint, nullus eorum Dominus dici poteſt, niſi quatenus efficere poteſt, vt qui eſſe deſierant & nulli erant, iterum exiſtant & reſurgant. Quibus verbis Smalcius indicat, Chriſtum à Dauide dictum Dominum propter poteſtatem, quam habebat ad illum à mortuis reſuſcitandum. Verùm in hac reſponſione multipliciter errat.

Error Smalcij multiplex. Errat inprimis, quòd impiam ſuam opinionem de animorum cum corporibus interitu, contra omnem ſcripturam & rationem obtrudit, quæ à nobis in libro primo de erroribus Arianorum confutata eſt. Homines enim mortui, licèt non ſint quoad vitam corporalem, quia vita corporali viuere deſinunt: ſunt tamen quoad eam vitam, qua ſpiritus viuunt. animæ enim noſtræ ſunt ſpiritus, & vita ſpirituum viuunt.

1\.

2\. Errat ſecundò, cùm Chriſtum eo reſpectu à Dauide Dominum ſuum dictum aſſerit, quòd haberet poteſtatem illum reſuſcitandi. Neque enim id niſi fingendo aſſeri poteſt. Quis enim credat talem ſenſum vel Chriſtum obtruſiſſe Phariſæis, vel Phariſæos de poteſtate reſuſcitandi, quæ Chriſto conueniret, tunc aliquid cogitaſſe, & propter eam ſummam in reſpondendo difficultatẽ ſenſiſſe. Vt enim aliud non dicam, euoluantur omnium Rabinorum ſcripta, & apparebit nulli vnquam veniſſe in mentem, talem verborum Pſalmi expoſitionem; tantùm abeſt, vt Phariſæi eam, tanquam certam & cõmuniter receptam tunc ſecuti fuerint. At Smalcio ſua ſomnia obtrudere non eſt nouum.

3\. Errat tertiò vel potius ſibi ipſi cõtradicit. Nam ait Phariſæos talem poteſtatem in Chriſto nullo modo tunc agnouiſſe. Atqui ſi non agnouerunt, neq; crediderunt talem poteſtatem in Chriſto; quomodo ex eo præcipuè capite vllam difficultatem in reſpondendo ſenſiſſent. Cùm enim alicui obijcitur, quod ille nullo modo verum eſſe exiſtimat, nullam in reſpondendo habet difficultatem, ſed ſine vllo negotio, negando, omni difficultate ſe liberat. Non enim difficile eſt id negare, quod ſcitur certò eſſe falſum. Quocirca aut Phariſæi de tali poteſtate in Chriſto nihil tum cogitârunt, cõtra id quod falsò illis affingit Smalcius, aut ſi cogitârunt ſed non crediderunt, vti vult Smalcius, non tacuiſſent profectò, ſed in promptu reſponſionem habuiſſent, dicendo fal-

do falſum eſſe, Chriſtum ob poteſtatem reſuſcitandi Dauidem dici in Pſalmo Dominum Dauidis. Deniq; errat, cùm Chriſti argumentum ea ratione vim habere exiſtimat. Nulla enim vis argumento 4.
Chriſti ineſſet. etenim ſi Chriſtus poteſtatem reſuſcitandi Dauidem eſt habiturus, nulla veri ſimilitudine ſequitur, eum non poſſe dici propterea Dauidis Filium; quod tamen Chriſtus vrget illis verbis, *Si Dominus, quomodo Filius?* ac ſi dicat, non poteſt id fieri. Quis enim non videt iſta inter ſe nõ pugnare, vt Filius à Deo accipiat poteſtatẽ reſuſcitandi ſuum Patrem; neque ex hoc quòd poſſet reſuſcitare ſuum Patrem, dubitari rationabiliter vllo modo poſſet, illum nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe eius Filium. Nam quod ait Smalcius, nulla ætate id viſum vel auditum eſſe vnquam; id ab ipſo ſatis ineptè & extra rem obijcitur: quia enim aliquid nunquam viſum vel auditum eſt, ex eo inferri rectè poteſt, quod ſit nouum, non verò quod ſit repugnans & fieri nõ poſſit: in Chriſti autem argumento non nouitas & ſingularitas rei, ſed repugnantia continetur: ait enim non poſſe Dominum eſſe filium naturalem Dauidis. hanc enim vim habet illa interrogatio, *Si Dominus, quomodo Filius?* Ex quibus perſpicuum eſt, & reſponſionem Smalcij nullius momenti, & argumentum Chriſti nullam vim habere poſſe, niſi de Domino ſecundùm naturam & eſſentiam Diuinam intelligatur.

Chriſtus talis Dominus, qui ſedeat à dextris Dei.

Quod etiam ex eo confirmatur. Talem enim Dominum Dauid intellexit, cui dictum ſit, *ſede à dextris meis*, hoc eſt, regna, dominare pari mecum poteſtate, vt ex Paulo Hebr. 1. conſtat: quæ tanta æqualitas in eum, qui Deus natura non ſit, cadere nullo modo poteſt: quicquid enim eſt extra Deum, infra Deum eſt, par & æquale Deo eſſe non poteſt.

Friuolum eſt quod opponit Smalcius, ſi Chriſtus iubetur ſedere ad Dei dexteram, Deum verum non eſſe. Nos enim homini id dictum eſſe aſſerimus; cui tamen, niſi ſimul & Deus verus eſſet, dici non potuiſſet, vt ſederet ad Dei dexteram pari cum Deo regnandi poteſtate.

Qui ante luciferum ſit genitus.

Idem confirmant verba ſequentia, *ex vtero ante luciferum genui te*; quæ pari ratione, vt illa quæ Chriſtus adduxit verſu primo ex interpretatione 70. habentur: quare pari ratione aut admittẽda, aut reijcienda ſunt: illis verò ſignificatur Chriſtum talem dici Dei Filium,

qui ex vtero ante luciferum genitus ſit, hoc eſt ante mundum conditum. Ex quo Diuina Chriſti natura, ſecundùm quam & ante mũdum conditum genitus eſt, & in verſu primo Dominus appellatur, concluditur.

Chriſtus prædicauit ſe vnum cum Patre Deum.

Alterum argumentum eſt, quòd teſte D. Ioanne, talem Filium Dei ſe prædicârit Chriſtus, qui eſſet vnum cum Patre, non quomodocunque ſed natura. ita enim & Iudæi Chriſti verba intellexerũt; & ea de cauſa illum & blaſphemum & dignum qui lapidibus obrueretur, iudicârunt. neque tamen Chriſtus tanto eorum ſcandalo & ſuo periculo illos falſò id exiſtimare admonuit, ſed potius multis argumentis inſtitit, vt id crederent, quantumuis blaſphemum & incredibile ipſis videretur, vti in primo de erroribus Arianorum libro copioſè à nobis demonſtratum eſt. In capite verò 5. apud Ioannem, talem ſe Filiũ eſſe aſſerebat, qui eſſet eiuſdẽ prorſus virtutis & operationis cum Patre, ita vt quæcunque Pater operaretur, hæc & Filius vnà cum Patre operaretur; neque quidquam Pater ſine Filio, neque Filius ſine Patre poſſet operari, propter vnitatem naturæ & virtutis. Et ſanè etſi ex illis verbis, *Pater meus operatur, & ego operor*, inferrent Iudæi Chriſtum ſe facere æqualem Deo, eaq́; de cauſa vellent eum interficere, *quòd non ſolùm ſolueret Sabbatum, ſed & Patrem ſuum diceret Deum, æqualem ſe faciens Deo*; nihilominus Chriſtus neq; ſcandalo Iudæorum, neque ſuæ vitæ periculo adduci potuit, vt ſuam cum Deo æqualitatem negaret, ſed eam plurimis ibidem argumentis confirmauit à ℣. 19. ad 29. Neque verò exponi poteſt Chriſtus, ac ſi de æqualitate ſecundùm quid loquatur. etenim vnitas virtutis naturalis & operationis, æqualitatis abſolutæ argumentum eſt, vti in ſecundo de erroribus Arianorum libro deduximus. Ex quibus omnibus colligitur Chriſtum, talẽ Dei Filium eſſe, qui naturam Diuinam habeat à Patre, ratione cuius & vnum naturâ ſit cum Patre, & eiuſdem prorſus virtutis & operationis, & abſolutè Patri æqualis, quæ omnia non adoptiui Filij, ſed naturalis ſunt indicia.

Chriſtus cõfeſſus eſt in iudicio ſe eſſe naturalem Dei Filium.

Tertium eiuſdem rei argumentum eſt, quòd Chriſtus cùm iuridicè à Caipha interrogatus & adiuratus eſſet, vt diceret an ipſe eſſet *Chriſtus Filius Dei benedicti*, diſertè reſpondit, *Tu dixiſti, Ego ſum.* Matth: 26. 64. Marc: 14. 62. propter quam confeſſionem & blaſphemiæ inſimulatus eſt, & ad mortem condemnatus. Non eſt autem dubium,

Caipham

Caipham interrogaſſe de Filio Dei naturali: hoc enim illi tanquam blaſphemum obijciebatur paſſim, quòd homo cùm eſſet, faceret ſeipſum Deum, & Patrem ſuum diceret Deum, æqualẽ ſe faciens Deo, Ioan: 10 33. Ioan: 5. 18. Et propter hoc, ipſum lapidare & interficere non ſemel volebant Iudæi. Hoc igitur interrogatur à Caipha, an ſcilicet ſit talis Filius Dei, qualem Iudæi ex ipſius prædicatione colligebant: nempe vnum cum Patre, naturâ æqualem cum Deo abſolutè vnius virtutis & operationis, quod eſt eſſe naturalẽDei Filium. Cùm igitur ad hanc quæſtionem Chriſtus reſponderit affirmatiuè; an non manifeſtè faſſus eſt, ſe eſſe Filium Dei naturalem: ita vt propter hanc confeſſionem cruci affixus & mortuus ſit.

Refellitur Smalcius.

Fruſtra verò tergiuerſatur Smalcius, cùm ait non poſſe ex ſubſtantia Dei generari, quòd ea vna numero ſit. hanc enim rationem inaniſſimam eſſe iam non ſemel oſtendimus: & cùm Chriſtus fateatur publicè toti Concilio Iudæorum ſe talem eſſe Dei Filium, qualem ipſi interrogabant; minimè dubitandum eſt id eſſe poſſe, quidquid humana, id eſt ſtulta ratio, in contrarium ſuggerat.

Chriſtus talem Filium Dei ſe faſſus eſt, qualem illi Iudæi obiiciebant.

Negat verò Smalcius Caipham interrogaſſe, an eſſet Dei Filius ex ſubſtantia Dei genitus, ſed ſolùm an eſſet Chriſtus promiſſus ille mundi Meſſias: cùm apud Matthæum & Marcum expreſſè dicatur Chriſtus Filius Dei. At ſuo more fucum facit: licet enim his verbis expreſſè Caiphas non interrogauerit, an eſſet Filius ex ſubſtantia Dei genitus: tamen interrogauit ſecundùm accuſationem & teſtimonia Iudæorum, qui illi hoc paſſim obiiciebant, quòd ſe talem Filium Dei faceret, qui eſſet æqualis Deo, vnius cum eo virtutis ac operationis: item qui eſſet vnum cum Patre, quiq; cùm homo eſſet, faceret ſeipſum Deum. hoc autem quid aliud eſt, quàm eſſe Filium naturalem, & ex ſubſtantia Dei genitum. Ad hæc totam blaſphemiam in hoc ponebant, quòd ſe faceret non qualemcunque Dei Filium, ſed talem qui in hominem cadere non poteſt. quod indicant illa verba Ioan: 10. *Lapidamus te de blaſphemia, quòd homo cùm ſis, facis te ipſum Deum.* Atqui quæcunque adoptiui filij ratio, quantumuis ſingularis ſit, in hominem cadere poteſt: ſola autem Filij naturalis ratio reputabatur ab illis, nullo modo cadere in hominem poſſe. hoc igitur blaſphemum reputabant, quia contra Dei honorem eſſe exiſtimabant, ſi quis alius Diuinam ſibi naturam arrogaret. Cùm igitur

Caiphas in ſua interrogatione nominet Chriſtum, addit ſimul talẽ Chriſtum, qui ſit Filius Dei benedicti; Filius inquam talis, qualem ex ore ipſius non ſemel intellexerant Iudæi. Chriſtus etiam cùm affirmauit ſe eſſe Filium Dei, non quocunque modo affirmauit ſe eſſe ſingularem Dei Filium, ſed talem, qualem obiiciebant Iudæi.

Quam legẽ citarint Iudæi ad Chriſtum occidẽdum.

Ex quo intelligitur, quo ſenſu dixerint Iudæi Pilato Ioan: 19.7. *Nos legem habemus, & ſecũdùm legẽ debet mori, quia Dei Filium ſe fecit.* Fruſtra enim Smalcius cum ſuo Socino aliam legem fingunt iactaſſe Iudæos, præter illam, quæ eſt expreſſa contra blaſphemos, Leuit: 24. 16. *qui blaſphemauerit nomen Domini, morte morietur.* Cùm enim nihil aliud niſi blaſphemiam Chriſto obiicerent, in eo quòd ſe faceret Filium Dei, meritò legem illam, quæ blaſphemos morti addici iubet, coram Pilato vrgebant, ita vt ineptè ſubſtituat Socinus aliam legem Deut: 18. quæ non eſt contra blaſphemos, ſed eos qui loquuntur in nomine Domini, quæ Deus non præcepit eis, aut qui ex nomine alienorum Deorum loquuntur: non enim tale aliquid obiiciebant Iudæi Chriſto, cùm ſe Filium Dei faceret, ſed blaſphemiam, quam in eo conſtituebant, quòd ille cùm homo eſſet, faceret ſe Deum & Dei Filium. putabant enim blaſphemum eſſe, hominem dicere naturà Deum, aut naturalem Dei Filium.

Euaſio Smalcij reiicitur.

Quare cùm ait Smalcius, potuiſſe Iudæis videri blaſphemum, hominem adeò infirmum, qualis tunc videbatur Dominus Ieſus, Chriſtum ſe & Filium Dei ſingulariſſimum iactare: non aduertit, nõ in eo quæſtionem verſari, an id potuiſſent blaſphemum iudicare, ſed an reuera iudicârint. Oſtenſum autem eſt, non in eo blaſphemiam poſuiſſe, quòd infirmus homo diceret ſe eſſe Filium Dei, ſed abſolutè quòd homo qui eſſet natura homo. Id enim indicant illa verba: *Homo cùm ſis, facis teipſum Deum.* Deinde cùm ait, Chriſtum viſum fuiſſe infirmum Iudæis; ſi quoad corpus intelligat, minimè id blaſphemum illis viſum fuiſſet, hominem corporis reſpectu infirmum, eſſe Chriſtum & Meſſiam. Non enim habebant in ſcripturis promiſſum Meſſiam viribus corporis robuſtum & inſuperabilem, ſed ſecùndùm Spiritum. Si verò intelligat viſum fuiſſe infirmum quoad Diuinam poteſtatem, id falſum eſt, cùm in Concilio publicè oppoſitum agnouerint illis verbis: *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum, omnes credent in eum.* & alibi: *Totus mundus abit poſt eum.*

eum. Non infirmi ſpiritu, ſed potentis hæc ſunt indicia. Non igitur poterant blaſphemum iudicare, quòd cùm infirmus eſſet, ſe Chriſtū faceret, & dato quòd id eſſet falſum, non tamen blaſphemum, niſi omnia falſa, blaſphema dicuntur. Nam nec illi Prophetæ, Deut: 18. qui dicebant aliquid tanquam à Deo præceptum, quod reuera præceptum non erat, tanquam blaſphemi, ſed tanquam mendaces interfici iubebantur. blaſphemus enim non eſt, niſi qui Deo aliquid ipſius Maieſtate indignum attribuit.

Chriſtum, cùm ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ Dei, naturalem eſſe Dei Filium, conuincitur. CAP: VII.

PAulus ad Hebr: 1. de Filio Dei ſic loquitur: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura* ſeu expreſſa imago *ſubſtātiæ eius,* hoc eſt Dei. quibus verbis duplici ſimilitudine Diuinam Filij Dei generationem deſcribit. Prima ſimilitudo eſt, ſplendoris & lucis. Etenim ſi Deus ſit lux, Filius Dei erit ſplendor. Sicut igitur ſplendor eſt coæternus luci: ita vt ſi lux eſſet ab æterno, ſplendor quoque eſſet ab æterno: ita Filius eſt coæternus Patri, & à Patre procedit ab æterno: & quemadmodum ſplendor ita emanat à luce, vt ſit eiuſdem naturæ & eſſentiæ cum luce: ita Filius Dei ita gignitur à Patre, vt ſit eiuſdem naturæ & eſſentiæ cum Patre. Denique vti ſplendor emanat quidē à luce; ita tamen eſt coniunctus luci, vt ab ea ſit inſeparabilis: ſic Filius gignitur à Patre: ita tamen eſt coniunctus Patri per vnitatem naturæ, vt ab eo ſit inſeparabilis. Ex quo & origo Filij Dei, & æternitas, & naturæ vnitas, & ex ea conſequens inſeparabilitas clariſſimè demonſtratur, vt vel ex eo pateat Filium naturaliter emanare à Patre; ſicut ſplendor emanat naturaliter à luce.

Generatio Filii Dei deſcribitur à Paulo ſimilitudine ſplendoris & lucis.

Smalcius ait, rectè quidem ea ſimilitudine demonſtrari, Filij Dei de ſubſtantia Dei generationem, ſi ea reuera admittatur: at minimè probari tali ſimilitudine ſpiritualē Filij generationem in Deo eſſe. poteſt enim, inquit, ea ſimilitudo non ad Filij Dei generationem & eſſentiam, ſed ad aliquid aliud adhiberi. Sicut enim, inquit, ex ſplendore res ipſa cognoſcitur: ſic gloria Dei, id eſt voluntas Dei, ex Chriſto, & per Chriſtum cognita eſt.

Verùm in primis magnum eſt pro ſententia noſtra de Filij Dei generatione & natura argumentum, quòd ea quæ à Paulo adfertur ſplendoris & lucis ſimilitudo, optimè in illam conueniant. Vero enim conſonant omnia. Deinde non ſolùm explicari, ſed & probari eam ſententiam à Paulo oſtendo. Etenim cùm Filium ſplendorem gloriæ Patris appellat, neceſſe eſt ſplendorem proportionatum & ſimilem gloriæ Patris intelligere. Cùm igitur gloria & maieſtas Patris, totam Dei perfectionem & naturam complectatur, ſplendor etiam talis gloriæ, totam Dei perfectionem & naturam comprehendet: vt potè totius Dei gloriæ ſplendor. Neque enim alicuius gloriæ & claritatis Dei, ſplendorem Filium Dei nominat, ſed abſolutè, Gloriæ, ſine vlla reſtrictione, id eſt totius gloriæ: ita vt quanta gloria eſt Patris, tantus ſit eius gloriæ ſplendor in Filio: cùm verò immenſa quædam & circumſcripta ſit gloria, maieſtas, perfectio Patris; immenſum quoque ſplendorem tantæ gloriæ, Filium eſſe oportet, vt ſic tota gloria Patris ſplendeat in Filio.

Inſulsè Smalcius Gloriam Dei, Voluntatem interpretatur.

Quare ineptè Smalcius gloriam Dei exponit voluntatem Dei. Nam neque voluntatis Dei fit hîc vlla mentio, neque voluntas Dei gloriæ & maieſtatis Dei nomine ſignificatur: denique gloriæ & maieſtatis Dei nomen multò latius patet quàm voluntatis, totamque Dei perfectionem comprehendit. Siquidem Diuinitas ipſa, & infinita Dei perfectio, eſt propria gloria ipſius.

Temerè igitur, & ſine vllo ſcripturarum fundamento, ac prorſus ad libitum, gloria Dei ad voluntatem reſtringitur. Nam quod ait in manifeſtatione Diuinæ voluntatis, potiſſimam Dei gloriam ſitam eſſe, id ſolùm oſtendit, voluntatem Dei nobis reuelatam eſſe, veluti materiam quandam gloriæ Diuinæ. At non facit, quin gloria Dei in aliis quoque Diuinis perfectionibus æquè conſiſtat: imò dubium non eſt, eam præcipuè in naturæ illius infinitæ & immenſæ perfectione conſiſtere; cùm ob ipſius Diuinam & infinitam naturam ei præcipuè honor & gloria debeatur. Ad hæc ſicut in ſequentibus verbis vocat characterem ſeu imaginem expreſſam ſubſtantiæ, non voluntatis Dei, vti mox demonſtrabimus: ita & hîc vocat ſplendorem totius gloriæ Dei, non ſolùm voluntatis. Præterea Paulus Filium Dei vocat ſplendorem gloriæ ἐπαυγασμα, id eſt ſplendorem emicantem ſeu refulgentiam lucis, vt omnino doceat, quid ſit Filius,

Dei reſpectu; nempe id quod eſt ſplendor, reſpectu lucis, naturaliter è luce emicans & refulgens: ita vt ea ſimilitudine, naturalem Filij emanationem à Patre declarare voluiſſe videatur.

Falſum enim eſt quod ait Smalcius, dici ſplendorem reſpectu noſtri, quòd nos ducat in cognitionem Dei. Nihil enim tale innuitur à Paulo, ſed Dei reſpectu dicitur ſplendor: quia gloriæ ipſius eſt ſplendor. Porrò Dei gloria eſt gloria, etſi à nobis non cognoſcatur; ſicut lux eſt lux, etſi à nemine videatur: quare & ſplendor gloriæ erit ſplendor, etſi à nobis non cognoſcatur. Nam & lux in ſeipſa ſplendet, etſi à nemine videatur. *Filius Dei dicitur ſplẽdor, reſpectu Dei.*

Quod verò Smalcius addit, in ſimilitudinibus non eſſe attendendum ad omnia, quæ in illis conſiderari poſſunt; id vti verum eſt de ſimilitudinibus, quæ non abſolutè, ſed certo quodam reſpectu, (qui ex rei, de qua tractatur, circumſtantiis colligendus eſt) adhiberi ſolent: ita hanc ſimilitudinem ex eo numero eſſe, nullo modo à Smalcio probari poteſt: cùm conſtet eam abſolutè à Paulo poſitam, & abſolutè ab omnibus interpretibus, & præcipuè à Sanctis Patribus intellectam eſſe; neque reſpectus ille limitatus ad ſolam voluntatẽ Dei nobis manifeſtandam, ex vlla loci huius circumſtantia colligi à Smalcio poteſt.

Altera ſimilitudo eſt, cùm Paulus Filium, characterem, hoc eſt expreſſam imaginem ſubſtantiæ *Dei* nominat. quibus verbis non imaginem qualemcunque nominat, ſed imaginem expreſſam & inſculptam, ſicut in cera à ſigillo: vt ità doceat, hanc imaginem eſſe Filio à Deo impreſſam per generationem. Ait autem hanc imaginẽ eſſe ſubſtantiæ; vt doceat totam Dei ſubſtantiam in hac imagine expreſſam eſſe. Et verò imaginem in eo, in quo eſt imago, ſimilitudinẽ habere neceſſe eſt, cum eo cuius eſt imago; ita vt ſi ſit imago ſecundùm æternam duntaxat formam, ſimilitudinem quoq; in forma exteriori habeat. Si verò ſit imago ſecundùm eſſentiam vel ſubſtantiam, ſimilitudinem quoque in eſſentia vel ſubſtantia eſſe neceſſe eſt. Cùm igitur Paulus dicat Filium Dei eſſe expreſſam imaginem ſubſtantiæ ipſius Diuinæ, neceſſe eſt in ſubſtantia Filium Dei, eſſe Deo ſimilem, & ſecundùm ſubſtantiam ac naturam eſſe eius imaginem. *Filius Dei expreſſa imago ſubſtantiæ Dei.*

Hîc Smalcius ait primùm, nimis eſſe certum ipſius ſubſtantiæ Dei nullam veram imaginem dari. At ſi id intelligat de imagine ab homine, *Quo ſenſu imago Dei perfecta dari non poſſit.*

homine, vel ab alio quopiam facta, id nimis certum eſſe omnes fatentur: quippe cùm id expreſſè in ſcripturis doceatur, Iſaiæ 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Nam neque ex vlla materia creata poteſt imago Dei perfecta formari; cùm res creata infinitè diſtat à perfectione Diuina; neq; vllus præter Deum poteſt Diuinam naturam cognitione comprehendere: quod ad formandam imaginem requiritur. At ſi id intelligat de imagine quam Deus ipſe exprimat, id nimis eſt falſum. Nam Deus cùm ſeipſum perfectè cõprehendit, poteſt ex conſequenti ſeipſum, qualis & quantus eſt exprimere. Naturale ſiquidem eſt, id quod cognoſcimus, cognitione ipſa exprimere, & ad modum imaginis repræſentare.

Filius Dei naturaliter eſt imago Dei.

Ait ſecundò, tali imagine nobis hominibus opus non eſſe: hominum enim reſpectu, Chriſtum imaginem Dei dici, manifeſtum eſſe arbitratur. Verùm in vtroque hallucinatur. Non enim ſi nobis tali imagine opus non ſit; ideo imago talis in ſeipſa non eſt. Deus enim non in gratiam hominum, ſed naturaliter ſuam ipſius imaginem, cognoſcendo exprimit: quippe cùm naturale cognoſcenti ſit, rei cognitæ imaginem in ſeipſo exprimere. Eſt porrò nobis opus tali imagine, etenim cùm Filius Dei ſit talis imago; neceſſe eſt vt credamus Filium Dei, talem Dei imaginem eſſe, & credendo vitam habeamus.

Similiter & in altero hallucinatur Smalcius, cùm reſpectu noſtri putat dici Chriſtum imaginem, quaſi nobis ſit imago. Vnde enim & ex quibus ſcripturis id Smalcius colligit, niſi ex capitis ſui figmẽto? cùm manifeſtum ſit Paulum de naturali Dei imagine loqui, quam Deus ipſe expreſſit. hoc enim vox χαρακτηρ denotat, ſcilicet expreſſam ſeu inſculptam, qualis viſitur in cera ex ſigillo appreſſo: talemque imaginem hoc loco omnes interpretes intellexerunt, præter iſtos veſpertiliones, qui lucem omnibus conſpicuam cernere nunquam poſſunt, & quod omnes vident, ipſi ſoli non vident. Neque verò Paulus ait, Filium Dei factum eſſe nobis imaginem, ſed abſolutè eſſe imaginem, eamque expreſſam, non ab alio proculdubio, quàm ab ipſo Deo, qui ſolus ſicut ſeipſum perfectè cognoſcit; ita ſolus ſuiipſius imaginem exprimere poteſt.

Chriſtus nõ dicitur imago reſpectu noſtri.

Fallitur autem Smalcius, cùm putat alibi Chriſtum dici imaginem reſpectu noſtri: id enim nulli hactenus viſum eſt, præterquam illi ſoli cum ſuis aſſeclis. Nam quod ait 2. Cor. 4.4. id dici, toto cælo errat.

errat. *Deus enim huius ſæculi,* id eſt diabolus, *dicitur excæcaſſe mentes infideliũ, vt nõ fulgeat in illis illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti,* (hoc eſt Euangelij, quo gloria Chriſti continetur) *qui eſt imago Dei,* hoc eſt, Chriſtus tantus eſt, vt ſit ipſius Dei viua imago, & ex conſequenti, omnem Diuinam ſapientiam & perfectionem in ſe naturaliter continens, quo nil maius ad dignitatem & maieſtatem Chriſti cõmendandam dici potuit. Nihil igitur in hac Pauli ſententia continetur, quod vel conuincat, vel leuiter etiam innuat, Chriſtum dici imaginem noſtri reſpectu, cùm dicatur potius imago ob ſuam dignitatem & maieſtatẽ. Maximum enim damnum eorum, qui non credunt Euangelio, ex eo docetur, quòd non credant Euangelio, in quo gloria Chriſti annunciatur, qui Chriſtus tantus eſt, vt ſit imago Dei, & ex cõſequenti tantus, quantus ipſe Deus, & omnem Dei ſapientiam in ſe complectẽs.

Ait tertiò, Chriſtum eſſe imaginẽ hypoſtaſis Dei, id eſt voluntatis Diuinæ. Vox enim *Deus,* ſæpè, inquit, voluntatẽ Dei ſignificat: vox autem *hypoſtaſis*, ſignificat perfectionem iſtius voluntatis. At tam duras & coactas reſponſiones afferre oportet eos, qui ab omni veritate deſtituti ſunt. Quis enim vidit vnquam vocem *Deus*, voluntatẽ ſignificare Dei? etſi enim dum cognoſcitur Dei voluntas, Deus quoque cognoſcitur; non tamen Dei voluntas vocatur Deus. Sicut neque cùm voluntas hominis cognoſcitur, vocatur voluntas *homo*; ſed alia vox hominem, alia voluntatem hominis ſignificat. Similiter nego hypoſtaſim aliud quàm ſubſtantiam vel ſubſiſtentiam ſignificare. Nam ad Hebr: 3.14. dum dicitur: *Participes Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium hypoſtaſis,* id eſt ſubſtantiæ eius, *vſq; ad finem firmum retineamus.* ſenſus eſt, ſi vti cæpit in nobis Chriſtus ſubſiſtere per fidem, initium eius ſubſiſtentiæ in nobis vſque ad finem firmum retineamus. Similiter 2.Cor: 9. 4. cùm Paulus monet Corinthios, ne imparatos eos offendat: *ne,* inquit, *erubeſcamus nos in hac hypoſtaſi*; in Græco additur, *gloriationis.* quo loco hypoſtaſis gloriationis, rectè accipi poteſt pro ſubſiſtentia gloriationis: quia enim gloriatus fuerat, illos futuros cõſtantes & ſubſiſtentes in ſuo miniſterio, idcirco ait, ne erubeſcamus in hac conſtantia & ſubſiſtentia veſtra, de qua gloriabar. In capite etiam 11. Heb: ℣. *Fides*, dicitur, *hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentia rerum ſperandarũ*: quia res ſperandæ dum ſperantur, per fidem in nobis ſubſiſtũt, donec re ipſa obtineantur.

Falſò aſſerit Smalcius voce Deus, voluntatem Dei ſignificare.

Ex quo patet, cùm nulla alia commoda expoſitio verbis Pauli de expreſſa imagine ſubſtantiæ Dei accommodari poſſit, conſequēs eſſe, Catholicam omnium ſæculorū expoſitionem de naturali imagine ſubſtantiæ Diuinæ veriſſimam eſſe: neque valet quod obijcit Smalcius, Filium dici imaginem ſubſtantiæ Dei, non Patris. Deus enim ille qui habet Filiū, eſt Pater. Cùm igitur is Deus, cuius ſubſtantiæ mētio fit, ſit is qui locutus eſt nobis in Filio, ſcilicet, ſuo; cōſequēs eſt, hunc Deū eſſe Patrē: quippe qui Filiū habeat: ita vt puēriles nugæ habendæ ſint, quas hac in re ſatis imperitè opponit Smalcius.

Chriſtum nō dici imaginem Dei ratione doctrinæ. Probatur 1.

Porrò adieceramus in Monſtris duo argumenta, quibus oſtendebamus Chriſtum non dici imaginem Dei ratione doctrinæ, quæ Smalcius ſoluere neſciuit. Vnum eſt, quia non ſeipſo, ſed ſua doctrina eſſet imago. Sicut enim pictor, qui imagine à ſe picta exprimit rem aliquam, non dicitur ipſe imago illius rei, ſed auctor imaginis: ita Chriſtus ſi ratione doctrinæ eſſet imago, non ipſe diceretur imago, ſed doctrina eius: ipſe verò ſolùm auctor eſſet imaginis. Reſpondere ad hoc niſus eſt Smalcius, Chriſtum hîc non comparari pictori, ſed imagini. quid ineptius! hoc enim eſt quod argumentū vrget, quòd Chriſtus non poſſit dici ratione doctrinæ imago, ſed auctor imaginis. Nam quod ait, Deum eſſe authorem imaginis, id verum eſt, ſed per Chriſtum: ita vt Chriſtus ſicut fuit author immediatus doctrinæ ſuæ: ita & imaginis. Similiter cùm ait, Chriſtum non ratione modi, quo fit imago, ſed ratione effecti imaginis, dici imaginem: id facilè retorquetur. Nam ſi ratione doctrinæ dicitur imago, cùm doctrina eius, non ipſe, effectum imaginis habeat, nempe expreſſionem & repræſentationem Dei, ſequetur nō ipſum ſed doctrinam eius eſſe imaginem.

2. Alterum eſt, quod pari ratione omnes Apoſtoli & omnes prædicatores eſſent imago Dei, quia eadem doctrina, quam à Chriſto acceperunt, expreſſerunt & repræſentârunt hominibus, qualis Deus eſſet. Ait quidem Smalcius, quòd Chriſtus cùm fuerit primus author talis doctrinæ, meritò ipſi ſoli tribui debet tale nomen. At errat: tum quia is, qui eſſet primus inuentor pingendarum imaginum, non idcirco appellandus eſſet imago: ergo nec Chriſtus ex eo quòd fuerit primus auctor doctrinæ, qua exprimitur Deus, debet appellari imago: tum quia eſto, quod κατ᾽ ἐξοχὴν, id eſt ſecundùm excellē-

tiam

tiam ſolus dici poſſet imago: tamen ſecundùm veritatem alij quoq; prædicatores eſſent imago Dei: quia eandem doctrinam de Deo tradiderunt. quæ enim ſecundùm excellentiam ſoli alicui tribuuntur, ſecundùm veritatem de aliis non negantur. Cùm igitur abſurdum ſit aliquem alium eſſe illa ratione imaginem Dei qua Chriſtus, ſoli enim Filio Dei hoc tribuit ſcriptura, abſurdum quoque erit ratione doctrinæ Chriſtum dici imaginem: quippe cùm Apoſtoli quoque & alij prædicatores tales imagines eſſent. Nam neq; Chriſtus ſecundùm iſtos aliter repræſentauit Deũ, niſi per doctrinam ſuam. Neq; Apoſtoli aliam doctrinam de Deo tradiderunt, quàm Chriſtus, ſed per omnia eandem; eadem igitur ratione qua Chriſtus eſſet imago Dei.

Vrget adhæc Smalcius ſui Statorij argumentum, quo probare conatur, Chriſtum non eſſe imaginem Dei ſecundùm eſſentiam, eo quòd imago debeat eſſe viſibilis: Chriſtum autem ratione eſſentiæ Diuinæ fuiſſe inuiſibilem, & à nemine conſpectum. Reſponſum à me eſt primò, dari imagines non ſolùm nobis viſibiles, ſed etiam inuiſibiles. id quod exemplo animæ & Angeli docui, quæ ſecundùm eſſentiam ſuam ſunt imago Dei: neq; tamen à nobis ſecundùm ſuam eſſentiam naturaliter videri poſſunt.

Hîc multa effutit Smalcius non minus temerè quàm abſurdè: ait enim nec animam, nec Angelos imaginem Dei eſſe, ſe vſpiam legiſſe, & probari illud poſſe ſe deſperare. At non deſperet Smalcius, ſed legat primum caput Geneſeos, in quo reperiet hominem creatum eſſe *ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* aliud, inquit, eſt creari ad imaginem, aliud eſſe imaginem. Aio, ſicut creari ad ſimilitudinem Dei & effici ſimilem Deo: ita creari ad imaginem Dei, eſt effici imaginem Dei. Sicut & Adam ibidem dicitur *genuiſſe Seth ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Gen: 5.3. Ad hæc ait, aliud eſſe hominem, aliud animam. Fateor. at hominem ſecundùm animam eſſe ad imaginem Dei, nemo eſt qui neſciat: non enim corpore, ſed animo Deo ſimilis eſt homo.

Smalcius negat Angelos eſſe cõditos ad imaginem Dei.

Ait porrò id non conſtare, an reſpectu animæ homo dicatur conditus ad imaginem Dei. At conſtitit hactenus toti mundo. quis enim neſciat animam noſtram eſſe naturam ſpiritualem, intelligentem, volentem. qualem Dei quoque naturam eſſe non eſt dubium. in natura igitur animæ, ſimilitudo & imago Dei cernitur. à qua ſimi-

Dubitat Smalcius, an homo ratione animæ ſit ad imaginem Dei.

litudine & imagine cęteræ res omnes abſunt quàm longiſſimè, ſoliq; homini & Angelo is honor à Deo attributus eſt.

At, inquit, mox additur, *& præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis, & vniuerſæ terræ*; ratione igitur poteſtatis qua rebus præeſt homo dicitur ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus. Verùm vti hæc ſimilitudo hominis cum Deo neganda non eſt, ita eſſe primariam, non eſt concedendum. Primaria enim eſt illa in natura ſpirituali & intelligente: ex qua deinde hæc quoq; tanquam ſecundaria conſequitur, vt præſit omnibus animalibus, & vniuerſæ terræ. Niſi enim naturam ſpiritualem & intelligentem haberet, & præeſſe nullo modo poſſet: ita vt ex eo quòd homo ad imaginem Dei eſt conditus, datum illi quoque ſit, vt præſit animalibus & vniuerſæ terræ tanquam Dominus. Reſponſum eſt à me ſecundò, ſi Chriſtus ſtatuatur eſſe imago Dei ſecundùm eſſentiam, non ſequi talem imaginem eſſe nobis inuiſibilem: eſſet enim nobis & in hac vita viſibilis per fidem, & in altera per ſpeciē. Hîc primùm Smalcius ait, talē Chriſti eſſentiam non agnóſci in ſcriptura. At non loquitur ad rem. hîc enim non eſt quæſtio, an Chriſtus Diuinam eſſentiam habeat; ſed an ſi ſtatuatur habere, ſequatur illam eſſe nobis inuiſibilem, vt aſſerebat Statorius. Hoc igitur non ſequi, dicimus in noſtra reſponſione, ex eoque ineptam eſſe obiectionem Statorij oſtendimus.

Abſurdè negat Smalcius, Dei eſſentiam in hac vita per fidem non videri.

Ait ſecundò, nec per fidem, nec vllo alio modo Diuinam eſſentiam eſſe viſibilem in hac vita. At hoc intolerandum eſt omnino, cùm id expreſſè Paulo repugnet dicenti: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor: 13. 12. Et ſanè res ipſa loquitur. Nam ſi in hac vita, Dei naturam & eſſentiam credimus, videmus eam per ſpeculum, & in ænigmate. Si non credimus, nec Deum credimus. Deus enim naturâ & eſſentiâ ſua Deus eſt. Multo verò minus tolerandum eſt, quod addit, an in altera vita viſibilis futura ſit eſſentia Dei, inter Theologos nondum definitum eſſe: quis enim ea de re ſecundùm ſcripturas dubitare poſſit, cùm ſcriptum ſit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth: 5. 8. & *Videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Cor: 3. 2.

Ait tertiò, videri Diuinam eſſentiam per viſionem Chriſti eſſentiæ, falſiſſimum eſſe; cùm nec ex externa hominis forma, nec ex operibus Chriſti natura Diuina videatur. Verùm dici id falſum non

poteſt,

poteſt, niſi falſitas ipſis ſcripturis tribuatur. Etenim perſpicuè Chriſtus ait, Ioan: 14.9. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* idq; propter vnitatem naturæ eſſe, ibidem mox explicat: *Non creditis,* inquit, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* hoc enim eodem loquendi modo Ioan: 10. 38. ſe eſſe vnum natura cum Patre explicuerat. Etenim cùm vtriſq; ſit communis natura, per eandem naturam & Pater in Filio eſt, & Filius in Patre; & ratione vnius naturæ, eſt etiam vna vtriuſque & inſeparabilis operatio, vt probat Chriſtus Ioan: 5. 17.

Fruſtra verò Smalcius ait, aliis quoque modis dici poſſe Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre. Nam in ſcriptura ex omnibus modis is vnus hoc loco vſurpatur, vt ſolùm reſpectu communis naturæ & operationis Pater dicatur eſſe in Filio, Filius in Patre, id quod vel ex Ioan: 10.38. patet, vbi cùm de vnitate eius cum Patre in natura agerent Iudæi, eam vnitatē per hanc mutuam inexiſtentiam declarauit, & ex operibus ſuis Diuinis credi ſibi voluit, vti ſupra in eius loci tractatione à nobis deductū eſt, & ex hoc ipſo Pauli loco deducitur. Cùm enim Filius ſit imago ſubſtantiæ Dei, ſubſtantiam Dei neceſſe eſt vt habeat. Imago enim in quo eſt imago, debet eſſe ſimilis ei, cuius eſt imago. Si igitur ſcripturæ per ſcripturas explicandæ ſunt, dicendum omnino eſt, propter communem naturam & eſſentiam fieri, vt is qui videt Filium, videat & Patrem. quæ enim vnum ſunt, vna viſione videntur.

Videre Deū non eſt cognoſcere eius voluntatem.

Inſtat Smalcius, hoc ipſum quærendum eſſe, quid ſit videre Patrem: nempe non eſt videre Patris eſſentiam, ſed voluntatem. Certū enim eſſe ait, vbicunque de viſione Dei agitur in nouo fœdere, quæ à nobis in hac vita requiritur, nunquam de viſione eſſentiæ ſed voluntatis agi, quod ex illis verbis Ioannis probat: *qui malè facit, Deum non vidit.* Sed errat Smalcius. Videre enim Patrem in ſcripturis eſt per fidem cognoſcere, quis & quantus ille ſit: & primum quod de Patre cognoſcendum eſt, eſt ipſa eius Diuina natura, ſeu quòd ſit ſolus verus Deus, vti docuit Chriſtus, Ioan: 18. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum.* Cognoſcere autem Patrem eſſe ſolum verum Deum, aliud eſt quàm cognoſcere eius voluntatem. Cùm verò ait Ioannes, *qui malè facit, non vidit Deum,* non eſt ſenſus, quòd non viderit Dei voluntatem, (mali enim vident Dei voluntatem, & idcirco mali ſunt, quia eam non implent) ſed eo modo loquendi id

dixit Ioannes, quo dicimur res aliquas non cognoſcere, quarum pretium & dignitatem non cognoſcimus: licet eas alioqui oculis videamus, & manibus palpemus. Hoc enim modo, is qui malè agit, non vidit Deum; quia nō cognoſcit quanta ſit Dei dignitas & maieſtas, ob quam dignus eſt, vt ab omnibus colatur & honoretur, & ei in omnibus obtemperetur. Falſum igitur eſt quod dicit Smalcius, vbicunque in ſcriptura agitur de videndo Deo, non agi de cognitione naturæ Diuinæ, ſed voluntatis. Videre enim Deum in hac vita, eſt illum cognoſcere per fidem, teſte Paulo, 1. Cor: 14. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate.* Per fidem autem non ſolùm cognoſcimus Dei voluntatem, ſed & naturam & omnes eius Diuinas perfectiones.

Iam verò cùm addit, ſtultiſſimum eſſe dicere, eum qui Chriſtū vidit, videre eſſentiam Dei: ſi de viſu corporali intelligat, verum id eſt: talis enim viſio circa formam hominis externam verſabatur, nec penetrabat ad cognoſcendam Chriſti Diuinitatem: at ſi de viſione per fidem ſit ſermo, ipſiſſima veritas & ſapientia eſt: eum qui Chriſtum, quoad Diuinam naturam eius, per fidem videt, ipſum quoque Patrem videre propter vnam vtriuſque naturam. Neque hoc ſtultū, ſed neceſſarium videri debet: quippe cùm omnis ratio poſtulet, vt quæ vnum natura ſunt, vna quoque viſione videantur: ſtultū porrò eſſet id de illis affirmare, qui Diuinam Chriſti naturam non credūt; quales ſunt Ariani infideles: in iis enim ea Chriſti verba, quoad hoc, non habent locum, *qui videt me, videt & Patrem meum.*

Sanctos nunc in cælis videre Deum.

Iam quod dicebamus, Chriſtum quā imago eſt, etſi à nobis in hac vita clarè conſpici non poſſit; poſſe tamen à beatis in cœlo: id ita Smalcius horret, vt nullo ſacro teſtimonio probari poſſe dicat. quis enim, inquit, vnquam audiuit, beatos nunc aliquid videre, niſi in ſchola Pontificia? Verùm horrorem meritò Smalcio debet incutere, ſuus ille atheiſmus, quo animas hominum vnâ cum corpore perire, & ante reſurrectionem non eſſe, impiè & abſurdè aſſerit. ita vt non mirum ſit eum animabus Sanctorum beatitudinem & viſionem Dei denegare, cùm illis etiam eſſe non concedat. At is error alibi à nobis refutatus eſt. hîc ſolùm dico, in ſchola Pontificia, hoc eſt in orbe toto Chriſtiano, credi & creditum eſſe ſemper, animas iuſtorum ſolutas corpore, Deum in cœlo videre: cùm id Paulus doceat, 2. Cor: 5. 6. *Dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino,* (per fidem

enim

enim ambulamus, & non per ſpeciem,) *audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* quibus verbis in primis atheiſmum illum de interitu animarum poſt mortẽ, planè iugulat Paulus, cùm ait nos peregrinari à corpore, vt ſimus præſentes ad Dominum, animo videlicet, non corpore, idq; nõ poſt reſurrectionẽ ſolùm (tunc enim non peregrinabimur à corpore, ſed corpora reſumemus) ſed ante reſurrectionem; cùm à corpore peregrinamur, vt ſimus præſentes ad Dominum. Deinde etiam errorem Smalcij de animabus iuſtorum non vidẽtibus Deum, prorſus euertit. Nam in hoc corpore ait, nos peregrinari à Domino, eo quòd Deum facie ad faciem non videamus; *per fidem enim,* inquit, *ambulamus, non per ſpeciem.* idcirco verò nos cupere peregrinari à corpore, vt ſimus præſentes ad Dominum, ſeu vt non per fidem, ſed per ſpeciem Dominum facie ad faciem videamus. Neque dici poteſt id demum poſt reſurrectionem futurum: quorſum enim vellemus in eum finem peregrinari à corpore, ſi poſtquam à corpore fuerimus peregrinati, id conſequi non poſſemus; imo nullo modo tunc ambularemus ad Dominum, nec per fidem, nec per ſpeciem, quia ſimpliciter nõ eſſemus. Expediret igitur magis nos eſſe in corpore & ambulare per fidem, vt ſi non præſentes, ſaltẽ abſentes placeremus illi, vt dicitur ℣.9. quàm peregrinari à corpore, & nullo modo ambulare, hoc eſt nec per fidẽ, nec per ſpeciem. Neq; enim peregrinando à corpore, vel dies reſurrectionis acceleraretur, vel aliquid emolumenti ad pręſentiam Domini conſequendam nobis accederet, quin damnũ potius ingens. Nam & præſentiam ad Dominum per fidem, quam in corpore habemus, perderemus; & ipſam etiam exiſtentiam animę (ſecundùm iſtos delirantes) amitteremus. En vides Smalci, quàm mendaciter atque inſipienter calumniaris ſcholam Pontificiam, dum aſſerere non erubeſcis, in ea omnia quantumuis erronea, impunè dici. Non eſt adeò effrenis, procax & petulans ſchola Pontificia, vt Racouienſe piſtrinum. in illa enim non licet, quod libet ſentire & loqui, niſi quod omnes fideles ad Apoſtolorum vſque tempora ſenſerunt ac dixerunt, nec ex ſcripturis priuato cuiuſque iudicio quidquam colligere, quod non ſit cum communi fidelium doctrina ab ipſis Apoſtolorum temporibus conſentiens: ita vt errare Pontificij non poſſint, niſi error omnibus omnium ſeculorum fidelibus ad Apoſtolos vſque tribuatur.

Refellitur ex ſcripturis animarum interitus.

tribuatur. Racouienſis piſtrini, ſeu verius haræ veſtræ immundæ id ſolemne ac proprium eſt, quoduis ſentire & proprij capitis commenta ſequi, quantumuis ea ab omnium fidelium ſenſu & fide diſſentiant; & ea pro articulis fidei habere, quæ omnis antiquitas omnibus ſæculis deteſtata eſt & pro erroribus habuit; & ſcripturas ea lege interpretari, vt quod cuique in ſcripturis contineri videtur, ſiue vera, ſiue falſa ratiocinatione, id veriſſimũ eſſe ſtatuatur: quod eſt omnium errorum & hæreſum ſeminarium: neque vlla alia res tot hæreſes peperit in mundo, niſi peruicax hæc ſcripturas interpretandi licẽtia.

Chriſtũ ſecũdum carnem, non eſſe naturalẽ Dei Filium

Tandem Smalcius defendendum reſumit Socinum, in eo quòd dixit, Chriſtum dici poſſe naturalem Dei Filium, quia ſcilicet natus ſit Dei Filius, ſiquidem ſecundùm carnem ex Spiritu ſancto conceptus eſt. verùm id à nobis iam exploſum eſt: nõ enim ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Diuinitatem Chriſtus dicitur Dei Filius; falſiſſimumque eſt, Chriſtum ob eam cauſam, quòd de Spiritu ſancto cõceptus ſit, vocari Filium Dei; cùm non id quod ex Virgine qualecunque naſciturum erat, ſe quod ſanctum, id eſt, Diuinum naſciturum erat, dicat Angelus vocandum Filium Dei: ac ex conſequenti, propter Diuinitatem, non propter carnalem generationem prædicit vocandum Filium Dei. Illa etiam de Spiritu ſancto ſecundùm carnem generatio, cùm non ſit de ſubſtantia Dei, non eſt talis, vt conſtituat naturalem Filium Dei.

Ait præterea cum Socino ſuo, eum qui ab ipſa natiuitate ſua Filius eſt Dei, & nunquam non fuit Filius Dei, poſſe dici naturalem Dei Filium. Verùm vterq; æquiuocatione rem inuoluit. Nam ſimpliciter & abſolutè is dicitur naturalis alicuius Filius, qui ſecũdùm naturam ab illo eſt. Si verò quis ſecundùm naturam ab illo non ſit, ſed tunc cùm naſcitur adoptatur in Filium, is non naturalis, ſed adoptiuus Filius dici debet. hîc enim opponimus naturalẽ Filium adoptiuo, & gratiam naturæ. non enim quidquid alicui, cùm naſcitur, conuenit, illico naturale dici debet: poſſunt enim multa ſupernaturalia homini ab ipſa natiuitate conferri à Deo: neque tamen naturaliter illa dicetur habere; ſed illa ſolùm dicuntur naturaliter haberi, quæ non ex gratia, ſed ex natura ei conueniunt.

Error Smalcianus.

Quocirca falſum eſt, quod hîc innuit Smalcius, Angelos, qui in ipſa creatione dona ſupernaturalia ſunt conſecuti, naturaliter illa

conſecu-

conſecutos eſſe: licèt enim in creatione naturam ſunt conſecuti: illa tamen dona, quia non ex natura ipſorum profluxerunt, ſed ſupra naturam ex gratia, nec naturalia dici poſſunt, neque naturaliter ijs conuenire. Impertinens verò eſt illa Smalcij diſtinctio: reſpectu cauſæ gratuita eſſe; reſpectu effectus, naturalia. Nam non ſolùm hìc cauſa gratuita eſt, ſed & effectus ipſe ſupra naturam. non enim ſatis eſt ad hoc, vt dicatur quid naturale alicui, quod illi à natiuitate cõtingat, ſed quod vel natura eius ſit, vel ex natura oriatur. Quocirca & illud falſum eſt, Ioannem Baptiſtam, qui ex vtero matris Spiritu ſancto repletus fuit, & cum iſto dono natus, dici poſſe naturaliter habuiſſe Spiritum ſanctum. Tale enim donum, etſi à natiuitate obtigerit, tamen non niſi ex accidenti: quippe non ex vi natiuitatis, ſed ex ipſa Dei gratia. Implicat enim contradictionem, gratiam Dei eſſe naturalem, Gratia enim non eſſet gratia, ſi tranſiret in naturam.

Iam cùm negat primum hominem in ſua creatione, tam ſanctitatem quàm alia dona ſupernaturalia habuiſſe, vocatque id pro ſua ſapientia veterem & fœtidam fabulam; ſuam vel ignorantiam, vel impudentiam prodit. Etenim ſi neſciuit eam de ſanctitate primi hominis ſententiam, non vulgarium aliquorum fuiſſe, ſed communem ſanctorum (& quidem omnium ſæculorum) Patrum ſententiam, ſe imperitũ oſtendit: ſi verò id non ignorauit, temerarius prorſus atque impudens eſt, cùm ſapientiſſimis omnium ætatum Patribus tam grauem ignominiæ notam inurere non veretur, eoſque fœtidas fabulas credidiſſe & docuiſſe aſſeuerat, ſus mineruam. Nimis fœtere eum oportet, cui omnis ſanctorum Patrum doctrina fœtet. Et ſanè cùm Smalcius de Angelis id affirmet, eos videlicet in ſanctitate & donis ſupernaturalibus creatos eſſe; nulla prorſus ratio eſt, cur id primo homini neget. Nam quemadmodum ad Deum, cuius opera perfecta ſunt, pertinebat Angelos in optimo ſtatu condere, eiſque Diuina ſua & ſupernaturalia dona communicare: ita & de hominis creatione, idem exiſtimare par eſt: maximè cùm lõgè clariora huius quàm illius indicia extent in ſcriptura. Nam de primo homine vtique legimus, eum & rectum conditum fuiſſe, Eccleſiaſtes 7. 30. *& virtute veſtitum*, Eccli: 17. 2. *& inexterminabilem* creatum, Sap: 2. 23. Idem indicat illud iuſtitiæ originalis donum, quo cùm

Homo cum ſanctitate conditus à Deo eſt.

Iuſtitia originalis.

M ambo

ambo nudi eſſent, non erubeſcebant, Gen. 2. 25. non enim habebant carnē rebelem, ſed ſubiectam rationi dono iuſtitiæ originalis; quod quidem donū illico ac peccarunt, amiſerunt; *apertiq; ſunt oculi amborum vt cognoſcerent ſe nudos eſſe.* Gen: 3. 7. Quemadmodum autem Dei dono carnem habebant ſubiectam rationi; ita eiuſdem Diuinæ gratiæ dono mentem habebant ſubiectam Deo: cùm & illa carnis ſubiectio ad id ordinetur, vt mens ſit ſubiecta Deo. hocq; illud eſt, quod Pſalmo 8. de hominis à Deo conditi dignitate legimus: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* & Pſal: 48. 13. *homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Honor enim & gloria, qua coronatus eſt homo à Deo in ſua creatione, tantus fuit, vt non eſſet Angelis inferior, niſi modicū, conditione corporis; alioqui par Angelis. Pertinebat verò is honor tum ad corpus, tum ad animam. Nam & corpus primorum parentum eo honore & gloria affectum fuit, vt per donum iuſtitiæ originalis, non eſſet rebelle animæ, ſed obediens & ſubiectum: & anima eum honorem gloriamq; habuit, vt eſſet dono gratiæ ſanctificata & ſubiecta Deo: hoc vtrumque donum poſtquam per peccatum amiſit homo, honorem & gloriam ſuam amiſit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Nam iumenta neque carne ſunt ſubiecta ſpiritui, nec ſpiritu Deo. Quid æquè expreſſum de gratia & donis ſupernaturalibus Angelorū ex ſcripturis producere potuit Smalcius, & tamen gratiam & dona ſupernaturalia in Angelis agnoſcit, in homine non agnoſcit.

Porrò ex dictis eſt manifeſtum, ineptè Smalcium cum ſuo Socino vocem *Naturalis* accipere & interpretari. Ea enim vox cùm ad Filium refertur, non aliud ſignificat, niſi talem Filium, qui ſit ſecundùm naturam & de ſubſtantia alterius genitus: is enim modus eſt generandi proprius & naturalis omnibus viuentibus, & eius reſpectu Filij dicuntur naturales: quia modo naturali ex ſubſtantia parentum ſunt geniti. Quocirca alij modi, quibus aliquid dici poteſt naturale, huc non faciunt: eſt enim hic vnus peculiaris modus & ab alijs diſtinctus; quo Filius dicitur naturalis, quia eſt ex viuentis ſubſtantia genitus.

Si Chriſtus non ſit naturalis Dei Filius, ſed adoptiuus: conſequens eſt eum non eſſe verum & proprium, ſed Metaphoricum & improprium Dei Filium. CAP: VIII.

VRgentur efficaciſſimè eo argumento Ariani, quòd cùm Chriſtum non naturalem, ſed adoptiuum Dei Filium faciunt, eò rem deducant, vt non verus & proprius ſed metaphoricus & improprius Dei Filius dici debeat. Is enim qui eſt adoptiuus, non poteſt dici verus & proprius, ſed metaphoricus Filius: quippe qui idcirco dicatur Filius, quòd pro Filio habeatur, & ad hæreditatem admittatur, ac ſi verus & naturalis Filius eſſet. is porrò, qui loco veri habetur, & vt verus diligitur, verus ipſe dici non poteſt, vt ratio ipſa per ſe indicat.

Reſpondet Smalcius, ſi metaphoricus Filius intelligatur, is qui de ſubſtantia Dei non ſit genitus, Chriſtum fore Dei Filium metaphoricum ſecundùm ſcripturas. Si verò Filius metaphoricus dicatur is, qui non eſt verus & proprius, ſic Chriſtus non eſt metaphoricus Filius, imò proprius & verus propter ſimilitudinē cum Deo ſanctitatis, ſapientiæ, poteſtatis, immortalitatis. At falſum inprimis aſſerit vſpiam in ſcripturis legi, Chriſtum eſſe Filium Dei metaphoricum, aut de ſubſtantia Dei non genitum. Falſum etiam eſt, Chriſtum in ſcriptura propter ſimilitudinem cum Deo ſanctitatis, ſapientiæ, poteſtatis, immortalitatis, Filium Dei appellari: ne vno enim ſcripturæ teſtimonio id ab eo doceri & comprobari poteſt. Deinde ſua reſponſione non diſſoluit argumentum, ſed ſeipſum magis intricat & inuoluit. Etenim cùm vera & propria Filij ratio ſit, vt ſecūdùm naturam & ſubſtantiam ſit Filius, & ſecundùm eam gignatur de ſubſtantia alicuius, vt inductione in omnibus veris & proprijs Filijs patet; neceſſarium planè eſt, eum cui propria & vera Filij ratio non conuenit, verum & propriū Filium non eſſe, ſed metaphoricum & improprium, quique ſolùm propter ſimilitudinē cum vero & proprio Filio ſit Filius, non verò propter veram Filij naturam & ſubſtantiam. Cùm igitur concedat Smalcius, Chriſtum non eſſe de ſubſtantia Dei genitum, eaque de cauſa dici poſſe Filium metaphoricum; neceſſe quoque eſt, vt concedat Chriſtum non eſſe verum & proprium Dei Filium: tum quia ſi is ſolùm, qui de ſubſtantia alicuius

Quid ſit eſſe verum ac proprium Filium.

cuius gignitur, eſt verus & proprius Filius, proculdubio qui talis non eſt, non erit verus & proprius Filius, ſed vero & proprio ſimilis. tum quia eſſe metaphoricum & verum ac propriũ, è diametro ſibi opponuntur. metaphoricum enim per tranſlationem & ſimilitudinem cum vero, dicitur metaphoricum. verum autem eſt & dicitur tale propter eſſentiam & naturam. Implicat igitur contradictionẽ Smalcius, cùm cõtendit propter ſimilitudinem ſanctitatis, ſapientiæ, poteſtatis, Chriſtum dici verum Filium. ſecundùm eam enim rationẽ metaphoricus Filius eſt. ſimilitudo enim ad metaphoram ſpectat: natura autem & eſſentia ad veritatem rei.

Ob ſimilitudinem accidentalẽ non dicitur quis verus Filius.

Quod etiam ita declaro. Similitudo cum aliquo in aliquo dũtaxat accidente, nõ facit verè talem, vt res ipſa loquitur. non enim res dicitur vera ab accidente aliquo tantùm, ſed ab eſſentia & natura. Cùm igitur ſanctitas, ſapientia, poteſtas, immortalitas in Chriſto ſecundùm iſtos ſint accidentia, gigni ſecundùm illa non erit verè & propriè gigni, quia non eſt ſecundùm naturam & ſubſtantiam gigni, ſed ſolùm eſt gigni metaphoricè, & propter ſimilitudinẽ quandam generationis. Verus enim & proprius Filius ſecundùm naturam & ſubſtantiam gignitur, non ſecundùm nuda accidentia.

Nos dicimur metaphoricè Dei Filij ratione generationis ſpiritualis.

Accedit, quòd nos cùm per renouationem & generationem ſpiritualem dicimur ex Deo generari, dicimur metaphoricè generari, & metaphoricè denominamur Filij Dei; cuius ea ſolùm cauſa eſt, quòd non ſecundùm naturam & ſubſtantiam ex Deo generamur, ſed ſecundùm accidentia, hoc eſt ſecundùm dona, quibus interius renouamur & efficimur Filij Dei. Impoſſibile autem eſt dici aliquem verum Filium, qui non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm accidens ſit Filius. idq; ſcriptura ipſa clarè docet, non ſolùm quod nullibi nos vocat Filios Dei veros, ſed adoptiuos; verùm etiam metaphoricam noſtram generationem eſſe clariſſimè indicat: *Voluntariè,* inquit, *genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Iac: 1. 18. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui.* 1. Petr: 1. 23. ex quo perſpicuum eſt, quòd quemadmodum, verbum Dei non eſt ſemen verum & proprium, ſed metaphoricum: ita & generatio noſtra ſpiritualis, quæ fit ex homine metaphorico, nõ poteſt non eſſe metaphorica: Conuenit enim nobis ea generatio ſolum ſpiritualiter & ſimilitudinariè, non naturaliter. Quare ſicut cùm dicimur

dicimur *ſuperædificari domus ſpirituales* 1. Petr: 2. 5. *& offerre ſpirituales hoſtias*, eo ipſo non intelligimus nos eſſe domos aliquas veras, aut veras hoſtias offerre, ſed metaphoricè iſta accipimus: ita cùm dicimur ſpiritualiter regenerari ex Deo, de metaphorica generatione accipi omnino oportet. quo fit, vt ea generatio dicatur etiam in ſcripturis renouatio & creatio, imò & ablutio, ſanctificatio, iuſtificatio. Renouatio autem rei non eſt vera & propria generatio, ſicut nec creatio. Ablui etiam, ſanctificari, iuſtificari, quis dixerit eſſe verè generari? Porrò vna & eadem gratia eſt, qua & regeneramur & renouamur ſpiritualiter, & abluimur, & ſanctificamur, & iuſtificamur. Ex quo manifeſtum eſt, cum & ſemen huius generationis ſit metaphoricum, & ipſa generatio metaphorica; non poſſunt non eſſe metaphorici Filij, qui per eam generantur. Quocirca & Paulus cùm 1. Cor: 4. 15. ait, *per Euangelium ego vos genui*, de ſpirituali generatione intellexit; quæ proculdubio non verè ſed metaphoricè dicitur generatio.

Chriſtus ob ſimilitudinem cum Deo, non poteſt dici verus Dei Filius.

Hinc itaque efficitur non poſſe propter ſimilitudinem ſanctitatis, poteſtatis, ſapientiæ, Chriſtum dici verum Dei Filium; cùm nullus propter accidentia dici verus Filius poſſit, ſed ſolùm ſecundùm ſubſtantiam & naturam: quod adeò verum eſt, vt ſi cogitemus animo Patrem ſua accidentia communicaſſe Filio, non communicata ſubſtantia & natura, nequaquam vel ille verus Pater eſſet, vel alter verus ipſius Filius. Adhæc neq; nos ꝑpter ſimilitudinē, quam cū Deo habemus, dicimur veri Filij, ſed metaphorici: ſi enim ſimilitudo ſit ſolùm in accidentibus, & nō in eſſentia ac natura, nunquam faciet verum alicuius Filium, quare neque Chriſtus ob ſimilitudinem illam accidentalem cum Deo, dici poterit verus Filius.

Nam cùm Smalcius aſſerit, nos quoque veros Dei Filios eſſe, id neque vllo ſcripturæ teſtimonio comprobat, neque vlla veriſimili conſecutione inferre poteſt. Repugnat enim propter ſimilitudinem accidentalem dici aliquem verum alterius Filium. Repugnat etiam Filium, quà adoptiuus eſt, dici verum Filium. Adoptantur enim ij qui non ſunt veri Filij, & per adoptionē non efficiuntur veri Filij, ſed ex gratia habentur pro veris, & tanquam veri efficiuntur hæredes. Cùm igitur nos cum Deo ſimilitudinem duntaxat accidentalem habeamus, eamque ex gratia adoptionis, non poſſumus dici ve-

dici veri Dei Filij. Quod ſi opponat Smalcius, nos non eſſe Filios fictos ac proinde veros: refelli facilè poteſt: quippe cùm aliud ſit nos eſſe veros Filios adoptiuos; aliud veros ſimpliciter. Licèt enim adoptiuus non fictè, ſed verè & re ipſa ſit Filius adoptiuus: tamen hoc ipſum eſſe verum Filium adoptiuum, eſt non eſſe verum Filium ſimpliciter, qualis eſt naturalis & ſubſtantialis Filius.

At inquit, nos non eſſe propriè adoptiuos, cùm & in hoc ſæculo dicamur eſſe nati ex Deo, & in altero ſæculo ſimiles futuri ſimus Deo in natura, quod eſt proprium Filij veri. Error hic ſatis à nobis alibi confutatus eſt. nihil enim nobis deeſt, quod ad propriam rationem adoptionis ſpectat: id enim veram & propriam adoptionis rationem conſtituit, quòd quis admittatur in Filium, qui naturâ Filius verè non fuit. id quod in nos verè conuenit. Nam quòd dicamur & adoptari & naſci ex Deo, ea natiuitas non ſolùm non repugnat adoptationi (cùm ſit metaphorica) ſed etiam eam perficit. Perfectiori enim ratione admittimur in Filios, cùm ad hoc ipſum per internam renouationem ſpiritus perficimur, quæ vocatur metaphorica regeneratio noſtra.

Smalcianus error.

Falſum verò eſt quod addit Smalcius, nos poſt reſurrectionem futuros ſimiles in natura. Si enim tunc, Paulo teſte, corpus non quidem animale ſed ſpirituale habituri ſumus; Deus verò nullum corpus habere poteſt, neque animale, neque ſpirituale. conſequens eſt nos in natura ſimiles Deo non futuros. Nam vel corpus illud ſpirituale cenſet Smalcius eſſe diuerſæ naturæ ab iſto, quod nunc habemus: vel ſolùm eſſe proprietatibus, non natura diuerſum; ſi primum aſſerat, repugnabit Paulo ibidē dicenti, hoc corpus induturum immortalitatem: neque enim eſſet hoc ſed aliud; neque indueret immortalitatem, quia non eſſet. quod enim non eſt omnino, nec vllam habet exiſtentiam, nequit induere immortalitatem. ſi verò aſſerat ſecundum, ſeipſum euertet; corpora enim noſtra in natura & eſſentia, non erunt ſimilia Deo, cùm natura corporea longè abſit à Deo.

In cælo corpora non erunt ſimilia Deo in natura.

At inſtat Smalcius, Chriſtum propter excellentiam, qua omnes nos ſuperat, ſolum verum & proprium Filium appellari, cùm ea quæ præ alijs excellant, ſola talia eſſe dicantur in ſacris. Verùm & hîc Smalcius fucum facit, & tranſit de genere in genus, nempe à Filio adoptiuo ad verum. Filius enim adoptiuus quantumuis excellat alijs Fili-

Soluitur inſtātia Smalcij.

iis Filijs adoptiuis, nunquam verus Filius pro aliis dici poterit; quia nunquam deſinet eſſe adoptiuus: ea enim quæ faciunt Filium adoptiuum, quantumcunque ſint maxima, nunquam conſtituent Filium verum. Cùm igitur ſanctitas, ſapientia, poteſtas, faciant Filios adoptiuos, & tanquam adoptiuis conferantur à Deo, fit vt etiamſi in Chriſto hæc omnia excellant, non poſſint conſtituere Chriſtum Filium verum, ſed ſingulari quadam ratione adoptiuum. quæ enim excellunt præ alijs, in eo genere in quo excellunt, poſſunt propter excellentiam ſola dici talia, non autem extra illud genus. Cùm igitur ea præ aliis excellentia ſit in genere Filij adoptiui, non in genere Filij veri; non ſequitur reſpectu huius excellentiæ poſſe dici ſolum verum Filium. ab excellentia enim adoptiua ad veritatem, non eſt recta progreſſio.

Iam ſi dicat Smalcius Socinum ſecutus, Chriſtum dici Filium Dei verum, ea ratione qua Filij ex Deo naſci in ſcriptura dicuntur: id dicere eſt nihil dicere. Etenim cùm illa ratio, ſecundùm quam in ſcriptura dicũtur homines ex Deo naſci, ſit tota metaphorica: quippe cùm nihil aliud ſit, quàm renouatio hominis ſpiritualis per infuſionem donorum: conſequens eſt, Chriſtum quoque ſi illa ratione ex Deo natus dicatur, neque propriè dici natum, neq; verum & proprium Filium. verus enim Filius eſt is ſolùm, qui ſubſtantialiter ex aliquo naſcitur, non qui accidẽs aliquod aut proprietatem ac donum ab aliquo acquirit. Neque in rebus naturalibus quiſpiam verus alicuius Filius dicetur, niſi ſubſtantialiter & ſecundùm naturam ſit Filius, & de ſubſtantia illius genitus, caro de carne, ſanguis de ſanguine, ſubſtantia de ſubſtantia. intercedit enim neceſſariò inter Patrem & Filium conſanguinitas, ſeu ſanguinis vnitas, quæ ex deriuatione ſanguinis Paterni in Filium oritur: ſanguini verò in Deo reſpondet ſubſtantia eius Diuina & natura.

At inquit Smalcius, non dari in Deo talem generationem, qualis eſt humana: ergo nec de ſubſtantia Dei generari aliquem poſſe. At rurſum æquiuocatione rem confundit. etſi enim generatio Diuina & humana differant ſpecie, quòd illa Diuina ſit, hæc humana; illa ſpiritualis, hæc corporea: tamen in ratione communi veræ generationis conueniunt. ſiquidẽ vtraq; vera generatio ſtatuatur. Cùm igitur id quod humanam generationem veram facit, ſit, quod genitũ

ſiat de

fiat de ſubſtantia generantis, proculdubio generationi quoque Diuinæ proportionaliter ea ratio veræ generationis debet conuenire: aut ſi non conuenit, Diuina generatio, vera generatio non erit, vt potè quæ ratione veræ generationis careat. Quare cùm addit Smalcius de ſubſtantia Dei generari nil poſſe, eo ipſo negat Diuinam generationẽ veram eſſe. Quomodo autem vera generatio Deo negari poſſit, ſi Filius Dei verus conceditur?

In Deo veram generationẽ dari.

Concedit autem Smalcius Chriſtum ſecundùm ſcripturas eſſe verum Dei Filium, non quòd id in ſcripturis expreſſè aſſeratur, ſed quòd id ſcripturis conueniat, & ex eis colligatur. Nam illud D. Ioannis teſtimonium, *& ſimus in vero Filio eius*, 1. Ioan 5: 20. non admittit, quod in Græco aliter legatur, ſumus in vero in Filio eius: quaſi verò vel vulgata lectio ex Græca tranſlata non fuerit, vel vſu perpetuo Eccleſiæ & ſanctorum Patrum approbata & conſeruata non ſit, vel maior eſſe debeat Græcorum codicum, qui nunc extant, auctoritas, quàm vulgatæ editionis antiquiſſimæ & receptiſſimæ apud omnes: denique Græca, vti nunc habetur, lectio, verbis Ioannis ægrè accommodari poteſt: vulgata verò per ſe aptatur & idonea eſt. quanquam ad præſens negotium ſatis eſt nobis, ab aduerſarijs Chriſtum eſſe verum Filium Dei non negari; quod id cùm ſacris literis ſit conſentiens. licèt re ipſa verè negent, cùm illi naturam veri Filij negent, & ſolùm accidentia concedant: quæ ſine natura facere verum Filium non poſſunt.

Chriſtum non accidentaria ratione, neq; ob ſimilitudinem accidentariam cũ Deo in ſapientia, ſanctitate, poteſtate, immortalitate, dici Dei Filium, contra Arianos oſtenditur. Cap: IX.

CHriſtum non ſecundùm naturam, ſed ſecundùm accidẽtia quædam faciunt Filium Dei Ariani: in quo multipliciter errant. primùm, quòd ea ratione faciunt, Chriſtum non eſſe verum Dei Filium, vt paulò ante deduximus. Verus enim Filius ſimilis eſſe debet Patri, præcipuè in natura, non in accidentibus duntaxat: ita vt ſola ſimilitudo in accidentibus, non ſatis ſit ad aliquem Filium verum conſtituendum. ſi enim quis alicui multa ſua accidentia communicaret (quod per Dei potentiam fieri poſſet) nequaquam hic, Filius ve-

lius verus illius eſſet: quia ſecundùm naturam & ſubſtantiam non eſſet Filius. Quare neque cùm Chriſto communicatur Diuina ſapientia, poteſtas, ſanctitas, immortalitas, Chriſtus eapropter poterit dici verus Dei Filius, ſed metaphoricus & improprius. Neque enim per communicationem iſtarum qualitatum magis diceretur natus ex Deo, quàm ille alter Filius per communicationem proprietatum paternarum.

Secundò errant Ariani, cùm in quatuor illis donis eſſentiam Filij Dei collocant; cùm ex ſcriptura conſtet præter charitatem nullum aliud Dei donum ad eſſentiam Filiorũ Dei conſtituendam pertinere: ſed alia dona vel Filijs Dei iam conſtitutis tribui, vel eſſe illis cõmunia cum ijs, qui Filij non ſunt. quæ ita ſe habere clariſſimè ex ſcripturis oſtenditur. Etenim certũ eſt nos fieri filios Dei adoptiuos *per ſpiritũ adoptionis Filiorũ, in quo clamamus Abba Pater.* vt dicitur Rom: 8. 15. *qui enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei.* vt ibidem ℣. 14. dicitur: qui etiam ſpiritus dicitur, *pignus hæreditatis.* quia eſt ſpiritus Filiorum Dei, quibus promiſſa eſt hæreditas æterna; & ſicut per ipſum efficimur Filij, ita & hæredes. Porrò quid iſte ſpiritus adoptionis in nobis inhabitans efficiat, explicat Paulus Rom: 5. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Spiritus itaque ſanctus nobis datus & in nobis habitans, eſt ſpiritus charitatis, & conſtituit nos Filios Dei per charitatem à ſe in cordibus noſtris diffuſam: & ſanè meritò. Adoptio enim Filiorum eſt ex mera Dei adoptantis gratia & beneuolentia. Sicut igitur Deus efficitur Pater noſter per amorem, quia amat nos vt Filios, & tanquam Filijs promittit hæreditatem æternam; ita nos quoque efficimur Filij Dei per amorem & charitatem, qua Deum vt Patrẽ diligimus, & ab eo promiſſam hæreditatem cæleſtem expectamus, & per hanc dilectionem clamamus ad Deum, Abba Pater. Hinc igitur eſt, quòd ſcriptura paſſim doceat nos charitate effici Filios Dei, 1. Ioan: 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Prou: 8. *ego diligentes me diligo.* Ioan: 8. *qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 1. Ioan: 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus.* & cap: 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* Denique hæreditas illa cæleſtis diligentibus Deum promittitur. Iac: 1. 12. *Coronam vitæ, quam repromiſit Deus*

Sola charitas, inter omnia dona facit Dei Filios.

ſit Deus diligentibus ſe. Si igitur charitas noſtra in Deum, facit vt nos à Deo diligamur vt Filij, & vt ad illam cæleſtem hæreditatem admittamur, minimè dubitandum eſt nos charitate Filios Dei effici.

Alia dona ſine charitate non faciunt Dei Filios.

Porrò hanc vim nos conſtituendi Filios Dei, nullum aliud donum à charitate diſtinctum habere, per ſe manifeſtum eſt. Paulus enim 1 Cor: 13. id diſertè docet, nempe quæcunq; alia dona ſine charitate nihil eſſe, nihil prodeſſe, ſiue ſit donum linguarum, ſiue Prophetia, ſiue omnis ſcientia, ſiue omnis fides, ſiue facultatum in pauperes diſtributio, ſiue martyrium. Ad Gal: verò 5. 6. ait, *in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* quam etiam cap: 6. 15. vocat *nouam creaturam.* per fidem enim quæ per charitatem operatur, efficimur noua creatura. Certè ſi alia dona poſſent nos facere Filios Dei, non nihil ſed magnũ quid eſſent: quid enim maius, quàm quod me facit Filium Dei? neq; diceret Paulus, ea nihil prodeſſe, nihil valere: plurimùm enim prodeſſent & valerent, ſi nos in ſtatu Filiorum Dei collocarent. Et verò dona iſta ſunt duplicia: aut enim ſine charitate eſſe poſſunt, aut ſemper ſunt charitati coniuncta. illa non eſt dubium, nos Filios Dei efficere non poſſe. ſiquidem Paulo teſte, ſine charitate, nihil ſunt, nihil proſunt: Talia ſunt, Fides, Spes, Prophetia, donum linguarũ, poteſtas miraculorum, omnis ſcientia & ſapientia, omnium myſteriorum cognitio, denique omnis ſpecies ſanctitatis & virtutis, quæ charitatem non includat. qualis eſt, facultatum in cibos pauperum diſtributio, & traditio corporis ad martyrium: hæc enim & his ſimilia tunc aliquid ſunt & valent plurimùm, cùm charitati coniunguntur. Quocirca ſcriptura cùm Fidei tribuit, quòd per eam ſimus Filij Dei, Gal: 3. 26. *omnes eſtis Filij Dei per fidem,* non de Fide à charitate ſeiũcta loquitur, ſed de *fide quæ per charitatẽ operatur,* vti cap: 5. 6. exponitur. itaque Fides ex charitate vim ſuam accipit, ad conſtituendos nos Dei Filios. Iam ſi dona ſint ſecundi generis, quæ charitati ſemper coniuncta ſint, illa etiam non conſtituunt Dei Filios, ſed ſupponunt conſtitutos per charitatem, iiſque tanquam dona, ornamenta & decora Filiorum Dei conferuntur, quale eſt donum hæreditatis æternæ. *Si enim Filij & hæredes.* Rom: 8. Neque enim Filius cùm hæreditatem re ipſa adit, denuo efficitur Filius, ſed tanquam Filius ante exiſtens, obtinet id, quod illi vt Filio debetur.

Hinc

Hinc itaque perſpici poteſt, quàm ineptè Ariani propriam rationem & eſſentiam Filij Dei in ſapientia, poteſtate, ſanctitate, immortalitate collocant. Sola enim charitas ad conſtituendum Filium Dei adoptiuum pertinet, vt omnes ſcripturæ teſtantur. Cætera verò dona ſi charitati coniungantur, ſunt quidem Filiorum dona & ornamenta, ſed Filios Dei non conſtituunt.

Smalcius ineptè reſpõdet.

Reſpondet primùm Smalcius, homines quidem alios propter iſta dona non eſſe Dei Filios, cùm non poſſint eſſe verè pij & Dei amantes. At Chriſtus eo ipſo quòd Chriſtus eſt, ſupponitur eſſe Dei amantiſſimus & amiciſſimus Deo. Verùm ſeipſum euertit Smalcius. Etenim ſi conceditur, iſta dona poſſe eſſe in ijs, qui non ſunt Dei amantes, nec charitate præditi, ex conſequenti concedere debet ea dona, per ſe & ex ſeipſis non facere Filios Dei: quia non faciunt Dei amantes & charitate præditos; in quo eſſentia Filiorum Dei poſita eſt. ſola itaque charitas cùm faciat eos, in quibus eſt, Dei amantes & amicos Dei, hanc vim habet vt faciat Filios Dei. Nam alia omnia ſine illa id non præſtant; ipſa verò ex ſeipſa hoc habet, vt faciat homines Dei amantes & amicos tales, quibus Deus tanquam Filijs aſſignat æternam hæreditatem. Cùm verò ait Chriſtum ſupponi eſſe Dei amantiſſimum, dicere ex conſequenti debet, ſupponi eſſe Dei Filium, nec per ea dona, quæ ſupponunt illum eſſe Dei Filium, efficietur Dei Filius. Nam ea dona, cùm ex ſe non habeant hanc vim vt conſtituant Dei Filium, neque Chriſtum conſtituent, ſed ſupponent Dei Filium.

Nec poteſtas, nec ſapientia facit Dei Filios.

Reſpondet ſecundò. non dicimus, inquit, Chriſtum per ſolam poteſtatem aut ſapientiam, Filium Dei fuiſſe; ſed inter ea, quæ eum Filium Dei conſtituũt, hæc etiam numerari. Sed & id friuolum eſt. nullibi enim ſapientiæ aut poteſtati tribuitur in ſcriptura, quòd faciat Filium Dei, ſed ſoli charitati. Ergo gratis & temerè inter ea, quæ Filium Dei conſtituunt, poteſtas & ſapiẽtia adnumeratur. Adhæc ſapientiæ & poteſtati ex accidenti conuenit conſtituere Filium Dei, ſi nimirũ coniuncta ſint charitati: nam ſine charitate quantacunq; ſit poteſtas & ſapientia, nihil prodeſt ad vitam æternam; charitas verò ſine poteſtate & ſapientia, per ſeipſam facit Dei Filium. Non enim propter poteſtatem & ſapientiam, ſed propter charitatẽ diffuſam per Spiritum S. in cordibus noſtris, dat Deus nobis hæreditatem

tatem æternam: eam enim promiſit diligentibus ſe, Iac: 1. 12. Non igitur poteſtas aut ſapientia per ſe concurrit ad faciendum Filium Dei. Per id enim per quod Filius Dei conſtituitur, conſtituitur & hæres vitæ æternæ. Cùm ergo non propter ſapientiam aut poteſtatem promiſſa ſit nobis vita æterna, ſed propter charitatem, conſequens eſt, non per ſapientiam aut poteſtatem, ſed per charitatem duntaxat Filios Dei conſtitui. Ex quo patet, omnia illa dona à charitate diſtincta, ſiue ſeorſim per ſe ſumantur, ſiue coniunctim, non habere eam vim vt faciant Filios Dei, ſed id ſoli charitati acceptum referri debet.

Etiamſi ſit maxima. Reſpondet tertiò, aliquam poteſtatem miracula faciendi, & aliquam ſapientiam poſſe eſſe communem etiam ijs, qui non ſint Filij Dei, ſed non tantam quanta erat in Chriſto. Nam & ſapientia tanta erat in Chriſto, qua & res futuras & animos hominum cognitos haberet; & poteſtas tanta, vt ex ea probaret Patrē in ſe, ſe in Patre eſſe. Ioan: 3. 2. Ioan: 10.38. De immortalitate etiam certum eſt eam non poſſe dari niſi Filijs Dei. At Smalcius nihil concludit. Nam vt concedatur totam ſapientiam & poteſtatem non dari niſi Filijs Dei, ex eo tamen non ſequitur tantam ſapientiam & poteſtatē conſtituere Filios Dei, ſed ſolùm eſſe donum proprium Filiorum Dei, quod Filijs iam conſtitutis datur, ſicut & de immortalitate certum id eſt. Et ſanè nemo eſt qui non videat, iſta eſſe diuerſa. Tantam poteſtatem non dari, niſi Filijs Dei, & tantam poteſtatem conſtituere Filios Dei; hæreditas enim non datur niſi Filijs, neq; tamen idcirco conſtituit Filios. Deinde dico, etiamſi tanta poteſtas non detur, niſi Filijs, tamen quominus dari poſſit etiam non Filijs nihil repugnat. Quod ſi dari poſſit etiam non Filijs, ſequetur profectò eam ex ſe non habere talem vim, vt faciat homines Filios Dei & hæredes vitæ æternæ. Quare & cùm charitati iungitur, non ex ipſa ſed ex charitate homines fiunt Filij Dei, conuenitq; Filijs Dei, non tanquam eſſentiam Filiorum conſtituens, ſed vt donum Filijs iam conſtiutis tributum; ita vt inepta prorſus cenſenda ſit illa Smalcij illatio. Tanta poteſtas & ſapientia non poteſt dari niſi Filijs Dei. ergo Filios Dei conſtituit. quis enim adeò rudis eſt & ignarus, qui non videat, non quidquid datur ſolis Filijs Dei, Filios Dei conſtituere.

Verùm quia de immortalitate id probare contendit Smalcius, ſingulæ

ſingulæ eius probationes erunt examinandæ & refellendæ. nomine autem immortalitatis intelligit totam vitam æternam, tam ad corpus quàm ad animum ſpectantē. vult enim non ſolùm corpora noſtra eſſe ex ſe mortalia, ſed & animas, & non niſi poſt reſurrectionem immortalitatem conſecutura.

Immortalitas non facit Filios Dei.

Ait igitur eſſe impoſſibile, aliquē immortalitate prçditum eſſe, & tamen Filium Dei non eſſe: alioqui non Filio daret Deus vitam æternam. Reſpondeo primùm, ſi nomine immortalitatis vita illa beata & æterna, quæ in clara Dei viſione conſiſtit, intelligatur, ea & charitatem huius vitæ præſupponit, per quam efficimur Filij Dei: & non datur niſi filiis, cùm ſit hæreditas ipſa promiſſa. Rom: 8. *Si Filii & hæredes.* Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. ſumus enim hæredes Dei, cùm illum videndo poſſidemus, eoq; ſatiamur & fruimur. Porrò cùm hæreditas non faciat Filios ſed ſupponat, conſequens eſt, & illam vitam immortalem ac æternam, cùm ſit hæreditas Filiorum, non conſtituere Filios, ſed ipſis tanquam Filiis reddi. Quod ſi immortalitas pro corporis immortalitate in reſurrectione obtinenda ſumatur, vti ſumi ſolet à Theologis in hac materia: & à Paulo 1. Cor: 15.53. qui immortalitatē futuram ad corpus refert, cùm animus naturâ ſit immortalis: *Hoc*, inquit, *mortale, induet immortalitatem.* tunc dicendum eſſet, re ipſa quidem corporis immortalitatem non dari niſi filiis, poſſe tamen Deum, ſi poteſtate ſua abſoluta velit aliter facere, cùm id nullam contradictionem implicet, quæ regula eſt Diuinæ poteſtatis abſolutæ. Quo dato, immortalitas & gloria corporis quanta quanta fuerit, non faciet Filios Dei, & nunc cùm datur Filiis Dei, non datur ad hoc, vt eos Filios conſtituat, ſed vt ſit pars promiſſæ hæreditatis: neque omnino reſpectu illius dicuntur Filij.

Primus locus ſcripturæ expenditur.

Adducit porrò tria ſcripturæ loca malè intellecta, quibus oſtēdere nititur, immortalitate homines Filios Dei fieri. Primus eſt locus Ioan: 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Quæ verba interpretatur ac ſi Ioannes dicat, his qui per fidem ex Deo nati ſunt, datam eſſe poteſtatem Filios Dei fieri in cœlo, cùm immortalitatem illam conſequentur.

Quid ſit datam eſſe poteſtatem Filios Dei fieri.

At longè aliud docet Ioannes. Vult enim oſtendere fructum & effectum fidei, qua credimus in Chriſtum. Deus enim fidem in Chriſtum eo honore & præmio afficere voluit, vt dederit credentibus poteſtatem Filios Dei fieri. *Omnes enim nos eſſe Filios Dei per fidem,* ait S. Palus Gal: 3. 26. ita vt fides, ſit cauſa; eſſe Filium, ſit effectus. Ne verò putaremus ſecundùm carnem nos eſſe Filios Dei, mox explicat, tales nos Filios per fidem effici, qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, hoc eſt, non carnales, ſed ſpirituales filios. Non igitur vlla neceſſitas eſt, vt ea Ioannis verba, de filiis in altera vita efficiendis intelligamus, vt Smalcius vult: cuius etiam expoſitio ſcripturis repugnat, quæ immortalitatem illam, hæreditatem Filiorum, non ipſam filiationem volunt eſſe, vt mox oſtendemus.

At, inquit Smalcius, iis qui ex Deo nati ſunt, datam eſſe poteſtatem Filios Dei fieri. Sed errat: iis enim qui receperunt eum, & credunt in nomine eius, dicitur data poteſtas Filios Dei fieri, tales inquam filios, qui non ex carne, ſed ex Deo nati ſunt: ita vt illa verba, qui non ex ſanguinibus, &c. referantur ad prædicatum, non ad ſubiectũ, & ſenſus ſit: *qui filii non ex ſanguinibus, &c. ſed ex Deo nati ſunt.*

Cùm verò Smalcius vrget, iis qui credunt in nomine Chriſti, non eſt neceſſe dari poteſtatem Filios Dei fieri: eo enim ipſo quòd credunt, ſunt in ſtatu filiorum. non aduertit fidei, non ex natura ſua, ſed ex peculiari Dei gratia & priuilegio hanc poteſtatem tribui, vt per ipſam tanquam per medium perueniatur ad ſtatum Filiorum Dei in hac vita. Si enim ad fidem charitas accedat, & ſit illa fides quæ per charitatem operetur, ſequetur adoptio Filiorum Dei, & admiſſio ad hæreditatem æternam. Neque enim credere ſolum, eſt eſſe Filium Dei, ſed credendo, Deum vt Patrem diligere. In Chriſto enim non quæcunque fides valet, Paulo teſte, ſed quæ per charitatem operatur. Neque ſi quis omnem fidem habeat, charitatem autem non habeat, quidquam illi ad vitam æternam conſequendam proderit. 1. Cor: 13. 2.

Fides duplex: viua & mortua.

Ridiculus verò eſt Smalcius cùm ait, Fidem in Chriſtum nullam dari abſque charitate. nam contrarium ſcriptura docet, diſtinguens fidem duplicem, viuam & mortuam, eamque comparans viuo & mortuo corpori: corpus verò dum deſinit eſſe viuum, non deſinit eſſe cor-

eſſe corpus: quare & Fides dum deſinit eſſe viua, non deſinit eſſe Fides. ex charitate enim eſt viua: ex ſe verò eſt Fides. Idipſum autẽ res ipſa loquitur. quot enim ſunt qui credunt in Chriſtum, & non diligunt Deum, nec mandata eius ſeruant. alioqui fideles, peccando contra Dei mandata, infideles neceſſariò eſſent, & fidem in Chriſtũ neceſſariò abnegare deberent ad hoc vt peccare poſſint. Similiter cùm ait Paulum 1. Cor: 13. 2. per omnem fidem intelligere tantùm fidem miraculorum, Paulo manifeſtè repugnat dicenti, *omnem Fidem.* Fides autem miraculorum eſt tantùm quædam fides, non omnis: & ſicut dixit, omnem ſcientiam, ita & omnem fidem. Omnis enim Fides ſine charitate eſſe poteſt, cùm credere & amare ſint actus diſtincti, & ad diſtinctas potentias ſpectantes, alter ad intellectum, alter ad voluntatem, & cùm dilectio liberè, non neceſſariò conſequatur fidem, poteſt ob aliquod impedimentum non conſequi, & ſic à charitate ſeparabitur. Nam & Dæmones credunt & contremiſcunt, qui tamen omni charitate prorſus deſtituti ſunt.

Addit Smalcius credentibus non dari poteſtatem, vt per fidem Filii Dei fiant: naturaliter enim homo habet poteſtatem, poſtquam ei voluntas Dei annunciatur vt credat, & credendo Filius Dei euadat. quod quid aliud eſt quàm Pelagianiſmum ab inferis ſuſcitare, & gratiam Dei prorſus euertere. Chriſtus Ioan: *6. 66.* loquens de iis qui nolebant credere Euangelio, quod prædicari tunc audiebant, ait: *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me* (per fidem) *niſi fuerit ei datum à Patre meo.* ſeu vt ℣. 44. dixerat: *niſi Pater meus traxerit eum:* quam tractionem eſſe ait doctrinam ſeu illuſtrationem internam ℣. 45. non igitur ſolùm gratia Dei, eſt pronunciatio Euangelij, ſed vt Euangelio annunciato, credatur, Dei dono opus eſt, tractione & illuſtratione interna à Patre cœleſti: ſine qua etiamſi quis auribus pronunciari Euangelium audiat, credere tamen Euangelio non poterit. Idcirco Chriſtus ait, Deum myſteria Euangelij ſui *abſcondere à ſapientibus, & reuelare ea paruulis.* Matth: 11. quia etſi quod ad annunciationem Euangelij non abſcõdat: omnibus enim tam ſapientibus, quàm paruulis annunciatur Euangelium: tamen quo ad illuſtrationem & reuelationem internam abſcondit à ſapientibus, & paruulis reuelat; quia ſapientes tumides non illuſtrat gratia ſua, paruulos humiles illuſtrat: hos trahit, non illos: vnde & Ioan: 12. 40. dicitur: *Propterea non pote-*

Pelagianiſmus Smalcij.

non poterant credere; quia iterum dixit Iſaias, excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Excæcati igitur & obdurati non poſſunt ex ſe & naturaliter credere, niſi gratia Dei illuminentur & emolliantur ad credendum. Philip: 1. *Vobis donatum eſt non ſolùm vt in illum credatis, ſed etiam pro illo patiamini.* Non igitur hoc ſolùm donatur nobis, vt annuncietur nobis Euangelium, ſed & vt credamus Euangelio: ita vt rectè Paulus dixerit: *Gratia Dei ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Eph: 2. Non enim auditio ſola Euangelij eſt Dei donum, ſed & ipſam conſequens Fides. qua fronte igitur Smalcius audet aſſerere, naturaliter & non ex gratia Dei nos Euangelio credere? quod enim naturaliter poſſumus ex nobis eſt: quod autem non ex nobis, ſed ex Deo eſt, gratia Dei eſt.

Fidei donū eſt ſupernaturale.

Similiter & illud abſurdè à Smalcio dicitur, naturale homini eſſe, vt credat & credendo Filius Dei exiſtat. quid enim hoc aliud eſt, quàm gratiam adoptionis Filiorum, & admiſſionem eorū ad hæreditatem æternam negare, eſſe ſingulare Dei beneficiū. quod etiam Spiritus adoptionis vocatur Rom: 8.15. & pignus hæreditatis. Eph: 1.14. poterant enim fidem noſtram hoc tanto honore & priuilegio nō afficere, vt per eam Filij Dei efficeremur: quod igitur affecit, magnæ dilectionis opus fuit. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternā.* Ioan 3. Quare fides facit nos Filios Dei non naturaliter, ſed ex adiūcta promiſſione Diuina, qua omnibus promiſit adoptionem filiorū, quicunque crederent in ipſum. quam promiſſionem, ſicut poterat nō adiungere Fidei, & ſine tali promiſſione Chriſtum ad nos mittere, cùm hoc eſſet in mera eius voluntate poſitū, quem libuerit adoptare in filium vel non adoptare: gratia enim adoptionis ideo eſt gratia, quia ex pura Dei voluntate dependet: ita, quòd reuera talem promiſſionem Fidei noſtræ adiunxit, & eam per Chriſtum annunciari voluit, miram ſuam in nos charitatem & gratiam commendauit.

Alter locus ſcripturæ expenditur.

Alter locus eſt ad Rom: 8.23. *Adoptionem filiorum expectantes, redēptionem corporis noſtri.* Ex quo infert Smalcius, nos in reſurrectione adoptandos in Filios cōſecutione immortalitatis. At non poteſt Smalcius vllo argumento concludere ex Pauli verbis, adoptionem filiorum tunc primo futuram, ſed ſolùm effectis comprobandam. quæ enim in adoptione in hac vita nobis promiſſa ſunt, ea in reſurrectione conſe-

conſequemur, ita vt liberatio corporum noſtrorum dicatur adoptio, quia eſt fructus & effectus adoptionis: ea enim lege adoptamur in filios, vt ſuo tempore etiam in corpore ſimus à corruptione liberandi, id ita eſſe manifeſtiſſimum eſt. Etenim ſecundùm Paulum immortalitas corporum, non ad eſſentiam filiorum, ſed ad hęreditatem & bona filios Dei conſequentia ſpectat. *Si enim,* inquit, *filii & hæredes.* ℣. 17. Sumus autem filij per ſpiritum adoptionis, quem accipimus in hac vita, in quo clamamus Abba Pater. ℣. 15. Hæredes autem bonorum filiorum Dei efficiemur re ipſa in reſurrectione: nunc enim ſolùm ſumus ſpe hæredes, non re ipſa. Inter cætera autem bona, quæ hæreditare debemus, eſt corporum noſtrorum immortalitas & gloria. Omnia enim bona, quæ in regno cœleſti conſecuturi ſumus, vocantur hæreditas filiorum. Eph: 5. 5. *Non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei.* Col: 3. 24. *Accipietis à Domino retributionem hæreditatis.* Heb: 1. 14. *Hæreditatem capient ſalutis.* 1 Pet: 1. 4. *Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſsimo.* denique Rom: 8. 17. docet nos eſſe cohæredes Chriſti per conglorificationem: ita vt tota illa gloria cœleſtis, tam ad corpus quàm ad animam ſpectans, ſit hæreditas Filiorum Dei.

Immortalitas corporũ, non facit nos filios.

Ex quo concluditur immortalitatem non ad eſſentiam filiorum Dei ſpectare, ſed ad hæreditatem. quod & ex eo confirmatur, quòd Paulus loco citato adoptionem Filiorum Dei, quam expectamus, vocat reuelationem Filiorum. ℣. 19. non igitur vult nos tunc fieri filios adoptiuos, ſed reuelari ſeu apparere id quod ſumus. Adhæc nos non ſumus Filij Dei ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum. Spiritus enim noſter viuit Deo propter iuſtificationem, vt in eodem loco docet S. Paulus ℣. 10. immortalitas autẽ ad corpora ſpectat. 1. Cor: 15. 53.

Reſpondet Smalcius, in hac vita tam adoptionem, quàm iuſtificationem eſſe imperfectam; in altera verò futuram perfectam, cũ vitam conſequemur immortalem. at falſum eſt, adoptionem in hac vita eſſe imperfectam, ſi de eſſentia adoptionis loquamur. Nam eſſentia adoptionis non conſiſtit in actuali conſecutione hæreditatis, ſed in iure perfecto ad hæreditatem. Eſt enim perfectè Filius antequam re ipſa adeat hæreditatem paternam. Cùm igitur illa vita immortalis, quam expectamus in cœlis, ſit hæreditas Filiorum Dei,

non facit nos non eſſe perfectè filios antequam illam conſequamur, ſed potius ſupponit nos perfectè Filios, cum perfecto iure filiorum ad hæreditatem: *Si enim filii & hæredes.* Magna igitur ruditas eſt Smalcii confundentis hæreditatem cum eſſentia & adoptione Filiorum Dei.

Ruditas Smalciana.

Similiter & illa non eſt minor, cùm ait iuſtificationem in hac vita eſſe imperfectam, in altera fore perfectam. Vbi enim aliquando legit nos iuſtificari in cœlo, & gloriam cœleſtem eſſe iuſtitiam, vel iuſtificationem noſtram? cùm Paulus expreſſè iſta diſtinguat, Rom: 8.30. *Quos*, inquit, *iuſtificauit, illos & glorificauit.* Nam cùm ait nos in hoc ſeculo ſolùm in ſpe habere omnia; at re ipſa non niſi in futuro ſeculo: id ſi intelligat de bonis illis, quæ per modum hæreditatis ſunt nobis promiſſa in cœlis, verum eſt, ea à nobis ſpe ſola, non re ipſa teneri in hoc ſeculo: at ſi de adoptione & eſſentia filiorum loquatur, falſum eſt. Nos enim in hac vita non ſpe, ſed re ipſa ſumus filij Dei ex Deo nati, & vt Ioannes ait, non ſolùm nominamur, ſed & ſumus Filij Dei. Quamuis enim in cœlo iuſti, fructum iuſtificationis ſuæ conſequentur, nempe gloriam cœleſtem; iuſtitiam tamē & gratiam maiorem quàm ea ſit, in qua ex hac vita deceſſerunt, non habebunt: quocirca in ſcriptura dicitur gloria cœleſtis, corona & fructus iuſtitiæ. 2. Tim: 4. 8. Heb: 12. 11.

Smalcius falſo ait, corpus, totum hominē ſignificare.

Addit Smalcius, cùm Paulus ait, nos expectare redemptionem corporis noſtri, corporis nomine, non partem tantùm hominis, ſed hominem totum intelligere. Quid ita? quia ita Smalcio placet. vbi enim aliquando legit in ſcriptura, corpus totum hominem ſignificare? Nam quod citat in margine Rom: 12. 1. 1. Cor: 6. 14. falſum eſt his in locis, nomine corporis partem hominis non intelligi. At enim, inquit, non ſolùm corpus, ſed & anima liberabitur. quid tum? an enim quotieſcunque de liberatione corporis agitur, agi quoq; de animæ liberatione neceſſe eſt. At non eſt nouum Smalcio ſua ſomnia ſcripturis affingere.

Tertius locus ſcripturæ expenditur.

Tertius eſt locus Lucæ 20 36. *Filii Dei ſunt, cùm ſint filii reſurrectionis.* Ergo (infert Smalcius) reſurrectione Filij Dei conſtituuntur. potius intuliſſet: ergo reſurrectione Filij Dei declarantur & manifeſtantur. Nam & Paulus reſurrectionem, vocat reuelationem Filiorum Dei. Rom: 8 & non niſi Filiis Dei datur reſurgere ad vitam immortalem

Ange-

Angelis ſimilem, de qua iſthic apud Lucam agitur; veriſſimumque eſt, ex reſurrectione rectè inferri Filios Dei, ſicut ex effectu cauſam, & ex ſigno rem ipſam. Quam expoſitionem iiſdem argumentis confirmamus, quibus & præcedentis loci expoſitionem. Nam corporũ immortalitas, quam in reſurrectione obtinebimus, ad hæreditatem Filiorum Dei, non ad eſſentiam pertinet, & nos non ſecundùm corpora, ſed ſecundùm ſpiritum dicimur Filij Dei, & reſurrectio corporum ad immortalem vitam non niſi Filiis eſt promiſſa.

Reſurrectio non facit filios Dei.

Inſtat Smalcius, ex reſurrectione tanquam ex cauſa demonſtrari à Chriſto filios Dei: probat enim homines in illo ſeculo, nec nupturos, nec vxores ducturos. quia mori non poterunt: mori autem non poſſe, oſtendit ex eo, quòd ſint æquales Angelis & Filij Dei. Eſſe autem Filios Dei probat ex eo, quòd ſunt Filij reſurrectionis. Verùm iſtæ probationes Smalcium nil iuuant. Nam in cœlo non nupturos, nec vxores ducturos, rectè ex immortalitate probatur. Generatio enim mortalibus eſt neceſſaria, vt cùm per ſe viuere ſemper non poſſint, viuant per ſuos liberos, quos generant. vbi igitur homines immortales ſunt futuri, generatione & ex conſequenti vxoribus non indigebunt, Probat verò immortales futuros, tum ex eo quòd ſint æquales Angelis, quod non cauſa, ſed ſignum eſt immortalitatis: Qui enim ad conſortium & felicitatem Angelorum admittuntur, eos neceſſe eſt in immortalitate Angelis eſſe perſimiles: tum ex eo quòd ſint filij Dei. Filiis autem Dei in illo ſeculo promiſſa eſt immortalitas. Deniq; probat illos eſſe filios Dei ex reſurrectione non tanquam ex cauſa, ſed tanquam ex effectu & ſigno: ſolis enim filiis Dei eſt promiſſa reſurrectio ad vitam immortalem. neque enim de nuda reſurrectione ibi agitur, quæ etiam communis eſt iis, qui non ſunt Filij Dei; ſed de reſurrectione ad vitam immortalem. talis enim reſurrectio facit illos mori non poſſe, ac proinde neque nuptiis, neque vxoribus indigere.

Quomodo filij reſurrectionis dicantur filij Dei.

Ex quibus concludo Smalcium, cùm omnes ſcripturas peruolniſſet, nullum locum inuenire potuiſſe, quo probari poſſit immortalitate nos effici Filios Dei. ex tribus enim locis ab illo adductis, oppoſitum omnino concluditur; tantùm abeſt, vt Smalcij ſententiam confirment.

Reſtat iam, vt ad quartum caput earum rerum, quibus nos ait

effici filios Dei veniamus, ſanctitatem videlicet. Porrò nomine ſanctitatis Smalcius intelligere videtur, actiones duntaxat virtutum, non habitus: ita vt propterea Chriſto infanti negauerit ſanctitatem, quòd in illa ætate nullas actiones virtutum exercuerit.

Sanctualis non ſolùm eſt actualis ſed & habitualis.

Ait igitur, Chriſtum propter ſanctitatem meritò dici Filium Dei. Si enim charitas Filium Dei conſtituit, vt nos fatemur, ea verò in ſanctitate continetur, conſequens eſt Chriſtum ſanctitatis reſpectu dici Filium Dei. At ego in primis aio, negari non poſſe, ſanctitatem eſſe duplicem, actualem & habitualem. Etenim non ſolùm actiones noſtræ ſanctæ ſunt, ſed & principia earum, quæ dicuntur Habitus. Si enim habitus in ipſas actiones ſanctitatem influunt, quidni ipſi quoque dicantur ſancti. Neq; ſolùm tunc dicimur ſancti & Filij Dei, cùm aliquid ſancti agimus, ſed etiam citra omnem actionẽ, cùm dormimus, edimus, vel aliud quid agimus: tunc enim ſumus ſancti & filij Dei non actu ſed habitu: non enim euaneſcit illico ſanctitas poſtquam ceſſat actio, neque deſinimus eſſe filij Dei, & noua creatura in Chriſto, ſed iſta perſeuerant in nobis, etiam tunc cùm non operamur. Semen enim Dei manet in nobis, vt ait Ioannes, & Spiritus S. habitat in nobis, charitatem & dona ſua diffundens in cordibus noſtris. Rom: 5. neq; enim Spiritus S. habitat in nobis, niſi ratione donorum, quæ in nobis efficit; cùmq; non ſolùm dicatur habitare in nobis cùm ſanctum quid agimus, ſed etiam cùm nõ agimus: (non enim amittimus Spiritum S. mox ac ceſſamus ab operatione) idcirco præter actiones ſanctas efficit, in nobis ſua dona permanẽtia, quibus nos & ſanctificat & ad ſanctas actiones perficit, quę dicuntur habitus virtutum. Hæc enim ſunt illa decora & ornamenta, quibus animam tanquam ſponſam exornat, cùm in ea habitat Spiritus S. Nam neq; vlla alia maiora ornamenta animę cogitari poſſunt, quàm virtutes: neque quidquam eſt, quod animam ita pretioſam & amabilem Deo reddat, vt virtutes. neque ita cœlum ſtellis, ſicut anima virtutibus ſplendet apud Deum. & ſanè non dubium eſt Spiritum S. etiam in iis habitare, qui nullas actiones ſanctas exercent, vt ſunt infantes. Sic enim & in Ioanne adhuc in vtero exiſtente habitauit, eumq; ſanctificauit; & in aliis infantibus, quorum Chriſtus dixit eſſe regnum cœlorum, habitat: nullus enim niſi renatus ex Spiritu S. poteſt intrare in regnum cœlorum. Hi autem non poſſunt dici ſancti ſan-

ſti ſanctitate actuali, cùm nullas actiones ſanctas exercere poſſint: neceſſe igitur vt ſint ſancti, ſanctitate habituali virtutum videlicet, quas Spiritus S. diffundit in cordibus eorum.

Aio ſecundò, non quamcunque ſanctitatem ſufficere ad conſtituendos filios Dei, ſed ſolùm ſanctitatem fidei viuæ, & per charitatem operantis: hanc enim ſolam valere non ſemel Paulus docuit, vt paulò ante oſtenſum eſt. Nam etiam diſtribuere omnes facultates in cibos pauperum, & corpus proprium tradere ita vt ardeat, ſancta res eſt, & actus magnæ virtutis; ſi tamen charitas non adſit, iſta hominem filium Dei non conſtituent. Similiter Fides & Spes magnæ virtutes ſunt, ſi tamen à charitate ſeparentur, Filium Dei nō facient: ita vt veriſſimum ſit charitatem ex virtutibus eam eſſe, quæ hominem ita ſanctificet, vt Filium Dei faciat, ex eaque veluti ex fonte, omnis alia ſanctitas aliarum virtutum proficiſcitur. Mox enim ſubiungit Paulus, charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, &c. omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. *Sanctitas fidei viuæ tribuēda eſt*

Aio tertiò, nobis non Chriſto conuenire per fidem & charitatē filios Dei fieri. Fides enim per quam efficimur filij Dei, eſt fides in Chriſtum. Ioan: 1. 12. In Chriſto verò non eſt talis fides in ſeipſum, neque vlla omnino fides: non enim per fidem ambulabat, ſed per ſpeciem. Videbat enim clarè Deum, vt non ſemel ſcriptura teſtatur. Charitatem autem, etſi, quâ homo, habuit perfectiſſimam; tamen ea ſi ſit in filio naturali, non facit eum filium, ſed ſupponit: Si verò ſit in eo, qui non ſit filius naturalis, facit eum filium adoptiuum. Id quod per ſe manifeſtum eſt: parens enim naturalis etſi habet Filiū, quem & ipſe vnicè amat, & ab ipſo viciſſim impenſè amatur; non tamen propter amorem habet illum pro filio, ſed propter naturam: neque ex amore & gratia Patris dici poterit filius & hæres, ſed ex natura: neque à Patre amatur vt filius adoptatus, ſed vt naturalis. Amor igitur & charitas, nonniſi in eo, qui naturalis filius nō eſt, habet eam vim, vt eum conſtituat Filium adoptiuum. Naturalis enim filius quamuis ametur non adoptatur, neque efficitur ex gratia filius. Cùm igitur nuſquam legamus, Chriſtum eſſe Filium Dei adoptiuū, aut ex gratia factum filium, (hoc enim de nobis tantùm legimus) plurima verò alia legimus, quæ illum conuincant eſſe naturalem filium, vt ſupra demonſtratum eſt: hinc conſequitur non poſſe vllo *Charitas nos facit filios ſed non Chriſtum.*

modo concedi, Chriſtum per charitatem factum Dei Filium; non quòd charitatē perfectiſſimam non habuerit, ſed quòd per charitatē non efficiantur filij Dei, niſi ij qui adoptantur & natura filij nō ſunt: Chriſtum autem eſſe Filium adoptiuum, nullibi ſacræ literæ docent. Nos igitur Catholici cùm ex ſcripturis credamus, Chriſtum eſſe naturalem Dei Filium, dicimus conſequenter hominem illum vnione hypoſtatica eſſe factum Dei filium naturalem: ſiquidem in vnam perſonam cum Filio Dei naturali coaluit; ita vt propter perſonam Diuinam, qua ſubſiſtit in natura humana, ſit & dicatur filius Dei naturalis.

Calumnia Smalcij. Imponit verè mihi Smalcius, cùm ait, me aſſerere perſonam Diuinam ſubſiſtere in perſona humana: nihil enim magis, quàm id, in toto libro meo oppugno, demonſtroq; Chriſtum non humanam, ſed Diuinam perſonam habuiſſe: quod cùm ignorare nō potuerit Smalcius, Spiritu tamen contradictionis & maledictionis, tanquam cæſtro abreptus, verbulum quod incauto typographo excidit, exagitare & conuiciari maluit, quàm ex vera auctoris ſententia, vti ingenuum decebat, corrigere. Quanquam non in hoc vno ſuum ingeniū prodidit Smalcius. Totum enim librum ita conuitiis in Eccleſiam Catholicam, in ſanctiſſimos Patres, in Catholicos Theologos, in Smiglecium reſperſit, vt vix vnum folium reperias, quod pluribus eiuſmodi conuitiis non ſcateat; ſcilicet quod argumentis non poterat, furore Thraſonico, & verbis ac temulentia quadam animi aſſequi ſe poſſe ſperabat.

Chriſtum, neq; ſemper Dei Filium fuiſſe, dum in terris ageret; neq; ab infantia ſanctitatem vllam, aut ſapientiam, aut poteſtatem Diuinam habuiſſe; neq; poſt reſurrectionem veram immortalitatem adeptum eſſe, non minùs abſurdè, quàm impiè aſſerunt Ariani. Cap: X.

NON poſſunt Ariani ſuum de Filio Dei errorem tueri, quin plurima abſurda, impia & Chriſtianis auribus prorſus indigna effutiant. Cùm enim ſtatuunt homines propter ſimilitudinem cum Deo dici Filios Dei (quod tamen falſum eſt: non enim propter ſimilitudinem, ſed propter Spiritum adoptionis nos filios Dei fieri ſcriptura docet, neque in ea re ſimilitudinem in nobis, ſed gratiam adoptio-

adoptionis ad hæreditatem cœleſtem conſiderat) negant Chriſto in ſua infantia, omnem cum Deo ſimilitudinem, in ſanctitate, ſapientia, poteſtate, immortalitate, & ex conſequenti negant Chriſtum ea ratione Filium Dei in ſua infantia fuiſſe.

Qui error intolerandus prorſus eſt, propter ſummam in Chriſtũ blaſphemiam. Si enim Chriſtus infans nulla ſanctitate, ſapientia, poteſtate fuit prædituſ; conſequens eſt, vt nec Deus fuerit, nec Dominus, nec Chriſtus, nec Rex diuinus ac cœleſtis. Quomodo enim Deus ſine ſanctitate, Dominus ſine poteſtate, Chriſtus ſine Diuinorum donorum præ omnibus aliis conſortibus ſuis plenitudine dici aut cogitari poteſt? Porrò Iſaias puerum Deum vocat, Iſaiæ 9. Eliſabetha Dominum confitetur adhuc in vtero matris exiſtẽrem. Luc: 2. Angeli Chriſtũ Dominũ; Magi eundẽ vt Deum & Dominũ & Chriſtum diuinitùs agnoſcunt, & procidentes adorant. Quidni igitur ſi puer ille Deus erat, ſanctus quoque fuerit? ſi Dominus, Diuina poteſtate præditus? ſi Chriſtus, ſapientia & aliorum Diuinorum donorũ plenitudine vnctus præ participibus ſuis? *Blaſphemia Smalcij horrenda.*

Verùm Ariani, vt omnem impietatem expleant, blaſphemo ore non verentur dicere, Chriſtum infantem, nec Deum re ipſa fuiſſe, nec Dominum, nec Chriſtum, ſed ita appellatum, quia aliquando talis futurus erat. imo nec Saluatorem, quòd neminem tunc ſeruauerit aut ſeruare potuerit. Sic enim ſcribit impius Smalcius fol: 186. temerè ſcripturæ verba à proprio ſenſu ad improprium detorquens. quod ſolùm ſatis eſt ad hanc abſurditatem refellendam: nefas enim eſt ſcripturas ſecundùm impropriũ ſenſum ad libitum exponere, niſi id ipſum ſcriptura ipſa aliqua ratione innuat: alioqui nihil certi ex ſcripturis colligi poſſet. Quid verò ſcriptura eiuſmodi indicat, ex quo neceſſario concludatur Chriſtum reuera tunc nec Deum, nec Dominum, nec Chriſtum fuiſſe, vt ad deſignationem nudam confugere oporteat? Nam ſi ſolitam inſtantiam opponat Smalcius, quòd tunc nulla Diuinæ poteſtatis opera fecerit, nec vllum ſaluauerit, id futiliſſimum eſt ad rem tantam concludendam argumentum. Etenim ſi Chriſtus idcirco Deus & Dominus negari debet, quòd nulla opera Diuina tunc exercuerit: Deus quoq; ante mundum conditum, Deus negari debebit, quòd tunc nulla Diuinæ ſuæ poteſtatis opera exhibuerit: primum ſiquidem Diuinæ poteſtatis opus eſt mundi cre-

atio. Deus enim Deus eſt, etiamſi nullam rem vnquam condere voluiſſet. Nõ igitur eo argumento ea Dei & Domini appellatio impropria cenſenda eſt, ſed abſolutè credendũ, Chriſtũ eſſe reuera Deũ & Dominũ, quod id ſcriptura de ipſo abſolutè pronũciat, abſq; vllo impropriæ appellationis indicio. Certè ſi alias quoq; ſcripturas cõſulamus, eæ nõ longè poſt futuram Diuinitatẽ in Chriſto agnoſcunt, ſed quam in ipſa ſua natiuitate Chriſtus habuerit, cùm non alium quam Deum factum eſſe hominem docent: Verbum quod erat Deus carnem factum, Ioan 1. Eum qui in forma Dei erat, æqualis Deo, formam ſerui accepiſſe, Phil: 2. quiq; de cœlo Filius Dei venerit in hunc mundum, vti Martha confeſſa eſt, Ioan: 11. 27.

Chriſtus in infantia ſanctus. Iam verò ſi in particulari de ſanctitate Chriſti infantis loquamur, quæro à Smalcio, creditné Chriſtum ab infantia ipſa Spiritu S. plenum fuiſſe, aut non? ſi credit, fateatur oportet ſanctum quoque fuiſſe: fieri enim non poteſt, vt qui Spiritu S. plenus quis ſit, & ſanctus non ſit. Si non credit, fateri debet, Chriſtum prophanum quẽdam hominem natum eſſe. *Si enim qui Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Rom: 8. proculdubio ſi Chriſtus Spiritum Dei non habuit, Dei non fuit; prophanus igitur fuit. Quomodo igitur Angelus ſanctum illum naſciturum prædixit? *quod*, inquit, *ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Nam quod ait ſanctum appellari, quia miraculoſè genitus eſt, hoc modo omnes mortui reſuſcitati à Chriſto fuiſſent ſancti, & omnes infirmi miraculoſè ab eo curati. Aqua item in vinum conuerſa, & ficus quæ ab eo maledicta exaruit, erat ſancta: hæc enim omnia extiterunt miraculoſè. Nihil ergo plus ſanctitatis Chriſto concedit Smalcius, quem tamen ratione Diuinitatis & quâ Filius Dei eſt, ſanctum appellatum ab Angelo conſtat, ea ſcilicet ſanctitate, quæ Filio Dei conuenit, & propter quam Filius Dei meritò vocatur.

Ad hæc ſi Ioannes Baptiſta, qui ſeruus & præcurſor Chriſti fuit, Spiritu ſancto repletus fuit in vtero materno, quis id Chriſto ipſi negare audeat? quod enim ſeruo conceſſum eſt, quis Domino negatum exiſtimet? Et verò, ſi Ioanni ea gratia, non niſi reſpectu Chriſti contigit, nempe vt dignus præcurſor eius eſſet, & tanto munere dignè fungi poſſet: nulla enim alia erat tantæ gratiæ occaſio; imo quod maius eſt, ſi à Chriſto ipſo viſitante Ioannem, ea gratia Ioanni facta eſt,

ꝍa eſt, quippe cùm ad aduentum Domini & Eliſabeth repleta Spiritu S. cognouit Mariam eſſe Domini matrem; & præcurſor in vtero exiſtens, exultauit, & Dominum quoque ſuum agnouit, ita vt Chriſtus nondum natus Spiritu S. repleuerit matrem, & Filium: quis dubitare poterit ipſum Chriſtum Spiritu S. plenum fuiſſe, quem tam copioſè aliis quoque impertiit, & vt minimum, reſpectu eius Spiritus ſanctus aliis donatus fuit.

Stultum verò eſt quod ait Smalcius, Ioannem Spiritu S. repletum fuiſſe, neque tamen vllam ſanctitatem, quæ ab ipſo proficiſceretur, conſecutum eſſe. Etenim non ſolùm ea ſanctitas dici debet, quæ ab homine proficiſcitur, & ſanctitas actualis vocatur, ſed etiam ſanctitas habitualis, quæ ab homine non proficiſcitur, ſed à Spiritu ſancto diffunditur in cordibus, vera & propria ſanctitas eſt, vt capite præcedenti docuimus. quidni enim vera ſanctitas ſit, quæ in ipſas actiones ſanctitatem inducit. Quare etſi in Ioanne nulla ſanctitas actualis extitiſſet, quæ prodiret in aliquas actiones ſanctas; non ideo tamen nulla ſanctitas ex plenitudine Spiritus ſancti in eo fuiſſet. Quanquam illa exultatio Ioannis, & aduenientis Domini agnitio ac reuerentia, an non ſanctæ actiones fuerunt? deinde quid eo ſanctius, quid diuinius, qui Spiritu S. plenus eſt? Nullũ enim maius eſt ſanctitatis argumentum, quàm plenitudo Spiritus S. & quibus Spiritum S. fontem omnis ſanctitatis, donat Deus, quomodo ſanctitatem denegabit, cùm eo fine Spiritum S. donet, vt nos ſua præſentia & donis ſanctificet.

Errores Smalcij.

Quocirca multis modis hoc in loco Smalcius errat. Primùm cùm negat Chriſtum multò maiori ratione Spiritu S. repleri debuiſſe, quàm Ioannem, quod id nuſquam legatur. Nos enim ex Ioannis cum Chriſto comparatione id neceſſariò conſequi, ſatis abundè docuimus. Deinde cùm concedit poſſe quem repleri Spiritu S. neque tamen vllam ſanctitatem conſequi. Tandem cùm requirit ad hoc, vt quis repletus Spiritu S. ſanctitatem conſequatur, neceſſe eſſe, vt aliquid intelligat vel agat. Hæc enim ex dictis manifeſtè falſa.

Chriſtus ab ipſa ſui conceptione plenus Spiritu Sancto.

Verùm illud minimè ferendum, quod Smalcius negat, Chriſtũ ab ipſa ſua conceptione fuiſſe repletum Spiritu S. Nam, vt omittam id ex Ioannis cum Chriſto comparatione efficaciter deduci, certè locus apud Iſaiam tam illuſtris eſt, vt ſine temeritate negari non poſſit. Ita enim habetur Iſaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos*

de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. vbi omnium ſententia flos iſte Chriſtum deſignat, virga quoque florem hunc producens, Virginem concipientem vt deſignet, neceſſe eſt: cum ipſa verò conceptione Chriſti, quæ floris nomine indicatur, coniūgitur repletio Spiritus S. Hîc Smalcius ait, per virgam & florem, ipſummet Chriſtum deſignari. At fallitur: Flos enim de radice mediante virga aſcendit. Cùm igitur vtriuſque & virgæ & floris fiat mentio, virga florem producens, Virginem Chriſtum concipientem deſignabit. Quanquam ſi vtroq; nomine Chriſtus ſignificetur, floris tamen nomen, ipſius primum ortum abſque dubio ſignificabit.

Ait præterea ſuper florem requieſcere Spiritum S. potuiſſe, etiamſi non ab ipſo ſtatim ortu. Atqui florem primum ortum deſignare nemo ignorat: antequam enim flos in fructum coaleſcat, flos dicitur, quo optimè conceptio Chriſti indicatur, cum qua coniūgitur repletio Spiritus S. Et ſanè omnis ratio poſtulat, vt ſi Ioannes ab vtero repletus fuit Spiritu S. Chriſtus quoque eo honore non careret. Si enim Pater præ omnibus dilexit Filium, conſequens eſt, vt eum præ omnibus aliis, donis ſuis ornauerit, adultiorem ætatem non expectando, ſicut nec in Ioanne expectauit.

In baptiſmo Chriſtus nō fuit repletus Spiritu S.

At, inquit Smalcius, legimus in ipſum adulta iam ætate deſcēdiſſe Spiritum S. in ſpecie columbæ. quid tum? nos enim idem quoque legimus, ſed non tam craſſè, vt Smalcius, intelligimus. Illa enim columbæ deſcendentis ſpecies, non ad implendum, ſed ad demonſtrandum eſſe plenum Spiritu S. fuit exhibita. Multo enim ante legimus, Chriſtum plenum fuiſſe ſapientia & gratia, ſed inuiſibili ratione; poſt verò viſibili ſigno idipſum diuinitùs eſt demonſtratum, abſurdiſſimumque eſſe ait Auguſtinus lib: 15. de Trinit: 26. dicere Chriſtum trigeſimo demum anno accepiſſe Spiritum S. cùm eius præcurſor acceperit in vtero matris ſuæ. Nam ſi ad præcurſoris munus id erat neceſſarium, quantò magis ad munus ſeruatoris. Ad hæc in illa tota narratione Spiritus S. in ſpecie columbæ deſcendentis, nihil habetur de interna Spiritus S. acceptione aut repletione, imò neque de datione Spiritus S. ſed tantùm de viſibili eius ſupra Chriſtum, nō intra Chriſtum, apparitione, & de eius ſupra ipſum, non intra ipſum permanentia, vt vel ex eo nihil, præter ſignum viſibile Spiritus S.

demon-

demonſtratum eſſe intelligamus, non verò Spiritum S. Chriſto vel à Deo datum, vel ab ipſo acceptum eſſe.

Addit Smalcius in illo Iſaiæ vaticinio multa dici, quæ in Chriſti infantia impleta non ſunt, ſed multò poſt tempore implenda erant, vt quòd iudicaturus eſſet in iuſtitia & æquitate. quaſi verò neceſſe ſit, ea dona, quibus tunc repletus erat, ſtatim opere impleri. Puerilis igitur illatio Smalcij eſt, cùm ex eo, quòd iis donis nō tunc, ſed poſtea vſurus eſſet, concludit illa tunc non accepiſſe. Nam & quod ad poteſtatem iudicandi attinet, dubitari non debet, eam cum cæteris donis ab infantia accepiſſe; licet eam opere tunc nō exercuerit. Verùm non ſolùm ſanctitatem, ſed & ſapientiam Chriſto infanti negat cum Socino Smalcius, quòd ea vſum rationis, qui in infantē non cadit, requirat. At hæc ratio ineptiſſima eſt. Etenim cùm ſapientia ſumi poſſit non ſolùm in actu, ſed & in habitu, ineptum admodum eſt, negata ſapientia in actu, negare omnem ſapientiam. poteſt enim eſſe ſapiētia in habitu, etiam cùm actus ſapientiæ nullus exercetur; potuitq; Chriſtus plenus eſſe ſapientia habituali, etiamſi vſum & actum illius non haberet; ſicut & infantes rationem verè habent, etſi vſu rationis careant. Deinde & illud falſum eſt, Chriſtum in ſua infantia vſum rationis, ac ex conſequenti vſum & actū ſapientiæ non habuiſſe. Etenim licet naturaliter in infantiam vſus rationis non cadat, tamen ſupra naturam id à Deo concedi poſſe nemo dubitat: & ſicut Præcurſori id negatum nō eſt: ita multo minùs Chriſto negatum eſſe omnes Theologi fatentur, ita vt etiam in ipſo conceptionis momento Deum vidiſſe affirmare non dubitent. Id enim de Chriſto teſtantur ſacræ literæ. Si enim vſum rationis ab ipſa conceptione habuit, negari nulla veriſimili ratione poteſt, claram quoque Dei viſionem, quæ ad munus eius maximè ſpectabat, ei cōceſſam fuiſſe. Ad quam rem facit illud Hieremiæ: *Mulier circumdabit virum.* Etenim in ſua infantia Chriſtus vir non fuit mole corporis, ſed robore mentis, quod robur ad ſapientiam & fortitudinem animi pertinet. quod cùm Smalcius ad futuram in ætate virili ſapientiam refert, an non planè ridendus eſt? hoc enim modo non eſſet nouum, imo cuiuis fœminæ commune circumdare virum, quòd ille, qui tunc puer eſt, futurus aliquando ſit vir, cùm tamen Propheta id tanquam ſingulare & admirabile in Chriſto ſuſpiciat, quòd ipſe in *Chriſtus in infantia vir.*

infantia vir eſſet, & à fæmina circumdatus, cùm illum in vtero concepit.

Impudẽtia Smalciana. Cùm verò eam expoſitionem, ſanctorum quoq; Patrum communi ſententia & auctoritate confirmarem, non puduit impudentẽ Smalcium affirmare, ſanctos Patres Diuino iudicio Spiritu intelligentiæ priuatos fuiſſe, & tales ſacrarum literarum explicationes reliquiſſe, quæ ſi in vnum colligerentur, vniuerſo mundo magnum riſum excitare poſſent. Verùm os tam impudens & ſacrilegum in Sanctos, (de Sanctis enim illud potiſſimum intelligitur, qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei) ſuo tempore pœnas dabit, cognoſcetque tandem non ſanctiſſimos viros, & Diuino Spiritu plenos, intelligentiæ ſpiritu priuatos fuiſſe, ſed infideles ac impios Arianos, iuſto Dei iudicio excæcatos à Dœmone, lucem veritatis, quam totus mundus videt, aſpicere non potuiſſe vel noluiſſe. Nunc verò etiam falſum Prophetam & mendacem ſe eſſe agnoſcat. Nam SS. Patrum expoſitiones toti mundo iam perſpectæ ſunt, & tamen non riſum, ſed admirationem deuotionemq; excitant apud pios omnes, excitabuntq; ſemper. Arianorum ſunt illæ cõmentationes ſeu potius deprauationes ſcripturarum, quas totus orbis Chriſtianus in tot generalibus Conciliis non modò deteſtatus execratusque eſt, ſed & perpetuò anathemati ſubiecit, tanquam Deo, ſcripturis, rationi, religioniq; plurimùm repugnantes.

De exultatione Ioãnis in vtero. Addit Smalcius, ne Ioanni quidem in vtero exultanti vſum rationis à Deo conceſſum fuiſſe: illam enim in vtero exultationẽ non tam Ioanni quàm Matri lætitia affectæ adſcribendam putat, ita vt ex gaudio matris exultaret, hoc eſt, commoueretur in vtero Filius. At fallitur, vt ſolet. Mater enim Ioannem ait exultaſſe in gaudio ad vocem & ſalutationem Mariæ, quia nimirum Maria veniente & ſalutante, Chriſtus in vtero Mariæ veniens, vim ſuam exercuit, & ſenſum ſui gaudium ſupra naturam excitauit in Ioanne. Non igitur ex gaudio ſuo Eliſabetha ait Ioannem exultaſſe, ſed ex aduentu Mariæ Chriſtum in vtero portantis, qui aduentus niſi ſupernaturaliter cognitus ab ipſo fuiſſet, nequaquam in eo gaudium illud excitare potuiſſet. Deinde ſicut Eliſabetha ſupra naturam repleta eſt Spiritu S. & prophetauit, agnoſcendo & Mariam matrem Domini eſſe, & eũ, qui in Mariæ vtero erat, Dominum ſuum eſſe; quidni eodem ſpiritu ad

tu ad

tu ad Chriſti aduentum Ioannes repletus, cognouerit Dominum ſuũ, & vti tunc poterat, ex vtero prophetârit, non linguâ, ſed ſaltibus Dominum prædicando: ita vt eo etiam nomine à pleriſq; maximus Prophetarum meritò dicatur, quòd non ſolùm extra vterum, vt alij Prophetæ; ſed & in vtero modo ſanè miraculoſo prophetârit. Ad hæc Eliſabetha nõ dixit: exultauit infans in gaudio meo, nec vllam ſui gaudij mentionem fecit; ſed abſolutè dixit: exultauit in gaudio, ad eundem infantem gaudium & exultationem referens. Cùm enim quis abſolutè dicitur exultare in gaudio, non alienum ſed proprium gaudium intelligitur; vt ſit ſenſus, ipſum præ gaudio in ſe concepto exultare: alioqui addere oporteret, gaudium illud alienum fuiſſe. Non debet igitur dubitari Ioannem tunc & Spiritu S. repletum fuiſſe, ſicut & Eliſabetham; & ex ea repletione Spiritus S. ſenſiſſe Chriſtum præſentem & gaudio exultaſſe. Id enim quod de Ioanne prædictum erat, *& replebitur Spiritu S. ex vtero matris ſuæ*, nullo alio tempore accidiſſe, quàm cùm Mater quoque repleta Spiritu S. legitur, & Filius ad aduentum Domini exultaſſe, veriſimillimũ eſt. Neq; enim alia de cauſa repletus eſt, niſi vt exultare ad Chriſti aduentum, & illum ex vtero ſalutare tanquam præcurſor poſſet.

Ad hæc legimus, primùm infantem exultaſſe, tum Eliſabetham repletam eſſe Spiritu S. & ex eo cognouiſſe Mariam Domini matrẽ, & exclamaſſe. Non igitur ex gaudio matris Ioannes exultauit, ſed gaudium Ioannis præceſſit, & ex gaudio exultantis in vtero, mater quoque à Spiritu S. edocta cognouit gaudij cauſam, Dominum in vtero matris venientem. Vnde & ipſa proculdubio gauiſa eſt, ſed poſt gaudium Filij. Denique tanquam ſingulare quid & Diuinum de Ioanne refertur, quòd exultauerit in vtero. At ſi is naturalis tantùm motus in vtero eſſet, nihil ſingulare & Diuinum fuiſſet. Neque verò neceſſe erat, eum ſenſum & notitiam in Ioanne poſtea perduraſſe, cùm id præter ordinem rerum, & ex certa duntaxat occaſione, nempe ad Chriſti aduentum ſignificandum, à Deo factum fuerit. Talia enim quæ ex certa occaſione præter ordinem efficiuntur, non eſt neceſſe tranſacta occaſione perſeuerare. Nam nec aſina Balaam, quia ſemel locuta eſt, ſemper poſtea loqui debuit. Nec Prophetæ ſi ſemel prophetent, neceſſe eſt vt ſpiritum Prophetiæ ſemper retineant deinceps, ſed ſolùm cùm illis fuerit datum deſuper.

Quomodo Chriſtus ſapientia profecerit.

Iam cùm Smalcius obiicit, Chriſtum profeciſſe ſapientia, primùm ex eo inferre minimè debuit ſapientiam ab infantia nullo modo habuiſſe, quod hoc loco quæritur: Is enim qui proficit ſapientia, non omnino caret ſapientia. Deinde neque inferre poteſt, plenitudine & perfectione ſapientiæ caruiſſe. Si enim Chriſtus per vera incrementa ſapientię in ſapientia profeciſſet; verum vtiq; eſſet, ipſum non ſtatim plenam ac perfectam ſapientiam habuiſſe, & multa ante ignoraſſe, quæ poſtea didiciſſet; verùm non ea ratione Chriſtus puer dicitur ſapientia profeciſſe, ſed demonſtratione duntaxat ſapientiæ, quam magis ac magis in dies nouis operibus demonſtrabat. Sicut & ſolem in meridie dicimus creſcere in calore, non in ſe, ſed quia magis calefacit. Nam & in eodem loco dicitur *plenus ſapientia*; & in ſua conceptione, cùm Verbum caro factum eſt, dicitur *plenum gratia & veritate*, coniungiturque plenitudo gratiæ & veritatis cum incarnatione Verbi.

Quæ duo loca, cùm alibi à nobis contra Smalcium tractata ſint, hîc ſolùm adiungo ineptè Smalcium verba illa, *plenum gratia & veritate* interpretari, non de veritate myſteriorum Diuinorum, ſed de veritate, vt opponitur legi & typis ac figuris. *Lex enim per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, vt ibidem dicitur. Ineptè inquam, hæc à Smalcio dicuntur.: Nam ibidem mox explicatur, quæ veritas ſit illa, qua Chriſtus plenus fuit, & quam nobis attulit. *Deum*, inquit, *nemo vidit vnquam; vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.* Vera igitur Dei notitia, & ex conſequenti omnium Diuinarum rerum cognitio, eſt illa veritas, qua Chriſtus plenus fuit, & quam nobis attulit. quia enim nemo, præter ipſum, Deũ vidit vnquam, ideo nemo præter ipſum fuit plenus omni veritate, quæ ex Dei viſione habetur: quia verò, quæ vidit, reuelauit nobis, ideo de plenitudine eius nos omnes accepimus, & veritas per ipſum dicitur facta.

Veritas qua Chriſtus fuit plenus.

Imperitè verò obiicit Smalcius, veritatem qua Chriſtus plenus fuit, & quæ in ipſo erat, non poſſe dici per Chriſtum factam. Nõ enim in Chriſto, ſed in nobis dicitur veritas facta, id eſt nobis reuelata. Neque verò quia veritas opponitur legi, concludi poteſt, non intelligendam eſſe, nomine veritatis, Diuinarum veritatum notitiam: lex enim neque Diuinarum rerum notitiam, neq; gratiam Diuinam afferebat, ſed hæc in Euangelio à Chriſto expectabantur & præſtita

ſunt;

ſunt: ita vt meritò veritas & gratia, quæ in Euangelio eſt, & per Chriſtũ facta eſt, legi opponatur. Porrò cùm ait, nomine gratiæ non intelligi ſanctitatem, cùm poſſit eſſe gratia ſine ſanctitate: & in hoc egregiè fallitur. Nos enim nomine gratiæ intelligimus omnem gratiam, qua Chriſtus plenus fuit, vt de eius plenitudine nos acciperemus. In hoc autem numero eſt etiam gratia qua ſanctificamur: ea igitur etiam plenus fuit Chriſtus, vt de plenitudine eius nos quoq; ſanctificaremur.

Denique ſic argumentamur contra Smalcium: Pater quia diligit Filium, & non ad menſuram diligit, nulla ſua dona illi denegauit, ergo nec ſapientiam, nec ſanctitatem: & quia ab infantia illum dilexit, ab infantia in illum contulit omnia dona. Hæc argumentatio non noſtra eſt, ſed Ioannis: ita enim ipſe de Chriſto argumentatur Ioan: 1. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* ita vt ex dilectione Patris, quæ tanta eſt, vt nihil Filio negare velit, inferat omnia dediſſe in manu eius. Aut igitur hæc argumentatio mala eſt, aut ſi recta ſit, noſtram quoq; rectam eſſe neceſſe eſt: maximè cùm magna ſit & Filium Dei dedecens imperfectio, ignorantia, ſicut & peccatum. Ea igitur tolli omnino à Chriſto homine debuit per infuſam omnis ſapientiæ plenitudinem. Nam quod ait Smalcius, Chriſtum in infantia nullum ex ignorantia errorem comittere potuiſſe, id verum eſt de aliis infantibus, quibus vſus rationis in illa ætate cõceſſus non eſt, non autem de Chriſto, cui rationis vſum donatum fuiſſe paulò ante probauimus.

Ioannis argumẽtatio.

Tertium caput eſt de poteſtate, quam Chriſto infanti Smalcius penitus negat, ita vt nec poteſtatẽ nos ſaluandi illi concedat. At errat: nam Angelus vocat eum, cùm primùm natus eſt, Saluatorem. Luc: 2. 11. eiuſque nomen IESV, id eſt Saluatoris à Deo impoſitum, annunciauit. poteſtatem igitur ſaluandi nos habuit, vt eo nomine dignus eſſet, qua poteſtate omnis alia Chriſti poteſtas, quam vt homo habuit, continetur.

Chriſtum in infantia poteſtate nos ſaluandi præditum fuiſſe.

Ait Smalcius tunc nõ fuiſſe Saluatorem, niſi nomine; re autem ipſa poſtea futurus erat Saluator. Neminẽ enim in infantia ſua ſaluũ fecit. At errat: non ſolùm enim tunc quis re ipſa Saluator eſt, cùm vltimam quaſi manum operi imponit. Sed & tunc cùm ſalutem procurare incipit, & cùm eam poteſtatem habet, vt per media certa ſalutem

lucem hominibus afferat, etiamſi illa poteſtate ex cauſa non ſtatim vtatur. Talis fuit Saluator Chriſtus infans: nam & re ipſa ſalutem noſtram operari cæpit, cùm ſalutis noſtræ cauſâ participauit carni & ſanguini. Heb: 2.14. *Quia enim pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Ab ipſa etiam natiuitate pro nobis multa pati cæpit. vt enim Paulus ait: *pro nobis egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt ipſius inopia vos diuites eſſetis.* 2. Cor: 8.9. Ad hæc ea poteſtate, exiſtens adhuc in vtero, vſus eſt, cùm Ioannem ſuo aduentu Spiritu S. repleuit, & exultare præ gaudio fecit, vti dictũ eſt. Cum hac etiam poteſtate veniſſe ipſum in mundum ſcriptura teſtatur. Hebr: 10.5. *ideo ingrediens mundum, dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel.* quem locum non de ingreſſu in cœleſtem illum mundum, vt vult Smalcius, ſed de ingreſſu in hunc mũdum terrenum, in quo fecit oblationem corporis ſui ſemel, intelligendum eſſe, alibi oſtẽſum eſt. neq; ex eo ſolùm docetur Chriſtum in ſuo in mundum ingreſſu, hoc eſt in ſua conceptione & natiuitate ſalutis noſtræ curam, & ſaluatoris munus ac officium ſuſcepiſſe, & ſe tunc pro nobis Deo in mortem obtuliſſe, ſed etiam oſtenditur, Chriſtum tunc rationis vſum omnino habuiſſe, ſine quo ad mortem ſe ſpontè offerre non potuiſſet. Similiter Paulus diſertè docet Chriſtum in hunc mundum veniſſe, vt peccatores ſaluos faceret. Iam igitur hoc munus ſaluos faciendi homines, ab ipſo eius aduentu in hunc mundum ipſi impoſitum fuit; licet eo tempore non omnes eius muneris partes exercuerit. Erat igitur non nomine ſolùm, ſed & re ipſa Saluator: tum quia munus & officium re ipſa ſibi impoſitũ habuit: tum quia illud ab ipſa infantia exercere cæpit; quibus etiam ſcripturis probatur re ipſa tunc fuiſſe, & Chriſtum & Filium Dei, & Deum ac Dominum. Si enim poteſtatem ſaluandi nos habuit, non potuit non eſſe reipſa Chriſtus, id eſt vnctus, item Filius Dei, Deus ac Dominus.

Qua re cùm ait Smalcius, non potuiſſe tunc quenquam ſaluare; ſi de ea ſalutis ratione, quæ nobis in hac vita contingit, loquatur, falſum loquitur. Nos enim in hac vita ſaluamur per fidem in Chriſtum: at hoc modo Chriſtus infans etiam ſaluabat eos omnes, qui

tunc

tunc credebant in ipſum. Si verò ſermo ſit de illa conſecutione ſalutis, quam in cœlo expectamus, re ipſa quidem nulli contulit ſalutem talem Chriſtus, ante ſuum in cœlos aſcenſum; neq; tamen idcirco poteſtate ſaluandi caruiſſe dicendus eſt. Etenim quia non niſi per mortem ſuam & ſuum in cœlos aſcenſum ſtatuit hominibus ſalutē illam cœleſtem conferre, ſapientiæ illius & voluntati hoc adſcribendum eſt, non verò poteſtatis defectui. Si enim poteſtate ſua abſoluta voluiſſet, proculdubio ſine ſanguine & morte nos & à damnatione liberare, & cœleſti gloria donare potuiſſet, tanquam verus & abſolutus Dominus noſter.

Quartum caput eſt immortalitas, quam, etſi vltrò fateamur Chriſtum ab infantia non habuiſſe, dicimus tamen nonniſi ſalutis noſtræ cauſa mortale corpus accepiſſe; alioqui immortale futurum, ſi ſalutis noſtræ ratio id non popoſciſſet. docet id clarè Paulus Heb: 2. 14. *quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Non igitur neceſſitate, ſed voluntate & ſua in nos charitate participauit carni & ſanguini, ſcilicet vt mori pro nobis poſſet: caro enim & ſanguis mortalem carnem ſignificat. alioqui ſi neceſſitate naturali carni & ſanguini participauit, non diceretur ob eam cauſam participaſſe, quia pueri participarent. Neque eo fine vt mori poſſet: ſed abſolutè, quia aliter naſci non potuit, niſi cum carne & ſanguine. Quare & ob eam cauſam *non confunditur*, inquit Paulus, *eos vocare fratres*, ſcilicet ſecundùm carnem & ſanguinem; quaſi cùm potuiſſet non eſſe frater noſter, & noſtræ carnis particeps; non tamen dedignatus eſt eſſe frater noſter ſecundùm carnem mortalē. Deinde cùm conſtet ex dictis, Chriſtum ab infantia ſua vidiſſe Deum, & ex conſequenti omnem felicitatem & gloriam, quæ ad animam ſpectat, quaque maior in cœlo non eſt, conſecutum eſſe; quis dubitare poterit corpus quoq; ſua felicitate & gloria cariturum non fuiſſe, niſi ſalutis noſtræ ratio aliud popoſciſſet? quo enim iure gloriam animæ adeptus eſt, eodem quoque corporis gloriam adeptus fuiſſet. Et id quidem ſatis bono argumento Chriſtus in ſua transfiguratione declarauit; cùm ad oſtendendam gloriam ſuam, & corpore & veſtibus reſplenduit ſuper ſolem. Quemadmodum enim eam tum gloriæ partem vſurpauit; ita potuit & ab infantia ſua vſurpare non partem tantùm, ſed to-

Chriſtus voluntate non neceſſitate mortalis fuit.

ſed totam gloriam: cùm animæ videnti Deum, gloria quoque corporis debeatur, vt animo corpus reſpondeat.

Chriſtus immortalitate perfectam immortalitatem conſecutus.

Dicimus præterea corporis veram & perfectam immortalitatẽ Chriſtum in reſurrectione conſecutum eſſe, quod per ſummam abſurditatem Smalcius negat. Ait enim Chriſtum non ita reſurrexiſſe immortalem, vt mori non poſſet, ſed quòd non moriturus eſſet. Verùm errorem Smalcij conuincit Paulus, Rom: 5. 9. *Chriſtus*, inquit, *reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.*

Euaſiones Smalcij ineptæ.

Reſpondet primùm Smalcius, Paulum non indicare tempus, quando Chriſtus talis factus ſit, vt mors illi non dominetur. At quis non videt illis verbis, *Reſurgens à mortuis*, indicari tempus, quo *non moritur, & mors illi non dominatur*. Idcirco enim reſurrectionis meminit, quia per reſurrectionem id effectum eſt. Quod etiam indicat particula illa *vltra*, quæ tempus totum per reſurrectionem amplectitur, ac ſi dictum eſſet; ante reſurrectionem mori poterat, & mors illi dominabatur: at poſt reſurrectionem vltra, ſeu à reſurrectione deinceps mors illi non dominabitur.

Secundò ait, eo tempore, quo Paulus hæc ſcribebat, Chriſtum iam fuiſſe immortalem in cœlo, cùm tamen ante aſcenſum immortalis non eſſet. Quid ineptiùs? non enim Paulus tempus ſuæ ſcriptionis, ſed tempus reſurrectionis commemorat, quo ait Chriſtum redditum immortalem, ita vt ſenſus ſit; poſtquam excitatus eſt à mortuis, mori amplius non poſſe. Reſurgendo enim morti dominari cæpit, & vt ſcriptura ait, mortem occidit. *Ero*, inquit, *mors tua, ô mors.* Oſeæ 13. 14. & *per mortem deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium.* Heb: 2. 14. Non igitur poſt reſurrectionem mors illi dominari poterat; quippe iam ſuperata, occiſa, deſtructa. Fruſtra verò opponit vocem Græcam ἐγερθεὶς, quæ eſt præteriti temporis, & ſignificat non reſurgentem in præſenti, ſed excitatum à mortuis. Nam vtrouis modo legatur, indicat Paulus ex vi reſurrectionis mori non potuiſſe ac proinde ab ipſo reſurrectionis tempore.

Cùm hæc ſua reſponſa futilia eſſe Smalcius animaduerteret, adiecit tandem, etiamſi de tempore Reſurrectionis verba Pauli accipiantur, ex illis concludi non poſſe, Chriſtum poſt Reſurrectionẽ ſtatim verè fuiſſe immortalem. Paulus enim ſolùm ait, Chriſtum non mori, nec moriturum, non verò mori non poſſe, quæ eſt vera

immor-

immortalitas. Poteſt autem Deo volente fieri, vt quis habeat corpus natura mortale, & tamen nec moriatur, nec mors illi dominetur, cuius exemplum aſſignat in iis, quos Chriſtus viuos offendet in aduentu ſuo ad iudicium: ij enim non morientur, ſed viui iudicabuntur; non erunt tamen immortales, quia immutabuntur. Verùm nō intelligit Smalcius Pauli mentem. Is enim indicat reſurrectionem Chriſti eſſe cauſam, propter quam nec moritur, nec mors illi dominabitur. hoc enim fine reſurrectionem nominauit: ex quo neceſſariò ſequitur in reſurrectione Chriſtum immortalitatem acquiſiuiſſe, propter quam nec mori, nec mors illi dominari poterat. Deinde ſi in natura mortali Chriſtus reſurrexiſſet, non eſſet verum mortem illi non dominaturam. Nam & ipſe natura fuiſſet ſubiectus ſeruituti mortis: ipſa enim mortalitas eſt ſeruitus mortis, & mors illi dominaretur, quia haberet illum ratione naturæ mortalis ſibi ſubiectū. Et licet hoc dominium, Dei decreto, vt ait Smalcius, impediretur; verè tamen & ex natura rei eſſet dominium. Non enim ſi quis Dominum prohibeat vti ſuo dominio, idcirco ſequitur eum non habere Dominum. Ad hæc ibidem Paulus Chriſti reſurrectionem vult eſſe exemplar noſtræ reſurrectionis, & nos ad ſimilitudinem Chriſti reſurrecturos. *Si enim*, inquit, *conplantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* ℣. 5. Atqui nos non reſurgemus niſi ad vitam immortalem, vt docet Paulus, 1. Cor: 15. ergo nec Chriſtus reſurrexit, niſi ad vitam immortalem. Qua etiam de cauſa dicitur ibidē, *primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum.* Coloſſ: 1. 18. quia licet ante illum nulli reſurrexerint, ipſe tamen primus ad vitam immortalē reſurrexit, & primus ſeipſum à poteſtate mortis eripuit, & mortē in ſeipſo primus occidit. quam ſimiliter in nobis occidet, cùm nos reſuſcitabit in nouiſſimo die: quomodo illud intelligitur, 1. Cor: 15. 26. *Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors.* Deniq; corpus ſuū immortale & glorioſum probauit Chriſtus, cùm clauſo ſepulchro egreſſus eſt, & ad diſcipulos clauſis ianuis venit. & cùm eſſet ante inuiſibilis, repentè in medio eorum ſtetit, & ſe videndum præbuit, ita vt conterriti putarent ſe ſpiritum videre.

Cùm autem ait Smalcius, eos quos viuos in aduentu ſuo offendet Chriſtus, non morituros ſcripturis directè repugnat. Eæ enim omnes *An aliqui non ſint morituri?*

 omnes

omnes eſſe morituros clariſſimè pronunciant, & poſt mortē iudiciū ſecuturum. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* 1. Cor: 15.22. *& ſicut peccatum, ita & per peccatum mors in homines omnes pertranſit.* Rom: 5.12. & *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* At in errorem Smalcium impulit locus Pauli 2. Timoth: 4. 1. vbi ait Chriſtum iudicaturum viuos & mortuos, ex quo falſò collegit, aliquos ante iudicium non morituros; quaſi verò fieri poſſit, vt ignis præcedens iudicium, cuius *calore elementa ſoluentur: terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.* 2. Pet: 3.10. illos homines intactos relinquat. Non igitur verum eſt, Chriſtum in ſuo aduentu aliquos inuenturum viuos. Didiciſſet ſaltem ex Paulo phraſim & ſenſum ipſius, qui per viuos & mortuos intelligit omnes homines, ita vt tam ij qui iam mortui ſunt, quàm ij qui modò viuunt, ſint à Chriſto iudicandi. Simili enim modo, 1. Teſſ: 4. 15. ait: *Primùm reſurrecturos eos, qui mortui ſunt in Chriſto, deinde nos qui viuimus.*

Manducatio corpori immortali non repugnat.

Verùm opponit primùm ex Socino Smalcius, Chriſtum poſt reſurrectionem comediſſe & bibiſſe, Luc: 24. 43. quod in corpus immortale non cadit. Nos contra oſtendimus, nō manducationem, ſed nutritionem corpori immortali repugnare: in nutritione enim cibus conuertitur in carnem, quod corpori immortali & corruptioni minimè obnoxio, repugnat. Manducatio verò cùm in vitali tranſmiſſione cibi in ſtomachū conſiſtat, non habet vnde corpori immortali repugnet. Licet enim manducatio ex neceſſitate & ad reſtaurationem corporis & virium non conueniat immortali corpori: ſi tamen ea fiat ad alium quempiam finem, vti Chriſtus ad demonſtrandam veritatem ſui corporis fecit, non repugnabit immortali corpori. Neque in hoc Machometana deliria ſequimur, vt impurus Smalcius conuiciatur, ſed quid in corpore glorioſo aliquando fieri poſſit, ſi res ita expoſcat, docemus.

At inquit, *Deum, & ventrem, & eſcas aboliturum.* 1. Cor: 6. 13. Sine ſtomacho autem & eſcis, quomodo cibi vera in ventrem tranſmiſſio eſſe poteſt? verùm adeò craſſus eſt Smalcius, vt putet ventrem, quoad ſubſtantiam in corpore immortali deſtruendum, quod abſurdius eſt, quàm vt refutari debeat. Integra enim corpora noſtra futura ſunt, non manca & mutila, nec exenterata, nec monſtroſa & deformia, niſi fortè ſomniet Socinus non hæc corpora ventre cari-

Monſtroſa Smalcij interpretatio.

ritura, ſed alia diuerſa ſine ventre à Deo conditum iri, quod Paulo aduerſatur dicenti, *corruptibile hoc* (non aliud pro ipſo) *induturum incorruptionem*, 1. Cor: 15. Dicitur itaque Deus deſtructurus ventrem & eſcas, quoad neceſſitatem edendi; ita vt non ſit futurus venter qui cibo & eſu egeat, ſed incorruptibilis, & qui neceſſitati huic ſubiectus non ſit, vti omnes interpretes exponunt, & Paulus ait, non futurum corpus animale, ſed ſpirituale: neque vllus vnquam fuit tam ſtupidus, cui locum Pauli legēti venerit in mentem, homines in cœlo partem vnam corporis, nempe ventrem amiſſuros. Propria hæc eſt Arianorum ſubtilitas: alioqui eadem ratione ſequeretur, nullam corporis partem in cœlo futuram. Si enim venter, quia animalis eſt, deſtrui debet, quoad ſubſtantiam; certè cùm & reliquæ corporis partes ſint animales, deſtruendæ pariter eſſent quoad ſubſtantiam, & ſic non habituri eſſemus in reſurrectione idem corpus quoad ſubſtantiam cum eo quod nunc habemus, quod ſcripturis repugnat; & tamen Smalcius, cùm tam abſurda loquatur, eſt ita perfrictæ frontis, vt Theologiam Pontificiam talia portenta deteſtantem carpat, eique inſultet.

Opponit ſecundò Smalcius, corpus immortale oculis hiſce mortalibus videri non poſſe, cùm ſit ſpirituale: corpus autem Chriſti poſt reſurrectionem viſum eſt oculis mortalibus. Non fuit igitur immortale. Verùm falſum id eſſe docēt Pauli & Stephani exempla: vterque enim vidit Chriſtum in corpore glorioſo ſibi apparenti; ille in via, hic in cœlo. Vtrumque autem verè vidiſſe ipſam Chriſti perſonam, ex ſcripturis manifeſtum eſt. Nam & Paulus nouiſſimè poſt alios Apoſtolos viſum à ſe Chriſtum ſcribit. 1. Cor: 15. 8. & *ex eius ore vocem audiſſe*. Act: 22. 14. & *Stephanus vidit cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* *Corpus immortale verè videri poteſt.*

Negat vtrumque Smalcius. quid ita? quia Paulus ita Chriſtum vidit, vt eum non agnoſceret quis eſſet. At inepta probatio. Hac enim ratione, ne Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſtum verè vidiſſent: quia aliquoties eum non agnouerunt quis eſſet. de illis verò qui Emmaunta petebant, ſcriptum eſt: *tenebantur oculi eorum, ne eum agnoſcerent.* Luc: 24. quis enim neſciat poſſe aliquem verè videri, qui tamen qui ſit non agnoſcitur? Et ſanè Act: 9. de Anania dicitur, *ei Dominum in viſu apparuiſſe.* de Paulo verò id non dicitur, ſed abſolutè, *Paulus verè vidit Chriſtum.*

tè, *Dominum apparuiſſe ei in via, qua veniebat*: vt de vera & reali viſione dictum intelligatur.

Stephanus verè vidit Chriſtum à dextris Dei.

Quod ad Stephanum attinet, ait ipſum vidiſſe Ieſum ſtantem à dextris Dei, quod tamen oculis corporeis videri non poteſt, cùm id non locum, in quo Chriſtus ſit, ſed dignitatem, in qua conſtitutus eſt, ſignificet. Non potuiſſet etiam Ieſum à dextris Dei videre, niſi vidiſſet Deum, qui tamen oculis cerni non poteſt. At clariora ſunt ſcripturæ verba, quàm vt torqueri à Smalcio poſſint. Dicitur enim *intentis oculis in cœlum, vidiſſe gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris.* & mox: *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Sicut igitur oculos corporeos habuit in cœlum intentos, ita oculis corporeis vidit, quod vidit, & iiſdẽ oculis, quos intẽderat in cœlum, ait ſe videre Ieſum ſtantẽ à dextris Dei. Ratiunculæ verò Smalcij nullius ſunt momenti. Nam ſi ſtare ad dexteram Dei ſignificat, Diuinam Chriſti gloriam & parẽ cũ Deo maieſtatem; gloriam verò Dei vidiſſe Stephanũ ſcriptura teſtatur, ſub ratione ſcilicet aliqua corporali Dei gloriam repræſentante; ſicut & in dedicatione templi Salomonis gloria Dei dicitur impleuiſſe templum & conſpecta corporaliter fuiſſe: pari ratione dicendum eſt, vidiſſe oculis corporeis gloriam Chriſti ſtantis à dextris Dei, ſub aliqua ſenſibili ratione, eam Chriſti gloriam repræſentante. Quod idem dicendum eſt de Dei ipſius præſentia ſenſibili aliqua ratione repræſentata. Quamuis autem illa Dei & Chriſti gloria, quia ſpiritualis eſt, in ſe videri oculis corporeis non poterat, niſi per aliquam repræſentationem ſenſibilem oculis factam: tamẽ Chriſtus ipſe, cùm ſit corporeus, videri in ſeipſo poterat, nec alia repræſentatione opus erat, niſi fortè illi ſimili, qua legitur euntibus in Emmaus apparuiſſe *in altera effigie*, ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ.

Corpora glorioſa quo ſenſu ſpiritualia.

Neq; verò quia corpora glorioſa ſpiritualia à Paulo appellantur, idcirco oculis corporeis videri non poſſunt: non enim dicuntur ſpiritualia, quoad eſſentiam, ſed quo ad qualitatem; retinent enim eſſentiam corpoream: alioqui corpora eſſentialiter non eſſent, ſed ſpiritus & natura intelligens; homoq; ex corpore & anima cõſtans, duplici ſpirituali natura conſtaret, quod non in ſcriptura ſolùm, ſed & in Philoſophia abſurdiſſimum eſt. Cùm igitur corpora glorioſa non ſint ſpiritus, ex hoc capite non habent quominus oculis videri poſſint. Solus enim ſpiritus oculis videri non poteſt, corpus poteſt.

Dicun-

Dicuntur igitur ſpiritualia, propter aliquas qualitates ſimiles qualitatibus rerum ſpiritualium. Opponit enim Paulus corpus ſpirituale corpori animali. Corpus autem animale eſt craſſum, graue, impenetrabile: corpus autem glorioſum his defectibus caret, & accedit ad ſimilitudinem ſpirituum ſubtilitate, agilitate.

Ad hæc corpora glorioſa colores ſuos retinent, qui naturaliter ex mixtione elementorum oriuntur. Id autem quod colore affectum eſt, naturâ ſua viſibile eſt. Fieri autem poteſt, vt quod natura viſibile eſt, ex accidenti non videatur, vel ob tenuitatem, quomodo ignis, qui eſt ſub concauo Lunæ, videri ob ſuam tenuitatem non poteſt; is verò qui apud nos eſt in materia craſſa, videtur ab omnibus: vel ſecundò, ſi ſpecies, per quas fieri viſionem Philoſophi docent, contineat, & ad oculum non tranſmittat; quam vim retinendi ſpecies, corpora glorioſa diuinitùs habere neceſſe eſt. alioqui fieri non poſſet, quin viderentur, cùm cætera ad viſionem requiſita non deſint. Poſſunt autem has ſpecies, vel impedire ne producantur, vel eas variè efformare in oculo alterius: vt in qua volunt effigie & forma appareant. Sic Chriſtus euntibus in Emmaus præbuit ſe videndum in altera effigie, ratione cuius non fuit mox ab illis cognitus. *Tenebantur enim oculi eorum, ne ipſum agnoſcerent.* Luc: 24. Sic & aliis diſcipulis & mulieribus apparebat, ea forma quæ ab illis non agnoſcebatur. Quæ ſi ignoraſſet Smalcius, non ita contemptim Theologos doctiſſimè de his rebus diſputantes carpſiſſet, nec ex ignorantia Racouienſi ſapientiam Theologorum metiretur. Addo vel ex eo demonſtrari poſſe Chriſtum in reſurrectione corpus glorioſum & immortale cõſecutum eſſe, quòd & cùm vellet inuiſibilis fuerit, & qua vellet forma ſe conſpiciendum exhibuerit, alij alia forma, alteri alia, vt ex dictis patet, quod eſt proprium corporum glorioſorum.

Opponit Smalcius tertiò, Chriſtum veſtigia vulnerũ retinuiſſe; in corpus autem immortale non cadit vlla diuiſio. Reſpondetur, naturaliter quidem corpus glorioſum diuiſionem nullam pati poteſt propter qualitatem, qua redditum eſt immortale & incorruptibile: Dei tamẽ virtute eam tam retinere, quàm de nouo admittere poteſt, cùm corpus illud, ſi ſecundùm ſe & ſecundùm naturam ſuam ſpectetur, ſit corruptionis ac ex conſequenti diuiſionis capax. Malè id habet Smalcium, quod ad Diuinam virtutem recurratur. At immeritò.

Corpora glorioſa diuidi virtute Dei poſſunt.

ritò.

ritò. in iis enim rebus, quæ non niſi Diuina virtute fieri poſſunt, quid mali eſt ad Diuinam virtutem recurrere?

Ait ea ratione omnia abſurda probari poſſe. At ineptè. Abſurda enim per Dei potentiam non fiunt. ergo neque probari poſſunt. Oſtendit deinde, ne per abſolutam quidem Dei potentiam fieri poſſe, vt corpus immortale diuiſionē patiatur. *Eſt enim,* inquit, *ſpirituale.* 1. Cor: 15. cùm & Chriſtus quà immortalis eſt, factus ſit in ſpiritum viuificantem: Spiritum autem diuiſionem pati eſt impoſſibile. At redit Smalcius ad priora ſua deliria, putatque corpora noſtra futura, quoad eſſentiam, ſpiritualia, quod non ſolùm per ſe abſurdum eſt, ſed & contradictionem implicat; quomodo enim corpora eſſe poſſunt ſine corporis eſſentia? ſi verò ſecundùm eſſentiam ſint ſpiritus, non corporis ſed ſpiritus eſſentiam habebunt, quomodo igitur corpora erunt? Alterius verò naturæ corpora fingere, & ſcripturis repugnat, quæ hoc ipſum, quod nunc habemus corpus, reſurrecturum & induturum immortalitatem docent; & Smalcij errorem non iuuat: Siue enim eiuſdem, ſiue alterius naturæ ſint, dummodo corpora ſint, ſpiritus eſſe quoad eſſentiam non poſſunt. Adhæc ſi corpora noſtra quanta erunt, diuiſibilia erunt: quantum enim naturâ ſua diuiſibile eſt; ſi non quanta, neque corporea erunt.

Inſulſa expoſitio Smalcij.

Inſulsè etiam locum Pauli de Spiritu viuificante, de corpore Chriſti immortali interpretatur. Neque enim Chriſtus ratione corporis & Spiritus viuificans, ſed ratione Spiritus diuini, quo & Chriſti corpus viuificatum eſt, & noſtra corpora viuificabuntur propter inhabitantem Spiritum eius in nobis, vt prolixè docet Paulus, Rom: 8. 11. Sicut igitur *Adam factus eſt in animam viuentem,* propter animam corpori vitam tribuentem: ita *Chriſtus factus eſt in Spiritum viuificantem,* propter Spiritum Diuinum, tam corpus ipſius, quàm noſtra viuificantem.

Ait præterea, naturaliter & ſine vllo miraculo, in corpore Chriſti vulnerum veſtigia apparuiſſe: alioqui impoſuiſſet potiùs diſcipulis Chriſtus, quàm ſui rediuiui corporis certam eis fidem feciſſet. Verùm ſi eadem quæ in corpore mortali erant vulnerum veſtigia, in immortali quoque Diuina virtute retinuit; nonne fidem fecit, illud idem corpus ſe habere, quod vulneratum ante fuit. Non enim

imponit

imponit is, qui rem cum ſua propria nota in medium producit: etiamſi virtute Diuina factum ſit, vt eædem notæ in corpore illo remaneant: neque enim cœcus Diuina virtute factus videns, aut mortuus Diuina virtute factus viuus, vlli imponit, ſiquidem verè videns eſt, & verè viuus. Abſurdior autem eſt illa probatio, cùm ait, vulnera illa in manibus contrectari potuiſſe, & à Thoma contrectata eſſe. At corpora immortalia ſenſui tactus obnoxia eſſe, nimis, inquit, abſurdum eſt. Hinc enim ſequeretur ipſum etiam Deum tangi manibus poſſe. ij enim, qui immortales erunt, ipſi Deo ſimiles futuri ſunt, 1. Ioan: 3. 2. Mox verò atque ſi rem confeciſſet adiungit, ſed iam pœnitet me laboris, quem in refutandis his nugis conſumpſi. Scilicet tanta ſtupiditas hominis eſt, vt ſuam abſurditatem perſpicere non potuerit. An enim non ingens abſurdum eſt, dicere corpora noſtra, quoad naturam, futura ſimilia Deo? Si ita eſt; Deus igitur erit naturæ corporeæ, quippe in natura corporibus ſimilis: aut ſi naturam corpoream non habet (Deus enim non corpus, ſed ſpiritus eſt, Ioan: 4. 24.) corpora in natura illi ſimilia dici non poſſunt, nec ille ipſis. Naturæ enim quà diuerſæ ſunt, ſimiles dici non poſſunt. Corpus verò & ſpiritus, naturæ diuerſæ ſunt. Similes ergo in natura dici non poſſunt.

Abſurda Smalcij de corporibus glorioſis opinio.

Illud etiam non minus abſurdum eſt, verba illa Ioannis, *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*, interpretari de ſimilitudine naturæ; cùm Ioannes in iiſdem verbis expreſſè demonſtret, in quo ſit futura iſta ſimilitudo: *quia videbimus eum ſicuti eſt.* Similes ergo erimus Deo, non in corporis natura, ſed in gloria & beatudine, quæ ex viſione Dei habetur. Sicut enim Deus ſe videndo & fruendo feliciſſimus eſt; ita eiuſdem felicitatis tunc nos faciet participes, cùm ſua viſione dignos nos efficiet. Meritò igitur pænitere Smalcium laboris debet, quem in eiuſmodi nugis afferendis, in ſui ſuorumque perpetuam ignominiam inſumpſit, ex quibus non aliena refutauit, ſed ſuam ruditatem abſurditatemque maximam prodidit.

Quomodo in altera vita ſimiles erimus Deo.

Chriſtum in reſurrectione factum eſſe Filium Dei, perperam docent Ariani. Caput XI.

Aiunt Ariani Chriſtum in reſurrectione factum eſſe Filium Dei, propter poteſtatem ampliſſimam in res omnes tunc obtentam:

Data enim eſt Chriſto *omnis poteſtas in cœlo & in terra* poſt reſurrectionem, Math: 28.18. neque tamen perfectè fuiſſe Filium Dei: quia, vt ait Smalcius, poteſtas iſta non re ipſa tunc ei data eſt, ſed paulò poſt danda fuit. In qua re primùm manifeſta implicatur contradictio; Si enim Chriſtus poteſtatem in reſurrectione re ipſa adeptus non eſt, quomodo ratione poteſtatis potuit re ipſa effici Filius Dei? verum enim eſt, quod Philoſophi aiunt, ſublata cauſa tolli etiam effectum.

Smalcius pugnat ipſe ſecum.

Deinde falſò negatur omnis Chriſto poteſtas, cùm ipſe affirmet, omnem poteſtatem ſibi eſſe datam in cœlo & in terra. Neque enim dubitari poteſt, eam re ipſa habuiſſe: ſiquidem ea re ipſa tunc vſus eſt, cùm ait: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*: quibus verbis & mundum vniuerſum ad fidem ſuam & baptiſmum obligauit, eamque obligandi poteſtatem ex illa generali poteſtate, quam in cœlo & in terra habebat, intulit: quod indicat illa particula *Ergo*; ac ſi diceret, quia omnem poteſtatem in cœlo & in terra habeo; ideo vos in mundum vniuerſum mitto, & per vos, omnes obligo ad doctrinam meam credendam, & baptiſmum recipiendum: pœnam inſuper propono, æternam damnationem: *qui enim non crediderit, condemnabitur*: Præmiũ verò credentibus & baptizatis, vitam æternam: *qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* En quomodo vſu ipſo poteſtatis, eam ſe re ipſa habuiſſe demonſtrauit, tam in cœlo, quàm in terra; Nam & cœlum credentibus promiſit, & omnes in terra homines ad fidem ſuam obligauit, virtute illius omnis poteſtatis in cœlo & in terra. Quocirca eadem poteſtate, profectus in cœlum, legitur ſibi ſubieciſſe & Angelos 1. Pet: 3. 22. quatenus poteſtatẽ ſuam, quam ſemper habuerat, manifeſtè in eos tunc exercere cæpit, vti in ſecundo de erroribus Arianorum libro demonſtratum eſt. Friuolum verò eſt, quod ait Smalcius, ſi tunc demum poteſtatem in Angelos exercere cæpit, etiam eandem tunc demum obtinuiſſe. Per ſe enim perſpicuum eſt, non eſſe neceſſe poteſtatem, ſtatim ac obtenta eſt, exercere & in actum prodire. quod non ſolùm in hominibus quotidie cernimus, ſed in ipſo etiam Deo. Is enim poteſtatem creandi ab æterno habuit, quam tamen non niſi in tempore exercuit: ſicut nec poteſtate, quam habuit ad mundum diluuio perdendum; & Sodomam Gomorrhamque igne conſumendam, ſtatim vſus eſt. Quare cùm Smalcius ait, Deum non poſſe non exercere ſuam poteſtatem in Ange

Chriſtus re ipſa poteſtatem in Reſurrectione habuit.

Angelos, tanquam creator in creaturam, ſi de ea poteſtate loquatur, qua res omnes conſeruat, & ſine qua nulla res creata ſubſiſtere poteſt, verum eſt; ſed ad rem non pertinet. Nos enim hîc non de ea poteſtate agimus, qua conſeruantur Angeli in ſuo eſſe, ſed qua à Christo gubernantur. hæc autem poteſtas non eſt talis, vt ſine eius vſu Angeli eſſe non poſſint. ac proinde non eſt neceſſe eam ſtatim exerceri, ac in actum prodire. Si verò de omni Diuina poteſtate id Smalcius intelligat, id & falſum eſſe, & exemplis paulò ante adductis de creatione & diluuio, refelli facilè poteſt.

Tandem & hoc falſum eſt, Chriſtum ob poteſtatis Diuinę ſimilitudinem dictum eſſe Filium Dei. Neque enim id vllo teſtimonio ſcripturæ comprobauit Smalcius. Nam quod ait ex operibus Diuinis non ſemel oſtendiſſe Chriſtum ſe eſſe in Patre, & Patrem in ſe, primò negandum eſt id, ex quo res aliqua probatur eſſe, conſtituere rei illius eſſentiam. Nam ex effectibus cauſæ, ex fructibus arbor, ex proprietatibus natura probatur: neque tamen iſta conſtituunt harum rerum eſſentiam. Quare & opera Diuina in Chriſto indicant, non conſtituunt Filij Dei eſſentiam. Nam etſi indicant in Chriſto poteſtatem Diuinam, non tamen illico ſequitur poteſtatem conſtituere Filij eſſentiam: indicatur enim non ſolùm eſſentia, ſed & proprietates. Deinde dico ex operibus Diuinis abſolutè non probari, eum qui illa operatur, eſſe Filium Dei. *Multi enim in nouiſſimo die venient dicentes: Nonne in nomine tuo prophetauimus, & mirabilia multa fecimus?* quibus reſpondebitur, *Neſcio vos.* Poteſt quidem ex miraculoſis operibus colligi, Deum aliquo modo in eo eſſe: ſiquidem non niſi virtute Diuina operatur, & vt ſcriptura loquitur, manum Dei eſſe cum illo: non tamen ex eo ſequitur eſſe Filium Dei. In aliquibus enim Deus eſt ſolùm per virtutem ſuam, quam illis communicat: in filiis verò eſt per gratiam & charitatem diffuſam in cordibus eorum, per eam enim adoptantur in Filios & hæredes.

Porrò longè alia ratione Chriſtus ex operibus Diuinis probauit ſe eſſe verum Filium Dei. Primùm tanquam ex teſtimoniis Diuinis: opera enim Diuina efficiebantur à Chriſto ad confirmandam hanc veritatē, quam prædicabat; nempe quòd ipſe eſſet verus Filius Dei. Secundò tanquam ex naturalibus operibus Filij Dei, quia ſcilicet ea efficiebat, vt verus & naturalis Filius Dei, propter eandem naturam

Ex operibus Diuinis quî probet Chriſtus ſe eſſe filium Dei.

& eandem virtutem cum Patre. Sic Ioan: 5.17. probat ſe eadem numero opera & eadem numero virtute cum Patre operari. Sic Ioan: 10. 29. probat ſe tantam potentiam habere, quantam Pater ex vnitate naturæ. *Ego*, inquit, *& Pater vnum ſumus*, quæ duo loca in ſecundo de erroribus Arianorũ libro copioſè à nobis declarata ſunt. Verùm hoc modo ex operibus Diuinis probare ſe eſſe Filium Dei, eſt probare ſe eſſe, quoad naturam Diuinam Filium Dei, quod Arianorum errorem penitus euertit.

Explicatur locus Act: 13. 33. At Smalcius duo loca adducit, ex quibus ait probari, Chriſtum in reſurrectione factum eſſe Filium Dei. Primus eſt Acto: 13. 33. vbi dicitur, *Deum adimpleuiſſe eam, quæ ad Patres facta eſt, repromiſſionem, reſuſcitando Ieſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hîc Smalcius contendit id, quòd Deus ſuſcitauerit Chriſtum à mortuis, probari ex Pſalmo ſecundo, his verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* in reſurrectione igitur Chriſtum genuit Filium. Nos contra, eam probationẽ incertam & infirmam dicimus. Alia enim theſis eſt, quam probare ſcriptura hoc loco inſtituit, nempe promiſſiones Patribus factas Deum impleuiſſe ſuſcitando Chriſtum, vt patet ex ℣.32. Quæ verò fuerint iſtæ promiſſiones Patribus factæ, explicatur ℣.23 nempe de dando Saluatore Ieſu. Has igitur promiſſiones impleuit Deus ſuſcitando Ieſum. Quem enim Iudæi interfecerant & ſaluare amplius neminem poſſe credebant, ipſe rurſus ad vitam reuocauit. Quis autem & quantus ſit iſte Saluator, probatur ex Pſalmo ſecundo, in quo dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Dubitari enim non poteſt, eum eſſe verum Saluatorem, qui ſit verus & naturalis Dei filius, & omnia poſſit. Adducitur igitur Pſalmi locus, non ad probandam Chriſti reſurrectionem, ſed ad probandum, quòd Deus ſuſcitando Chriſtum, ſuſcitauerit eum qui eſſet verus Saluator, & idcirco Saluator, quia verus Dei Filius: & ex conſequenti, quòd impleuerit ſuas promiſſiones, quæ & dandum Saluatorem continebant, & talem Saluatorem, qui eſſet Filius Dei.

Ex quo patet primò, non poſſe oſtendere Smalcium ſuam expoſitionem ita neceſſariam eſſe, vt verba ſcripturæ aliter & quidem longè meliùs ac veriùs exponi non poſſint, ac proinde non concludit neceſſariò ex hoc loco Chriſtum in reſurrectione factum eſſe Filium Dei. Deinde illa verba Pſalmi ſecundi, non debere de ea generatione

ratione quæ in reſurrectione contigerit exponi, colligitur ex eodem Pſalmo ſecundo, vbi Chriſtus quidem reſuſcitatus loquitur, ſed nõ de ea re, quam in reſurrectione obtinuerit, ſed quam multò ante adeptus ſit. Sicut & in verſu præcedenti ait de ſe: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Talis enim Rex qui prædicauit præceptum & voluntatem eius, fuit conſtitutus ante reſurrectionem. Tunc enim tali officio functus eſt. Pari ergo ratione & id quod ſequitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu.* non de eo, quod in reſurrectione illi primùm contigit, accipiendum eſt, ſed quod olim à Deo illi dictum eſt. Quando autem dictum ſit illi à Deo, *Filius meus es tu*: ſcriptura quidem determinatè non exprimit, ſed ad præſens negotium ſatis eſt, quod nos non cogit, vt de die reſurrectionis dictum intelligamus, idque ad eneruandum Smalcij argumentum ſufficit. Rectè verò ſancti Patres intelligunt id dictũ in *Hodie Æternitatis*, quod eſt propriè Hodie Diuinum, carens præterito & futuro, & omni ſucceſſione, totamque æternitatem comprehendit. Falſum enim eſt quod ait Smalcius, in æternitate nullum dari diem: cùm ſcriptura & dies & annos Deo non ſemel attribuat, eoſque inæſtimabiles, licet ſint longè diuerſæ rationis à noſtris. Iob 36.26. Falſum enim eſt, diem ſemper certum aliquod tempus ſignificare. hoc enim etſi de die humano verum eſt, qui inter diem præcedentem & ſequentem interiectus eſt; non tamen de die Dei proprio, qui eſt æternitas omni ſucceſſione dierum carens: vt probat Paulus ad Hebr: 1.12. *Tu autem idem es, & anni tui non deficient.* & Iacob 1. 17. *apud quem non eſt tranſmutatio, & viciſsitudinis obumbratio.* Quanquam etſi de die reſurrectionis dictum id Chriſto concederemus; id tamen eo ſenſu accipiendum eſſet, vt Deus die reſurrectionis Chriſtum re ipſa declarauerit eſſe eum Filium, quem in ſuo *Hodie*, quod æternitatem totam amplectitur, genuerit, vti ex aliis de æternitate filij Dei teſtimoniis colligitur.

Dies in æternitate quales.

Ad hæc ſi ea Pſalmi verba de Chriſti reſurrectione accipienda eſſent, eſſet hic ſenſus, *Ego hodie genui te*, id eſt reſuſcitaui te. qui modus loquendi & inſolens eſt, & durus. hoc enim modo omnes reſuſcitati dicerentur Filij Dei, & geniti ex Deo, vt Lazarus, & ille adoleſcens in Naim, & alij: imò cùm omnes impij ſint die iudicij ſuſcitandi, dici poſſent propter ſuſcitationem Filij Dei, & ex Deo geniti;

cùm tamen non ſolùm non ſint Filij Dei, ſed etiam ex patre Diabolo nati, vt ait Chriſtus. Præterea, reſurrectio eſt ſecundùm carnem: at Chriſtus non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Diuinitatem eſt Dei Filius, non igitur propter reſurrectionem dicitur Filius. Si verò Chriſtus in reſurrectione dicatur genitus ratione poteſtatis tunc obtentæ; eo nomine potius dicendus eſſet non genitus: ſiquidem ſecūdùm Smalcium eam poteſtatem in cœlo & in terra, nonniſi poſt aſcenſum in cœlum obtinuit.

Reſponſio Smalciana abſurda. Reſpondet Smalcius, nomine Reſurrectionis omnia illa intelligenda eſſe, quæ eam conſecuta ſunt, nempe Chriſti in cœlos aſcenſionem & ſeſſionem ad Dei dexteram. Verùm id & falſum eſt, & ad rem præſentem accommodari non poteſt. Falſum eſt, quis enim audiuit aliquando nomine reſurrectionis aſcenſionem ſignificari, & quod die Aſcenſionis factum eſt, die Reſurrectionis factum dici? Nam quod ait id nouū non eſſe in ſacris literis, id quoq; falſum eſt, vti loca ab eo in margine annotata indicant, Ioan: 6. 39. Philip: 3. 11. in iis nil tale continetur. Non poteſt autem accōmodari ad rem præſentē. Nam ſi verba Pſalmi de reſurrectione accipiēda ſint, de ipſo die reſurrectionis determinatè accipiēda ſunt, vt vox *Hodie* indicat; Nō rectè autem dicitur die Reſurrectionis factū, quod non eſt factū niſi in Aſcenſione. Quocirca cùm Smalcius negat Chriſtū die Reſurrectionis re ipſa obtinuiſſe immortalitatem & poteſtatem, non poteſt affirmare factum eſſe tunc Filium Dei.

Iam quod ait Smalcius Chriſtum non ſecundùm carnem ſed ſecundùm Spiritum in Reſurrectione factum eſſe Filium Dei, nempe propter immortalitatem & poteſtatem plenam in omnia, quam re ipſa in cœlo obtinuit, non vno modo errat. Nam ſi immortalitatē & poteſtatem in cœlo obtinuit, ergo non in Reſurrectione. Deinde ſi immortalitas ad corpus ſpectat, ſequitur ratione immortalitatis ſecundùm carnem eſſe Dei Filium, niſi corpus Chriſti Spiritum vocet, quod abſurdiſſimum eſſe ſatis ante probauimus.

Locus ad Rom: 1. expenditur. Alter locus eſt quo Smalcius probari putat Chriſtum in Reſurrectione factum eſſe Filium Dei. ad Rom: enim 1. de Filio dicitur, *quòd ſit factus ei, id eſt Deo, ſecundùm carnem ex ſemine Dauid, qui prædeſtinatus ſeu declaratus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* Hîc Smalcius vocē ὁρισθέντος ait omninò ver-

Vox ὁρισθέντος do-

tendam,

tendam, conſtitutus, quòd ea ſit propria & ex natura vocis deſumpta ſignificatio; quam quia omnes alij tam Græci quàm Latini interpretes ſecuti non ſunt, idcirco ait omnes erraſſe, & ſecundùm ſuam quam quiſque habebat opinionem vertiſſe. At inprimis doloſè obtrudit Smalcius vocem, conſtitutus, quæ ad mentem ſpectat, ſignificat idem quod definitum: mente enim definire eſt animo conſtituere: vt verò ad rem refertur, ſignificat, Factum. Vox enim ὁρισθέντος propriè ſignificat, vt fatetur Smalcius, Definitum; & ex conſequenti conſtitutum, non in re ipſa ſed in animo duntaxat: animo enim conſtituere, idem eſt quod definire: vt verò eſſe conſtitutum ad rem refertur, & ſignificat idem quod factum, ſic vox ὁρισθέντος non ſignificat conſtitutum. Doloſè igitur Smalcius æquiuocam obtruſit vocem, vt ſuum errorem latenter ſupponere poſſet. Nam voce conſtitutus vtitur, vt idem ſignificet, quod factus. Hoc enim ex ea probare intendit, Chriſtum eſſe factum Filium Dei in Reſurrectione, quia dicitur conſtitutus, cùm tamen vox conſtitutus, vt ex voce ὁρισθέντος vertitur, non conſtitutionem rei ſed mentis ſignificet, & idem ſit conſtituere quod animo definire. Quam fraudem Smalcij detexiſſe, eſt omnem eius expoſitionem euertiſſe. Nullo enim alio argumento probat Chriſtum factum eſſe Filium Dei in reſurrectione, niſi ex voce, conſtitutus. Quanta verò Smalcij præſumptio eſt, dum omnes ante ſe interpretes in ea voce vertenda pro ſua modeſtia erraſſe aſſerit, & ſuam quemque opinionem non vocis natiuam ſignificationem ſecutum eſſe, quaſi non turpiùs errauerit ipſe, cùm vocem conſtitutus in alia ſignificatione, quàm quæ ex voce ὁρισθέντος vertitur, fraudulenter ſuppoſuit, in eoque non aliud quàm ſuam erroneam de Filio Dei opinionem ſecutus eſt.

Doloſè à Smalcio exponitur.

Præſumptio ingens Smalciana.

Aio igitur vocem ὁρισθέντος ex natura vocis ſignificare definitum; quia autem definimus tum ea quæ mente decernimus & ſtatuimus, tum quæ ad certum finem deſtinamus & ordinamus; tum quæ declaramus, demonſtramus: idcirco variè à variis interpretibus ea vox cõuerſa eſt, à Latinis prædeſtinatus, deſtinatus, definitus; à Græcis, declaratus, demonſtratus. A nullo autem, re ipſa factus, quod id nemo neſciret à vocis huius ſignificatione penitus abhorrere. Porrò vtramuis expoſitionem ſequamur, ſiue Latinorum, ſiue Græcorum: in idem res recidit, nempe ex reſurrectione mortuorum Chriſtum

apparuiſ-

apparuiſſe Filium Dei in virtute, id eſt cum virtute & potentia Diuina, ſecundùm Spiritum ſanctificationis, id eſt ſecundùm Spiritum Diuinum, qui eſt fons ſanctificationis, quo etiam ipſe in humana natura ſanctificatus eſt, & alios omnes ſanctificat: ad hoc verò ab æterno deſtinatus eſt, vt declararetur & pateret ex reſurrectione eſſe Filius Dei.

Chriſtus in virtute ſua reſurrexit.

Porrò Smalcius ait illa verba, *In virtute*, non ſignificare potentiam Chriſti, ſed Patris, fabulamq; eſſe Chriſtum in Reſurrectione aliquam ſuam virtutem in ſe ſuſcitando declaráſſe. Nos contra, vti virtutem Patris non negamus: ita hic propriam virtutem Filij intelligi dicimus. Opponitur enim hîc virtus illi infirmitati, quæ Chriſti reſurrectionem præceſſit. *Mortuus enim eſt ex infirmitate: viuit autem ex virtute Dei,* 2. Cor: 13. 4. Sicut ergo priùs fuit Filius Dei in infirmitate, quàm verè habuit in ſeipſo: ita cùm reſurrexit, fuit Filius Dei in virtute Diuina, quam verè in ſe habuit. Nam etſi ante reſurrectionem haberet eandem virtutem Diuinam & poteſtatem: *omnia enim dedit Pater in manu eius*: tamen quia eam virtutem occultabat; & infirmitatem, cui ſe ſponte ſubiecit, exhibebat; idcirco dicitur tunc fuiſſe in infirmitate. In reſurrectione verò exuit omnem infirmitatem, & declarauit ſuam virtutem Diuinam, idque præcipuè in ſeipſo à mortuis, vti prædixerat, ſuſcitando: *Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus ſuſcitabo illud.* & alibi ait in ſua poteſtate eſſe, animam ponere & ſumere. *Habeo*, inquit, *poteſtatem animam ponendi & iterum ſumendi eam.* Non igitur ea fabula cenſenda eſt, vt blaſphemè ait Smalcius, ſed ipſiſſima à Chriſto patefacta veritas.

Neque refert, quòd alibi dicatur virtute Patris Chriſtus reſuſcitatus: nam alibi quoque dicitur virtute propria reſuſcitatus: coniungenda igitur ſunt iſta in vnum, & dicendum, Chriſtum & ſua & Patris virtute ſuſcitatum; ſiquidem vna & eadem eſt vtriuſque virtus & operatio. Etenim apud Ioannem cap 5. ex eo quod Pater operatur, ſe quoque idem neceſſariò operari Chriſtus demonſtrat. Quare ex virtute Patris non neganda eſt (vti facit Smalcius) virtus Filij, ſed potius aſtruenda, & dicendum, quidquid Pater Diuina ſua virtute operatur, idem quoque à Filio Diuina eius virtute fieri. id quod in 2. de erroribus Arianorum libro ca: 2. & 6. copioſè à nobis deductum eſt.

Sed argu-

Sed argumentatur Smalcius, ſi Chriſtus mortuus fuit, nullam virtutem declarare potuit: quia mortui, vt non ſunt, ita nihil agere poſſunt. Verùm in hac argumentatione & atheiſmum ſuum prodit de interitu animarum poſt mortem, & in Chriſtum blaſphemus eſt, quem ſcriptura, quoad vitam corporis amiſſam, mortuum teſtatur: quoad ſpiritum verò & Diuinitatem extitiſſe. Nam & ſpiritu ad inferos deſcendit, & latroni illo ipſo die policitus eſt, eum ſecum futurum in paradiſo. Denique contra nos ea argumẽtatio nihil facit: in promptu enim reſponſio eſt, Chriſtum Diuinitate nunquam mortuum fuiſſe. Diuinitate igitur ſeipſum excitare potuiſſe. Quocirca Smalcius dum principia noſtra non conuellit (vti conuellere nõ poteſt) argumentis ſimilibus nihil contra nos facit. Noſtrũ eſt ex principiis noſtris reſpondere: ipſi verò incumbit aut rem cõuincere, aut principia euertere: quorum neutrum ſuo argumento facit.

At inſtat Smalcius, natura ſine perſona mori non poteſt, cùm actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum. Cùm igitur in Chriſto ſit perſona Diuina, neceſſariò mortua eſt, moriente natura. non igitur poterat ſeipſam reſuſcitare. Verùm inſtantia Smalcij futilis eſt. Si enim in Chriſto perſona humana eſſet, ea vtique interiret diſſoluta natura humana: non eſſet enim vllius naturæ perſona, ac ex conſequenti neque perſona. At cùm credamus in Chriſto eſſe perſonam Diuinam, qua Chriſtus non in humana ſolùm ſed & in Diuina natura ſubſiſtit, nulla neceſſitas eſt, vt concedamus moriente natura humana ipſam Diuinam perſonam interijſſe. Habet enim naturam Diuinam in qua ſubſiſtat: ſicut enim non ſequitur perire ſubiectum ſublata forma, quam ſuſtentat: ita neque perſonam Diuinam perire ſublata natura humana, quam ſuo modo ſuſtentat.

Perſonam qui interire neceſſe eſt cum natura.

Adhæc Smalcius negat illa verba, *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, indicare cauſam conſtitutiuam Filij Dei, ſed tantùm effectiuam & extrinſecam: ſiquidem alibi dicitur, Chriſtum ſpiritu Dei Patris viuificatum eſſe: ſed falſi Smalcium conuincit ipſa oppoſitio carnis & ſpiritus. Vt enim ſecundùm carnem factus eſt Filius Dauidis: ita ſecũdùm ſpiritum ſanctificationis declaratus eſt Filius Dei: ita vt vtrumque intrinſecè Chriſtũ conſtituat, & ipſius duplicem naturam oſtendat, illud humanam, hoc Diuinam. Porrò hic ſpiritus ſanctificationis fuit in Chriſto, non ſolùm in reſurrectione, ſed etiam ab

Spiritus ſãctificationis in Chriſto eſt natura Diuina.

ipſo conceptionis momento: cum eo enim miſſus eſt in mundū à Patre, vti ipſemet de ſe affirmat, Ioan: 10. *quem Pater* (inquit) *ſanctificauit & miſit in mundum.* Tunc enim miſſus eſt in mundum cùm natus eſt, vt ipſe fatetur, Ioan: 18. 37. *Ego*, inquit, *in hoc natus ſum & veni in mundum,vt teſtimonium perhibeam veritati.* Ab ipſa igitur natiuitate miſſus fuit in mundum cum eo munere, quare & ſanctificatus eſt.

Porrò ignorantiam ſuam prodit Smalcius, cùm aſſerit iſta eſſe contraria, ſanctificari per reſurrectionem à Patre, & omnipotentiam ſuam in reſurrectione declarare. Eodem enim Spiritu Diuino naturam ſuam humanam ſuſcitauit Chriſtus & ſanctificauit: cùm vnius rei poſſit eſſe duplex operatio.

Modum porrò ſanctificationis, quem diximus eſſe, propter vnionem Diuinæ naturæ cum humana, cùm aliter refutare non poſſet, conuicijs carpit, vocatq; inaniſſimas fabulas, nænias & affanias, nugas ſatanæ, & hominum otioſorum commenta; vt in eo impleatur, quod D. Petrus de ſimilibus ipſi hæreticis dixit: quæ ignorant, blaſphemant, 2. Petr: 2. 12.

Ineptè argumentatur Smalcius.

De tali, inquit, ſanctificatione loquebatur Chriſtus Iudæis, ex qua poſſent cognoſcere illum Filium Dei: alioqui iniuria illos accuſaſſet, qui id cognoſcere nolebant. Hanc vero ſanctificationem propter vnitam Diuinitatem, ne mente quidem concipere poterant, vt potè quæ rationē ſuperat. non igitur de tali ſanctificatione Chriſtus locutus eſt. Quaſi verò non expreſſè ſcribat D. Ioannes, Iudæos hanc ſanctificationem & intellexiſſe & Chriſto exprobraſſe tanquam blaſphemiam: *Quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum*: denique propter eam Chriſtum lapidare voluiſſe. Quamuis verò ratione cōprehendi non poſſit: fide tamen etiam ea, quæ rationem ſuperant, credi poſſunt, & in particulari, vt hanc ipſam ſanctificationem crederent Iudæi; Chriſtus omnino volebat, producens opera ſua Diuina, quæ teſtificabantur verum eſſe illud, quod de ſe ipſe affirmabat & Iudæi blaſphemum arbitrabantur.

Denique cùm ait Smalcius, illam ſanctificationem, de qua Ioan: 10. non eſſe eandē cum ea, de qua agitur Rom: 1. an non temerè & ſine vllo fundamento loquitur? Per ſe enim manifeſtum eſt, & Ioan: 10. Chriſtum ſe probare Filium Dei ex ſanctificatione, & Paulus ad Rom: 1. itidem ſecundùm ſpiritū ſanctificationis aſſerit eſſe

Filium

Filium Dei. Porrò hanc ſanctificationem per vnionem naturæ Diuinæ cum humana, indicant ea omnia ſcripturæ loca, quæ verbum factum eſſe carnem, eum qui in forma Dei erat, formam ſerui accepiſſe, & alia his ſimilia docent.

Chriſtum Filium Dei fuiſſe antequam homo fieret, & de cœlo deſcenderet. Caput XII.

CHriſtum prius in cœlo fuiſſe, quàm in hunc mundum veniret, ſacræ literæ clariſſimè teſtantur. Io: 6.63. *Si videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius.* Ioan: 3. *nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis, qui eſt in cælo.* Ioan: 16. 28 *Exiui à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem:* vbi ex ipſa oppoſitione apparet, quòd ſicut iuit ad Patrem Chriſtus per verum aſcenſum; ita exiuit à Patre per verum deſcenſum: & ſicut reliquit mundum moriendo; ita venit in mundum naſcendo. Idem docent alia loca, quæ Chriſtum deſcendiſſe de cœlo, & à Patre miſſum teſtantur. Ex quibus efficitur, Chriſtum præter naturam humanam habere aliam longè excellentiorem naturam, ſecundùm quam fuerit Filius Dei, antequam homo naſceretur.

Reſpondet Smalcius, Chriſtum non fuiſſe in cœlo antequam homo fieret, ſed poſtquam homo factus eſt, ante ſui muneris initium, in cœlum aſcendiſſe: & ibi Dei volũtate plenè cognita, de cœlo deſcendiſſe. Qui error Smalcij, etſi à nobis alibi refutatus ſit tanquam ſcripturis & communi ſenſui fidelium repugnans: hîc tamen breuiter duo capita attingemus. Primum eſt, quia nuſquam legimus in ſacris literis aſcendiſſe in cœlum, niſi poſt reſurrectionem ſemel. non igitur loca ſcripturæ de exiſtentia Chriſti in cœlo debent exponi de aſcenſu. Et ſanè ſi talis aſcenſus fuiſſet, minimè res tam glorioſa & tanti momenti, ad conciliandam Chriſto ſummam auctoritatem & dignitatem. ab Euangeliſtis tacita fuiſſet: imò cùm initium ſuæ prædicationis Chriſtus faceret, & baptizaretur à Ioanne, legimus quidem apertos ei fuiſſe cœlos; verùm tunc ipſum non aſcendiſſe in cœlum, ſed potius Spiritum ſanctum in eum deſcendiſſe, & Patrem, voce de cœlo delapſa, illum Filium ſuum declaraſſe legimus. Paulus etiam ad Hebræos 10. ex figura ſacerdotis legalis expreſſè docet, Chriſtum in cælum introiſſe ſemel.

Error Smalcij de Chriſti in cœlum raptu.

Neque euadunt cùm dicunt, Paulum loqui de ingreſſu Chriſti ſacerdotis in cœlum, & cum ſacrificio. Nam ex eadem figura perſpicuum eſt ſacerdoti legali, non niſi peracto antea ſacrificio licuiſſe ingredi in ſancta ſanctorum: quare & Chriſtus non aliter in cœlum intrare debuit, niſi peracto in terris ſacrificio. Oportuit enim Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, & ſic intrare in gloriam ſuam.

At vrgent Ariani locum Ioan: 3. 13. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cælo:* ex eoq; inferunt Chriſtum aſcendiſſe in cœlum. At ineptè. Ne enim ambiguitate ſermonis in eum errorem laberemur, præcauit Chriſtus, addendo: *qui eſt in cœlo*; quo indicauit ita fuiſſe in cœlo, vt & tunc, cùm iſta diceret, eſſet in cœlo: nimirum non corpore, nec per aſcenſum, ſed Diuinitate, qua ſemper eſt in cœlo.

Chriſtus in cælum non aſcendit ante mortem.

Quod ſi velimus cum Socino interpretari participium Grecum in præterito non, qui eſt; ſed qui erat: idipſum etiam ad noſtram rem facit. Chriſtus enim non per aſcenſum, ſed abſolutè fuerat in cælo, antequam eò aſcenderet: idcircoque dicitur, *Qui erat in cælo,* vt intelligamus Filium hominis deſcendiſſe de cælo, non quòd in cælum ante aſcendiſſet, ſed quòd ibi ante eſſet. Quare & Ioannis 6. cùm Chriſtus ait: *Cùm ergo videritis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius,* conſultò dicit, *vbi erat*; non autem quò aſcenderat: quia nimirum ſine aſcenſu, ibi erat, tanquam ibi natus, quod vti de humanitate intelligi non poteſt, ita de Diuinitate debet omnino intelligi. Non poſſunt igitur hoc loco ſuum errorem tueri Ariani.

Vrgent etiam, quòd Filius hominis dicatur fuiſſe in cœlo. ex quo inferunt, Filium hominis ſecundùm humanam naturam fuiſſe in cœlo. At minimè id conſequitur: de Filio enim hominis dicitur, quòd etiam nunc ſit in cœlo, Ioan. 7. 36. *vbi ſum ego, vos non poteſtis venire.* Ioan: 17. 24. *Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.* Ioan: 12. 26. *vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Certum eſt autem, Filiũ hominis non fuiſſe tunc in cœlo natura ſua humana, ſed in terra: non ergo neceſſe eſt, vt Filius hominis dicatur fuiſſe in cœlo ſecundùm naturam humanam, ſed alia natura, nempe Diuina, agnoſcenda eſt, ratione cuius tunc, cùm in terris verſaretur vt homo, in cœlo exiſteret vt Deus, vti omnes SS. Patres ex hiſce ſcripturis id colligunt. Si enim illius Filij hominis ſubſtantia non ſolùm erat humana, ſed &

Diuina,

Diuina, meritò dicetur Filius hominis in cœlo fuiſſe, ſi ſua Diuina ſubſtantia ibi fuerit.

Ait etiam Socinus, cùm Filius hominis perſonam humanam neceſſariò habeat, non poſſe eſſe naturâ Deum. At nos, Filium illum hominis, non perſonam humanam, ſed Diuinam habere ex ſcripturis aſſerimus. Deum enim hominem factum credimus. Nihil igitur talia nos argumenta afficiunt, quæ falſis principiis nituntur.

Alterum eſt, quod ex ſcripturis habemus, Chriſtum fuiſſe re ipſa in cœlo, antequam veniret in hunc mundum. De cœlo enim deſcendiſſe & miſſum eſſe in mundum, & veniſſe in mundũ legimus Ioan: 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Porrò certum eſt, Chriſtum veniſſe in mundum, tunc cùm natus eſt in mundum. Nam & negari non poteſt, hominem, cùm naſcitur venire in mundum. Sic enim Ioan: 1.9. dicitur: *Omnem hominem venientem in hunc mundum*, id eſt, omnem hominem qui naſcitur in mundum; & ſcriptura aliud tempus aduentus Filij Dei non aſſignat. Neceſſe igitur eſt dicere, Chriſtum fuiſſe in cœlo antequam natus eſſet in mundum.

Chriſtus deſcendit de cœlo, vbi ante fuit.

Reſpondet Socinus in Catecheſi, Chriſtum veniſſe in mundũ poſt natiuitatem ſuam. id enim vult ſignificari illis Chriſti verbis, Ioan: 18. 37. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Verùm hic locus totum hunc errorem penitus euertit. quia enim coniunguntur iſta: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum*: idque ad teſtimonium perhibendum veritati, pro eodem iſta ſumuntur, & vnum eſt exegeſis alterius. Nam & cùm natus eſt Chriſtus in mundum, negari non poteſt, quin venerit in mundum; & ſicut natus eſt ad perhibendum teſtimonium veritati: ita eo ipſo venit in mundum ad teſtimonium perhibendum veritati. Cùm verò munus hoc perhibendi teſtimonij veritati in ipſa natiuitate acceperit, conſequens eſt ab ipſa natiuitate miſſum eſſe à Deo in mundum. Deus enim tunc mittit, cùm munus imponit. Nullo igitur modo hic locus torqueri poteſt ad Chriſti aduentũ in mundum poſt natiuitatẽ.

Chriſtus quando de cœlo deſcenderit.

Deinde reſpondet, ſcriptum eſſe 1. Ioan: 4.1. *multos falſos Prophetas exiiſſe in mundum.* non igitur talis modus loquendi, determinatè idẽ indicat, quod naſci in mundum. At non aduertit Socinus, diuerſos eſſe iſtos loquendi modos. Is enim dicitur venire in mundum, qui

ante non erat in mundo. Exire verò in mundum dicitur is, qui ex oc-culto prodit in publicum; & cùm ante lateret, manifeſtè apparere incipit. Non igitur par eſt harum locutionum ratio; maximè cùm Chriſtus non ſolùm dicatur veniſſe in mundum, ſed in hunc mundum, quaſi in hoc mundo ante non fuerit, ſed extra hunc mundum fuerit. Ita enim Martha confeſſa eſt Chriſtum: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.* Et ſanè ſi Chriſtus priùs aſcendit in cœlum, tum de cœlo deſcendit, non tam diceretur venire, quàm redire in mundum. Scriptura autem ſemper eum veniſſe in mundum aſſerit, nunquam rediſſe inſinuat. Non igitur reſpectu aſcenſus alicuius in cœlum, dicit eum veniſſe in mundum, ſed abſolutè eo modo, quo omnes homines cùm naſcuntur, dicuntur venire in mundum, Ioan: 1. 9. Huc etiam ſpectat illud Pauli, Heb: 10. 5. *Ingrediens mundum, dicit hoſtias & oblationes noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, tunc dixi: Ecce venio.* qui locus ſupra à nobis expoſitus eſt.

Ex quibus patet, Chriſtum non ab initio exercitij ſui muneris deſcendiſſe de cœlo, ſed ab initio ſuæ natiuitatis. Nam de illo deſcenſu ad initium prædicationis nulla mentio in ſcriptura, cùm tamen res tanti momenti nullo modo ſileri debuiſſet. Tunc igitur deſcendiſſe de cœlo credendus eſt, cùm in mũdum venit. Venit autem, cùm natus eſt in mundum: quare & tunc de cœlo, deſcendit. Antequam enim veniret in mundum, in cœlo erat. quare venire in mundum non potuit, niſi deſcendendo de cœlo. Deſcendit igitur de cœlo Chriſtus: quia cùm Diuinitate ſua in cœlo eſſet, in terris homo factus eſt. Neque enim hic deſcenſus per motum localem, ſed per naturæ humanæ aſſumptionem fuit. id quod ex dictis deducitur. Si enim tunc deſcendit, quando venit in mundum, venit autem quando natus eſt, ſequitur hunc deſcenſum eſſe per aſſumptionem naturæ humanæ.

Neque etiam illo modo dici poteſt Chriſtus deſcendiſſe de cælo, quo Iacobi 1. legimus, omne donum deſcendere à Patre luminũ. Talis enim deſcenſus eſt metaphoricus & improprius. Neque enim dona fuerunt verè in cælo, & deſcendere poſſent: ſed dicuntur deſcendere, quia oriuntur & efficiuntur à Patre luminum. Chriſtus verò dicitur deſcẽdiſſe de cælo, quia cùm verè fuerit in cælo; in terris homo factus apparuit. Prius enim verbum erat apud Deum, tum caro factum eſt. Ioan: c. 1.

Patet etiam, Chriſtum miſſum fuiſſe in mundum ab ipſa natiuitate, non ab initio muneris ſui; vt vult Smalcius: tunc enim miſſus eſt in mundum, quando venit in mundum. Venit autem in mundum tunc cùm natus eſt. Miſſus ergo eſt in mundum, quando natus eſt. Idque indicat locus citatus, Ioan: 18. 37. Hoc etiam modo intelligitur illud Ioan: 10. *Quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum.* ſanctificauit enim eum Diuinæ naturæ cum humana vnione: & ſic miſit in mundum Filium ſuum, hominem factum. Gal: 4. 4. *miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.*

Chriſtus quo tempore miſſus eſt in mundum.

Obijcit Socinus in Catecheſi illud Ioan: 17. 18. *Sicut me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum*: neque tamen ex hoc loquendi modo inferri poteſt, in Apoſtolis duplex natura. At friuola obiectio. Non enim quocunque modo miſit Deus Filium ſuum in mundum, ſed tanquam eum, qui in cælo ante fuerit, miſit de cælo in terras. Hoc autem modo non ſunt miſſi in mundum Apoſtoli. Illa ergo particula, *ſicut*, non denotat omnem paritatem, ſed tantùm in legatione, quòd cum ea legatione, qua Chriſtus miſſus eſt in mundum à Patre, ipſe quoq; miſerit Apoſtolos ſuos in mundum. Non igitur ex hac ſola forma loquendi colliguntur in Chriſto duæ naturæ, ſed ex tali modo miſſionis, quod cùm antea in cælo verè eſſet, miſſus ſit in mundum factus homo, vti explicatum eſt.

Chriſtum ante Luciferum eſſe ex Deo genitum, & ante Abrahamum extitiſſe, demonſtratur. Cap: XIII.

PRoferamus deinceps ea ſcripturæ loca, quæ Chriſtum, antequam homo eſſet, reuera extitiſſe teſtantur: vt ex eo intelligatur altera quædam natura, præter humanam, eſſe in Chriſto, propter quam ſit & dicatur Filius Dei. Ac inprimis non commemoro illuſtrẽ locum Hebr: 7. vbi ex typo Melchiſedechi Paulus oſtendit Filium Dei nec initium dierum, nec finem vitæ habuiſſe. is enim locus iam ſupra à nobis tractatus eſt. Hic vrgeo primùm, locum Pſalmi 109. in quo Deus Pater Filium alloquitur, *Ex vtero ante luciferum genui te.* quorum verborũ is ſenſus eſt: Ex ſubſtantia mea, antequam lucifer eſſet, genui te.

At Smalcius contra proclamat, aliter legi in Hebræo. Aio ego

70. Interpretum verſio quanti facienda?

70. interpretes ſenſum lectionis Hebrææ expoſuiſſe. quæ enim in Hebræo ambiguè habentur, ea ipſi Spiritu Dei pleni clariùs expoſuerunt. Nam quod in Hebræo habetur, ex vtero, ante auroram, tibi ros natiuitatis tuæ; id quia obſcurum & ambiguum erat, clariùs interpretati ſunt, *ex vtero ante luciferum genui te.* vbi nemo non videt, verſionem 70. interpretum, ab Hebræa lectione in re non differre, ſed clarius id exprimere quod obſcurè in Hebræo textu habetur. Idē enim eſt ante luciferum, & ante auroram: lucifer enim eſt ſtella auroræ; idem etiam, genui te, & tibi ros natiuitatis tuæ.

Multa verò Smalcius contra verſionem 70. interpretum opponit. Inprimis 70. interpretes Pſalmos non conuertiſſe in linguam Græcam. At reclamabit Smalcio tota antiquitas, & vſus perpetuus Pſalmorum in Eccleſia ſecundùm 70. interpretum verſionem. Accedit etiam ratio. Conſtat enim Chriſti & Apoſtolorum tempore non fuiſſe aliam ſcripturæ verſionem Græcam, niſi 70. interpretum. Conſtat etiam Chriſtum & Apoſtolos ſecundùm Græcam verſionē Pſalmos citaſſe, vti de hoc ipſo Pſalmo 109. manifeſtum eſt: cuius primum verſum ex Græca verſione citauit Chriſtus, Matth: 22. 44. & quartum verſum Paulus ad Hebr: 5.6. ex quo ſequitur Pſalterium à 70. interpretibus in Græcum conuerſum eſſe.

Ait ſecundò, eam 70. interpretum verſionem corruptam eſſe. At licet id verum ſit de plurimis aliis locis: nequaquam tamen de iis id dici poteſt, qui ſunt vel in ſcriptura, vel à tota antiquitate ex verſione 70. retenti & conſeruati: qualis locus eſt is, quem tractamus, atque adeò totus Pſalmus 109.

Addit, 70. interpretes, non Prophetas, ſed interpretes fuiſſe: idcircoque eorum verſionem non eſſe tantæ auctoritatis. Verùm auctoritatem verſioni 70. interpretum, non ſolùm attribuit antiquitas Iudæorum, vti patet ex Philone Iudæo 2. de vita Moſis, & Ariſtæo in hiſtoria de hac ipſa re. Ioſepho 12. Antiquit: 2. qui eam Diuino miraculo tribuit, & per omnia cum Hebręo conſentientem affirmat, ſed etiam Chriſtus & Apoſtoli, qui ea vſi ſunt, non quomodocunq; ſed ad dogmata Fidei probanda. Nam & Chriſtus ex ea ſuam Diuinitatem probauit, & Paulus Chriſti ſacerdotium ſecundùm ordinē Melchiſedech.

Futile verò quod Smalcius ait, Chriſtum & Apoſtolos in quibuſdam

buſdam locis, in quibus à vero non diſſentit, ſecutos eſſe. Etenim ſi ea verſio in aliquibus à vero diſſentiret, proculdubio tota ſuſpecta eſſet, nec vllam ad probandum auctoritatem haberet. qui enim in aliqua orationis ſuæ parte mentitur, totam ſuam orationem meritò ſuſpectam reddit. Deinde, Chriſtus & Apoſtoli eam verſionem adhibebant, tunc cùm vocibus (licet non re) diſſentiret ab Hebræa, vt ex locis citatis patet, & in tali verſione vim ad probandum faciebant. Ad hæc à veritate non diſſenſiſſe illam verſionem, ſed indubitatam fuiſſe, certum erat apud antiquos, ante Chriſtum, Iudæos: vti citati ex Iudæis auctores affirmant: licet enim vocibus diſſentiret, in re tamen non diſſentiebat. Quod ſi in aliquibus locis diſſenſiſſet à vero, periculi & ſcandali plenum fuiſſet, Chriſtum & Apoſtolos illa vti, ne exemplum daretur in aliis etiam ſuſcipiendam eſſe.

Fruſtra item ſe fatigat Smalcius, cùm ait Apoſtolos interdum ex prophanis etiam auctoribus quædam allegaſſe; neque enim ea allegabant tanquam fundamenta præcipua veritatis, ſed vt Diuinam veritatem eſſe conformem, etiam prophanorum authorum ſcriptis indicabant. ex qua re nulla prophanis illis ſcriptis auctoritas accedebat. At verſione 70. vſi ſunt Apoſtoli ad probandas veritates Fidei: ad quod certitudo & infallibilitas verſionis requiritur. Ex incerta enim & fallibili verſione, nihil certi probari poteſt.

Ait tertiò Smalcius, admiſſa verſione 70. nihil ex ea colligi poſſe, de æterna Chriſti generatione. Vterum, inquit, Deo attribui, inſolens eſt & abſurdum. At ſicut alia corporis membra ad varias proprietates denotandas, Deo ſine abſurditate attribuuntur, vt oculi, manus, naſus, ſinus; ita & vterus ad Diuinam fæcunditatem & veritatem generationis ſignificandam. *Mēbra corporis quæ Deo tribuantur.*

Aliud, inquit, eſt Dei ſubſtantia, aliud vterus. Dico ego, id quod vtero ſignificatur in Deo, nihil aliud eſt, quàm Dei ſubſtantia. Nulla enim Diuina perfectio eſt accidens. Adhæc quemadmodum ea, quæ ex vtero generant, ex ſua ſubſtantia generant, vt in animalibus manifeſtum eſt: ita & Deus ex vtero generare dicitur, vt verè ex ſua ſubſtantia generare indicetur.

Aliud, inquit, eſt generare ante luciferum, aliud ab omni æternitate. Facilè enim fieri poteſt, vt quis ante luciferum genitus ſit, qui tamen ab æterno non fuerit. Reſpondetur, ante luciferum generari, *Ante luciferum generari quid?*

 eſt ante

eſt ante ſecula generari. Lucifer enim initio ſeculorum conditus eſt. Porrò ſcriptura hoc modo loquendi æternitatem deſignat, vt vel vnicus locus Ioan: 18. docet: *Clarifica me tu Pater, ea claritate, quam habui priusquam mundus eſſet, apud te.* quibus verbis petit claritatem, quam ab æterno habuit apud Patrem.

Idem ratio ſuadet. Ante mundum conditum, non erat tempus ſed æternitas. Tempus enim non eſt, niſi in rebus & motui ac mutationi ſubiectis. Ante verò mundum nihil creatum fuit, ſed in principio Deus creauit cælum & terram, Gen: 1. 1. & quoties in ſcriptura inuitantur omnia opera Domini ad laudandum Deum, nullius alterius operis, niſi quod mundo continetur, fit mentio. Nullum igitur tempus fuit ante mundum conditum, ſed ſola æternitas. Quare & generatio Filij Dei, cùm fuerit ante mundum conditũ, eſt æterna.

Smalcij interpretatio abſurdiſſima.

Tandem Smalcius reijcit eorum ſententiam, qui ea Pſalmi verba de Chriſto ex vtero Mariæ ante ortum luciferi genito, interpretantur, ſuamque longè ineptiorem ſubſtituit, nempe Chriſtum ab ipſo initio ſui regni tam numeroſum populum habiturum fuiſſe, vt ros eſt, qui omnem terram cooperiat. At quis talia figmenta æquo animo ferat? vbi enim hîc mentio populorum? vbi mentio multiplicationis? quomodo verò hæc facta dicuntur ante auroram? Itaque nihil in hac expoſitione non fictum, non violentum & inſulſum apparet.

Chriſtum ante Abrahamum verè extitiſſe probatur.

Non minus illuſtris locus eſt, Ioan 8. vbi Chriſtus ſe ante Abraham extitiſſe verbis expreſſis aſſerit: *antequam Abraham fieret, ego ſum.* Quo in loco, cùm de annis Chriſti ageretur, quòd 50. annos nondum haberet, tantùm abeſt vt Abraham videre poſſet: de annis quoque ſuis, quibus Abrahamum præcederet, reſpõdit Chriſtus, Diuinam ſuam naturam innuens, qua non ante Abrahamum modò, ſed & ab æterno exiſtebat. Quod & illis verbis innuit. *ego ſum*: non enim dixit, ego factus ſum, ego fui, ſed *ego ſum,* qui ſemper ſum, & immutabiliter exiſto, vt SS. Patres annotârunt. Idem quoq; innuit Chriſtus, cùm tanta aſſeueratione id affirmat, ac ſi rem omnino arduam & difficilem affirmaret, *Amen, Amen dico vobis.*

Hîc Ariani, cùm aliter vim huius loci euadere nõ poſſent, ſtultiſſimam verbis Chriſti interpretationem affinxerunt. Aiunt enim legendum eſſe: *Antequam Abraham fiat, ego ſum*: Verbũ enim γενέσθαι

vtroque

vtroque modo verti poteſt. Quid ſtultius? Idcirco enim nulli venit
in mentem, vocem Græcam eò modo interpretari, quod interpreta-
tio eſſet per ſe abſurda. Ex ea enim primùm ſequitur, Abrahamũ
poſt Chriſtum fieri, id eſt naſci, debuiſſe.

Reſpondent ſenſum eſſe, antequam Abraham fiat Abraham, *Reſponſio*
id eſt Pater multarum gentium, ego ſum lux mundi. At nemo non *Arianorum*
videt, aliud eſſe Abrahamum futurum abſolutè: aliud hoc vel illud *abſurda.*
futurum, nempe Patrem multarum gentium. Cùm abſolutè dicitur, 1.
Abraham futurus, quoad exiſtentiàm ſuam futurus intelligitur, non
verò hoc vel illud futurus. Cùm verò dicitur, futurus Pater, non
intelligitur exiſtentiam acquiſiturus, ſed ſolùm Pater futurus. Si
igitur Chriſtus dixiſſet (ſicut iſti volunt) antequam Abraham fiat,
proculdubio indicaret, Abrahamum nondum fuiſſe, ſed poſtea na-
ſciturum, quod falſiſſimum erat.

Neque refert, quòd Abraham ſignificat Patrem gentium. Nam 2.
hîc non dicitur Abrahamum futurum Patrem multarum gentium.
non enim nunc quærimus an Abraham ſit Pater multarum gentium,
quod nemo dubitat, ſed an hoc in verbis Chiſti dicatur; Dicitur e-
nim is, qui eſt Pater multarum gentium; abſolutè futurus: non verò
futurus Pater. Neque quiſquam eſt, qui ignoret has propoſitiones
eſſe diuerſas, Abraham fiet, & Abraham fiet Pater multarum genti-
um: cùm in illa affirmetur de Abrahamo fieri abſolutè: in hac ve-
rò fieri Patrem. Deinde ex ea verſione ſequitur Chriſtum ineptè re- 3.
ſpondiſſe. Iudæi enim de annis loquebantur, quibus Chriſtus Abra-
hamum attingere non poterat, vt vel Abrahamum videret, vel ab
Abrahamo videretur: iſti verò Chriſtum reſpondentem faciunt,
antequam fiet Abraham Pater multarum gentium, ego ſum. Quòd
neque ad propoſitam quæſtionem facit, neque omnino ad rem, cùm
& Iudæi ipſi, & alij homines, dicere potuiſſent ſe eſſe, antequam
Abraham fieret Pater multarum gentium. Deinde ita faciunt Chri- 4.
ſtum reſpondentem, vt à nemine intellectus fuerit, aut intelligi po-
tuerit, quod non eſt reſpondere, ſed omnes reſpondendi leges, vio-
lare. Etenim ſi per mille ſexcentos annos à Chriſto, nulli venire po-
tuit in mentem talis verborum ſenſus; qualem iſti noui Ariani fin-
gunt; quis credat Iudæis illis, quos Chriſtus alloquebatur, talẽ ſen-
ſum perſpectum fuiſſe: cùm potiùs idcirco illum lapidibus obruere

 voluerint;

voluerint, quòd in eo reſponſo Diuina eius ante Abrahamum exiſtentia contineretur: quod illi impoſſibile & blaſphemum arbitrabantur.

Reſpondēt, non Chriſtum ſed Iudæos ineptè locutos eſſe. Ineptè enim inferebant, ex eo quòd Abraham vidiſſet diem Chriſti, Chriſtum vidiſſe Abrahamum. *Quinquaginta annos nondū habes & Abraham vidiſti?* Atſi ineptè Iudæi obijciebant, Chriſtus certè non ineptè reſpondiſſe cenſendus eſt, ſed eorum errorem corrigere conuenienti reſponſione debuit. At ea, quam iſti Chriſto imponunt, reſpōſio, nihil planè ad rem facit, quum quiduis aliud, quàm quod erat in quæſtione, contineat. Deinde dico, Iudæos non adeò ineptè, vt iſti volunt, intuliſſe, Abrahamum fuiſſe à Chriſto viſum. Quia enim dicebat Chriſtus, Abrahamum vidiſſe diem ſuum & gauiſum eſſe, innuebat ſe vidiſſe Abrahamum videntem diem ſuum & lætitia geſtientem. Aptè igitur & conſequēter interrogant Iudæi: *Quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidiſti.* Quare & Chriſtus aptè ad interrogationem reſpondere debuit, dicendo ſe annos, quibus Abrahamum præceſſerit, habere: quod de annis ſuæ Diuinitatis non humanitatis intelligi voluit; ita vt etiam idcirco lapides tollerent Iudæi, vt iacerent in eum, quòd id blaſphemè dici à Chriſto arbitrarentur.

Duo ſcripturæ loca de æterna Filij Dei generatione, à Smalcij cauillationibus vindicantur. Cap: XIIII.

Natiuitas Chriſti duplex: temporalis & æterna.

DE æterna Filij Dei generatione, illuſtre teſtimonium habetur apud Michæam, cap: 5. 2. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis:* vbi per egreſſionē natiuitatem ſignificari, manifeſtum eſt. Cùm verò duplicis egreſſionis mentio fiat, duplex quoque Chriſti natiuitas indicatur: altera temporalis, quæ futura erat in Bethleem; altera æterna, quæ dicitur eſſe *ab initio & à diebus æternitatis.* Hîc Smalcius negat duplicem Chriſti egreſſionem ſignificari. poteſt enim, inquit, de vna egreſſione dici, eam eſſe ex Bethleem & à ſæculo, vel à diebus æternitatis: quia nimirum dux ille, qui naſcetur in Bethleem, originem ſuam trahit ab ipſo initio & priſcis diebus: nempe ab illis diebus, cùm Deus in po-

pulo

pulo ſuo regem ſtabiliuit: quod reuera cæptum eſt fieri in perſona Dauidis, qui & ipſe Bethleemita fuit, & auctor ſtirpis & familiæ Chriſti.

Smalciana expoſitio inepta. Hæc expoſitio pluribus ex cauſis inepta cenſeri debet. Prima eſt, quòd per egreſſionem, non quælibet origo Chriſti, ſed actu & re ipſa conſumata, quæ natiuitas dicitur, intelligi debet. egredi enim ex Bethleem, eſt naſci re ipſa ex Bethleem. quare & Matth: 2. 6. Principes ſacerdotum & ſcribæ ex hoc loco probârunt Chriſtum naſciturum in Bethleem. Cùm igitur Chriſtus ſecundùm carnem non ſit egreſſus ſeu natus ab initio & diebus ſæculi, non poteſt eadem egreſſio intelligi, quæ fuit ab initio & à diebus ſæculi, cum ea quæ fuit in Bethleem. Etſi enim originem duxit Chriſtus ab antiquis diebus, non tamen egreſſus eſt vel natus ab antiquis diebus: neq; dies illi ſæculi, ſunt dies natiuitatis eius ſecundùm carnem. Neq; enim quia omnes ducimus originẽ ab Adamo & à temporibus Adami, idcirco dici poteſt, nos natos & egreſſos ex Adamo, temporibus Adami & ab initio mundi. Aliud enim eſt origo, aliud natiuitas & egreſſio ipſa. Origo enim accipit ſuum initium ab ipſo familiæ initio; cùm ſolùm ſignificet deſcẽſum ex tali familia & ſanguine. Natiuitas autem ſignificat originem re ipſa & opere conſumatam. Vnde non ſunt eadem tempora originis & natiuitatis. Naſcimur enim tunc cùm re ipſa in mundum producimur: quod egreſſionis nomine ſignificatur. Originem autem ducimus, à primis familiæ authoribus & à temporibus illorum. Ex quo patet non originem, ſed natiuitatem ipſam Chriſti ſecundùm Prophetam eſſe ab initio & à diebus ſæculi: quod non poteſt intelligi de natiuitate ſecundùm carnẽ, quæ non fuit ab initio, ſed tunc cùm Chriſtus eſt natus in Bethleem Iudæ. 1.

Secunda cauſa eſt, quòd alioqui Propheta nihil magnum de Chriſto dixiſſet, ſi eum antiquam originem habere à ſuis progenitoribus dixiſſet. hoc enim omnibus hominibus commune eſt, vt ex antiquis diebus, imò ab ipſo Adamo originem trahant. Quod ſi antiquitas originis laudi aliquando ducitur, non ſimplex origo & antiquitas ſumitur, ſed à nobiliſſimis primogenitoribus & familia illuſtri: ita vt ſola originis antiquitas ſecundùm tempus, non autem ſecundùm familiæ nobilitatem, nullius laudis ſit; cùm omnibus, vti 2.

 dixi.

dixi, communis ſit. Porrò hîc Propheta, cùm natiuitatis Chriſti antiquitatem recenſet, non progenitorum aut familiæ Bethleemiticæ nobilitatem commemorat, ſed ſolam temporis antiquitatē. nihil enim de egreſſione aliud dicit, niſi quòd ſit ab initio & à diebus ſeculi. At ſi hoc ſolùm ab antiquis progenitoribus deſcēſum ſignificat, nullam laudem habet, neque magnum quidpiam eſt, ſed commune & vulgare. Non igitur iſtam ab antiquis progenitoribus originem intelligit hoc loco Propheta: alioqui non nudam antiquitatem, ſed nobilitatem familiæ antiquæ cõmemoraſſet. Antiquitas enim ſine nobilitate nullam commendationem tribuit. Neq; refert, quòd Chriſtus ab antiquis Ducibus & Regibus originē duxerit. huius enim nulla mentio fit hîc à Propheta, ſed tantùm antiquitatis. Neceſſe igitur eſt dicere, Chriſti æternam generationem, quæ ab initio & diebus ſeculi eſt, indicari: quæ quidem vel eo ſolo nomine, quòd æterna eſt, ſummam cõmendationem habet, cùm ea laus nulli creatæ rei tribui poſſit.

3. Tertia ratio ex illis verbis ſumitur, *Ab initio & diebus æternitatis*: quæ egreſſui ex Bethleem accõmodari non poſſunt: quia is non fuit à diebus æternitatis. Negat Smalcius his verbis æternitatem veram, ſed ſolùm antiquitatem deſignari: æternitatis enim nulli ſunt dies. At iſta eſt Smalcij ignorantia, qui non legit in ſcriptura nominari *diem æternitatis*, 2. Petr: 3. 18. Negare etiam Smalcius nequit hos loquendi modos in ſcriptura ſignificare veram æternitatē, Prou: 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarū, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* vbi patet in initio vel ab initio, non ſignificari temporis initium, quo res eſſe cæperunt, ſed antequam quidquam fieret: initium autem antecedēs res omnes creatas, eſt æternitas, Eccli: 24. *ab initio & ante ſæcula creata ſum.*

Æternitas variè in ſcripturis exprimitur.

Similiter, à ſeculo vel à diebus ſeculi, ſignificat phraſi Hebraica ante ſecula, Pſal: 89. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſeculo & vſque in ſeculum, tu es Deus*, id eſt ab æterno & in æternum. Quod ſi dicat Smalcius iiſdem modis loquendi, ſignificari poſſe tempus antiquum, ſicut & nomine ipſo æternitatis. Sic enim dicuntur montes æterni, tempora ſecularia. Reſpondendum eſt, poſſe quidem eos modos loquendi ad antiquitatē temporis deſignandam

propter

propter ſimilitudinem quandam cum æternitate transferri: tamen cùm geminantur in ſcriptura tales modi, æternitatem deſignantes, non ſignificant antiquitatem temporis, ſed veram æternitatem: vt cùm dicitur *in æternum & in ſeculum ſeculi.* Pſal: 9. 10. vera æternitas deſignatur. Similiter cùm dicitur, *in ſeculum & in ſeculum ſeculi,* Pſal: 20. 5. aut cùm dicitur *in ſeculum & ſeculũ, vel in ſeculum ſeculi*, geminatione ipſa propria æternitas indicatur. Cùm igitur hoc loco geminãtur hi modi loquendi æternitatẽ deſignantes, *ab initio & à diebus ſeculi*, neceſſe eſt veram æternitatem ipſa geminatione indicari.

Huc ſpectat, quod Micheas de generatione, quæ eſt *ab initio & à diebus ſeculi* loquens, eam numero plurali deſignauit, *egreſſus* ſeu *egreſſiones*. qua in re phraſim Hebræorũ ſecutus eſt; qui cùm rem aliquam maximam ſignificare volunt, eam in plurali numero nominant; ſic Gen: 1. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, Hebraicè habetur *Eloim, Dij*: Pſal: 26. 8. *Facies Domini* in plurali dicuntur. Iob 40. 10. Behemot magna beſtia dicitur, Beſtiæ in plurali. Pari ergo ratione, cùm hîc de Diuina generatione agatur, rectè in plurali egreſſus nominatur. Nec alia talis nominationis cauſa facilè inueniri poteſt. Nam friuolum eſt, quod ait magnum numerum progenitorum Chriſti indicari: etenim non quia multi progenitores, ideo multæ natiuitates ſeu egreſſiones dici poſſunt: nec quot ſunt progenitores, à quibus quis deſcendit, tot natiuitates eius dici poſſunt. Vna enim natiuitate eſt ex omnibus ſuis progenitoribus. Quæ omnia demonſtrant locum hunc Micheæ de duplici Chriſti generatione, & ex cõſequenti de duplici natura omnino intelligendum eſſe.

Alter locus ſimilis eſt Coloſ: 1. 15. vbi Paulus vocat Chriſtum *primogenitum omnis creaturæ*, id eſt genitum ante omnẽ creaturam, vti ex ratione ſubiecta patet: *quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa.* Verùm Smalcius; aliud, inquit, eſt, eſſe ante omnem creaturam genitum, & eſſe genitum ab æterno, idque ex eſſentia Dei. At nos ex ſcripturis oſtendimus, eo loquendi modo æternitatem deſignari; quod enim eſt ante mundum conditum, antequam quidquam fieret, ante ſæcula; ab æterno eſt, Ioan: 17. 5. Prouerb: 8. 22. Pſal: 73. 12. ante mundum enim conditum non erat tempus, ſed æternitas, vti dictum eſt. Quod ſi ea Filij Dei generatio æterna erat, proculdubio ſecundùm Diuinam naturam erat, & ex conſequenti ex Dei eſſentia. nihil enim cre-

Chriſtus primogenitus omnis creatura ſecundùm naturã Diuinam.

nim creatum ab æterno erat. quare nec ex nihilo generari potuit Filius Dei, neque ex aliqua alia ſubſtantia, præterquam Diuina.

Quod eſt ante mũdum, æternum eſt.

Cùm verò ait Smalcius, potuiſſe Filium Dei fuiſſe ante omnem creaturam, & tamen ipſum etiam eſſe creaturam, vt Arius aſſerebat: dicimus id falſum eſſe. Nam ſi ſecundùm ſcripturas loquamur, id quod omnem creaturam ſeu mundum vel ſæcula anteceſſit, non erat res creata, ſed Deus ipſe. Creaturæ enim ſecundùm ſcripturas cum mundo cæperunt. Quocirca ſi Filius Dei genitus eſt ante omnem creaturam, quæ hoc mundo continetur, non fuit ipſe creatura. Reſpondet ſecundò Smalcius, Paulum hîc ſolùm de noua creatura loqui, eamque à Chriſto eſſe conditam, non quoad eſſentiam & naturam, ſed quoad reformationem.

1. *Smalcij in exponendis ſcripturis temeritas.*

At primùm obiicimus Smalcio ſummam in exponendis ſcripturis temeritatem, cùm à proprio ſenſu ad improprium, temerè ſcripturæ verba detorquet. Quæ enim neceſſitas eſt, hîc impropriè creaturam accipere? Nam cùm dicunt, Chriſtum hominẽ non poſſe dici, quà homo eſt, ante omnẽ creaturam genitũ, & per ipſum cõdita eſſe vniuerſa in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia: cur non potius inferunt, Chriſtum non ſolùm hominem eſſe, ſed & Deum, cui hæc omnia propriè, vti in ſcriptura recenſentur, conueniant: quippe cùm impropriæ locutionis nullum planè hoc loco ſit indicium; ac ex conſequenti debent ea Chriſto, in propria ſignificatione attribui; ex qua colligitur Diuina eius natura.

Quæ ſcripturæ de noua creatura accipiendæ?

Affert quidem loca aliqua Smalcius, vbi creaturæ nomine abſolutè poſito, noua creatura intelligatur. At nihil facit. ſemper enim additur aliquid, quod vocem creaturæ ad nouam creaturam reſtringat, & ex propria impropriam oſtendat. Iſaiæ 43. 7. cùm dicitur: *Omnem inuocantem me creaui ad gloriam meam, formaui eum, & feci eum,* de vera creatione accipiendum eſſe nemo non videt. Quod ſi etiam de creatura non abſolutè, ſed quatenus inuocat nomen Domini, intelligendum eſſet, eo ipſo per vocem illam reſtringeretur creatio ad creationem ſpiritualem ſignificandam. Pſalmo 51. 12. *Cor mundum crea in me Deus,* vox *mundum,* creationem ad munditiem refert, non ad ſubſtantiam cordis. Apoc: 3. 14. *qui eſt principium creaturæ Dei*, de propria creatura, quam Deus ipſe creat, accipitur. Iac: 1. 18 *vt ſimus initiũ aliquod creaturæ eius*, de creatura genita verbo veritatis indicant verba

verba antecedentia: ita vt ne vnum quidem locum proferre poſſit Smalcius, in quo creatura impropriè pro noua creatura accipiatur, niſi adiuncta aliqua particula id explicante. Hoc verò loco ter creandi vox vſurpatur, nulla particula appoſita, quę impropriam ſignificationem indicet. Temerarius ergo eſt Smalcius, cùm temerè verba ſcripturæ impropriè interpretatur. hoc enim modo nihil vnquam ex ſcripturis certi colligi poſſet.

Deinde Paulus inter creaturas conditas à Chriſto recenſet creaturas inuiſibiles, nempe Angelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates. At qui Angeli non ſunt noui creati à Chriſto: quia ea natiuitate non indigebant cùm eſſent beati, & videntes ſemper faciem Dei. In beatos autem nulla vetuſtas peccati aut corruptionis cadit, quæ renouatione indigeat. nobis id competit, qui creamur à Chriſto in operibus bonis, & efficimur noua creatura per renouationem ſpiritualem, exuentes veterem hominem, induentes verò nouũ, quorum nihil in Angelos conuenit. 2. *Angeli creati à Chriſto.*

At enim, inquit, Angelis non conuenire hunc modum creationis per renouationem internam, ſed alium per reformationem externæ politiæ, quatenus qui ante ſoli Deo creatori obediebant, nunc ipſi etiam Chriſto obediant. At quid hac reſponſione inſulſius? quis enim audiuit Dominum, cùm ſubditis dominari incipit, eſſe creatorem illorum; & imperare illis, eſſe creare illos? & cùm Rex aliquis occupat Regnum, omnes eius ſubditos per totum Regnum creatos eſſe de nouo? Quis tam portentoſa verborum monſtra æquis auribus ferat? & tamen portentoſus videri Smalcius non vult, cùm ait, ſatis eſſe ad hoc, vt per Chriſtum creata dicantur omnia in cœlis, vt eorũ Dominus euaſerit: quaſi eſſe Dominum, ſit eſſe creatorem: dominanari, ſit creare: eſſe ſub dominio alicuius, ſit eſſe creaturam illius. Ait reformationem, appellari creationem Hebraico loquendi modo: hæc enim lingua compoſitis caret. Verùm oſtendere, vel vno exemplo debuit, reformationem præſertim extrinſecam & politicam, creationem appellari. Deinde & illud ignorare non debuit, Paulum non Hebraicè, ſed Græcè ad Coloſſ: ſcripſiſſe. Græcam autem linguam compoſitis abundare, nemo eſt qui neſciat.

Non veretur autem Smalcius aſſerere Dæmones etiam ad iſtam nouam creaturam, quæ per Chriſtum condita eſt, pertinere. Non minus *Smalcius Dæmones facit nouas creaturas.*

nus enim, inquit, inter Dœmones Throni ſunt & Dominationes, quàm inter Angelos: quaſi verò alicubi ſcriptura Dœmones nouas creaturas appellet, vel ipſi à Chriſto, & non potius ex ſua malitia, Dœmones ex Angelis ſint facti: aut ex eo quòd poteſtati Chriſti ſint ſubiecti, creati ab illo meritò dici poſſint. Certè quoties in ſcriptura Dœmones cum Chriſto conferuntur, non conditi aut creati, ſed deſtructi, euacuati, expoliati dicuntur, vt patet ex locis Colloſ: 2. 15. *Expolians principatus & poteſtates.* 1. Cor: 15. 24. *Cùm euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.*

Addo ſi propter reformationem politiæ Angelorum, Chriſtus dicatur creator Angelorum, pari ratione dicendus eſſet creator Dei ipſius. quia & nos Deo reconciliauit, & pacem inter nos & Deum conſtituit. Et ſanè maxima reformatio cenſeri debet, pacis illa inter homines & Deum conſtitutio. Si igitur reformatio, creatio dicitur, & illi ad quos ea reformatio attinet, dicũtur creati à Chriſto, proculdubio Deus quoque pacificatus cum hominibus, creatus à Chriſto dicendus eſſet. quo nil abſurdius.

Neque verum eſt quod ait Smalcius, Deum nobis non eſſe recõciliatum per Chriſtum, ſed nos Deo; ſi enim Deus propter Chriſtum nobis peccata remittit, & auertit iram ſuam à nobis, non dubium eſt reddi nobis ex irato beneuolum & amicum, ac ex conſequenti reconciliatum, vti in 2. libro magis confirmabimus.

3. Omnia vniuerſè condita ſunt à Chriſto.

Tertiò, Paulus per Chriſtum ait *condita vniuerſa in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia.* At qui præter nouas creaturas ſunt alia plurima in cœlo & in terra viſibilia & inuiſibilia. in cœlo quidem Planetæ & Stellæ, & Angeli ſecundùm naturas ſuas: in terra verò tot ſpecies corporum & animalium. Nõ igitur poteſt locus Pauli exponi ſolùm de noua creatura. Nam cùm reſpondent non omnia abſolutè eſſe condita à Chriſto, ſed ſecundùm quid, ea tantùm quæ ſub Euangelio condita ſunt: nos illis ſolitam temeritatem obiicimus: quæ enim ſcriptura abſolutè omnia dicit, illi gratis ac temerè, ad quędam, omnia reſtringunt, cùm in verbis ſcripturæ nullam talis reſtrictionis rationem & cauſam habeant. Quare figmentum id, non debita ſcripturæ interpretatio cenſeri debet. Etſi enim non negemus particulam *omnia*, latius vel ſtrictius ſecundùm ſubiectam materiam ſumi poſſe: tamen ea reſtrictio neceſſe eſt, vt aliqua particula indicetur.

vt cùm

vt cùm infra ℣. 20. dicuntur omnia reconciliata & pacificata per Chriſtum in cœlis & in terra; ipſa vox reconciliationis oſtendit ea omnia, quæ reconciliatione egebant, reconciliata eſſe. Similiter cùm dicitur ℣. 25. Euangelium eſſe prædicatum in vniuerſa creatura quæ ſub cœlo eſt, vox prædicatũ reſtringit vniuerſam creaturam, ad eam quæ prædicationis capax eſt. Cùm igitur hîc Paulus ait, omnia in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia ſine vlla reſtrictione creata dicat, ſine vlla etiam reſtrictione accipienda ſunt, ita vt omnia quæ creata ſunt in cœlo & in terra, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, in Chriſto & per Chriſtum creata ſint. Ad hæc de rebus ſub Euangelio per Chriſtum factis, infra ℣.18. incipit agere, & vtitur nõ verbo creationis, ſed reconciliationis, pacificationis.

At, inquiunt, nõ dixiſſe Paulum cœlum & terram condita eſſe per Chriſtũ, ſed omnia in cœlo & in terra. quaſi verò, ſi omnia in cœlis & in terra per Chriſtũ cõdita ſunt, nõ ſequatur ipſũ quoq; cœlũ & terrã cõdita eſſe: tum quia ſecundũ ſcripturas, idẽ eſt cõditor cœli & terræ, & omniũ quæ ſunt in cœlo & in terra: tum quia ea virtus, quæ ſufficit ad omnia in cœlo & in terra cõdenda, ſufficit etiam ad cœlũ ipſum & terram condendam. Longè enim perfectiores res ſunt in cœlis ac in terris conditæ, quàm ipſum cœlum & terra, vt patet in Angelis, animalibus, homine. Denique ſcriptura conſueuit per omnia in cœlis & in terris, omnem Dei creaturam intelligere, vt in Pſal: 134. *Omnia quæcunq; voluit fecit in cœlo & in terra.* Vbi ſermo eſt, de omnibus factis à Deo, inter quæ eſt etiam cœlum & terra; quæ etiam, quia voluit, fecit: ſolemuſque ea forma loquendi, non ſolùm ea, quæ ſunt in cœlo & in terra, ſed quæ ad cœlum & terram quocunq; modo pertinent, ipſum etiam cœlum includendo, deſignare. *Euaſio Smalcij vana.*

Ait Smalcius, ſi aliunde non conſtaret Deum creaſſe cœlum & terram, ex hoc loco id probari non poſſe. Verùm nos conſecutione id rectè probari docuimus. quod ad modum verò loquendi attinet, dicimus id tali modo loquendi non repugnare, vt eo cœlum quoq; & terra contineatur. quod ſufficit ad retundendum argumentum aduerſariorum ex tacito nomine cœli & terræ ſumptum.

Quartò, per ſe clarum eſt, Paulum primùm agere de creatione 4. omnium per Chriſtum facta, à ℣. 15. tum à ℣.18. de reformatione per reconciliationem & pacificationem omnium, quæ in cœlis, & quæ inter-

in terris. Non rectè igitur iſta confunduntur, nec rectè creatio de reformatione exponitur. Nam inprimis oſtendit, quomodo Chriſtus ſit principium omnium creaturarum, nempe per creationem; tum quomodo ſit principium & caput corporis Eccleſiæ, nempe per reconciliationem & pacificationem.

Nomine creationis reformatio non intelligitur.

Ait Smalcius aliam reformationem eſſe, de qua ℣. 18. aliam de qua ℣. 16. At errat. Si enim creationis nomine reformatio intelligatur, vti vult Smalcius, ſequitur Paulum à ℣. 16. de omni reformatione egiſſe, omnemque reformationem nomine creationis intellexiſſe. Ait enim vniuerſa eſſe condita in cœlo & in terra; quare & ea reformatio, quæ reconciliatione & pacificatione continetur, ad creationem pertineret. Ait præterea à ℣. 15. egiſſe Paulum de reformatione, quæ eſt in cœlis: à ℣. autem 18. de altera reformationis parte, quæ fuit in terris. At iterum errat. Nam Paulus tractat de reconciliatione & pacificatione rerum, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, vti ℣. 20. habetur. Ad hæc ſi Paulus de altera reformationis parte ageret ℣. 18. non mutaſſet nomen creationis, ſed ſub nomine creationis, vti propoſuerat, eam proſecutus fuiſſet. Iſta ergo mutatio nominis, argumento eſt, longè aliud quid tractare Paulũ, quàm quod voce creationis ſignificetur, docereque velle non ſolùm omnia in cœlis & terris eſſe reconciliata per Chriſtum, ſed & creata.

Quid ſit eſſe primogenitum.

Verùm argumentantur Ariani, ſi Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ, neceſſariò eſſe ex numero creaturarum; cùm omne primogenitum ſit ex numero eorum, quorum eſt primogenitum. At negandum eſt, primogenitum nõ poſſe dici niſi reſpectu rerum eiuſdem conditionis & generis. Satis enim eſt ad hoc, vt aliquid dicatur primogenitum rerum aliquarum, ſi ſit ante res alias genitũ: ſiue illæ res ſint eiuſdem generis, ſiue diuerſi. Etſi enim ſi comparatio fiat, cum rebus eiuſdem naturæ neceſſe ſit primogenitum eſſe ex numero illarum rerum: id tamen eſt ex accidenti. quia cum rebus eiuſdem naturæ comparatio fit, & reſpectu earum dicitur primogenitum. Sic primogenitum boum eſt bos; primogenitus hominum, homo. At abſolutè loquendo, ſicut non eſt neceſſe aliquem ante res eiuſdem naturæ eſſe generatum, ſed poteſt etiam dici genitus ante res diuerſæ naturæ & conditionis: ita non eſt neceſſe abſolutè loquendo primogenitum ſemper eſſe ex numero earum rerum, quarum dicitur primogeni-

mogenitum: neq; eiuſdem cum illis conditionis & naturæ.

Hanc rationem etiam confirmo vno aut altero exemplo. Nam Eccl: 24.5. de ſapientia dicitur, *primogenita ante omnem creaturam.* neq; tamen ex eo inferri poteſt, eam eſſe è numero creaturarum, aut conditionibus cæterarum creaturarum ſubiacere. cùm Prouerb: 8. eadem Sapientia de ſe dicat: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequā quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum.* Si poſſeſſa, id eſt genita eſt ante omnem creaturam, & ab æterno, non erat proculdubio creatura. nihil enim quod creatum ſit, fuit ab æterno. Similiter Iob 18. 13. dicitur: *conſumat brachia illius primogenita mors*, vel vt alij legunt *primogenitus mortis.* Quo in loco ſi mors dicatur primogenita, reſpectu aliorum omnium in mundo malorum; cùm tamen aliæ res, & alia mala in mundo, non ſunt eiuſdem naturæ, generis, conditionis cum morte: euidens eſt poſſe dici aliquid primogenitū aliorū reſpectu: licet illa non ſunt eiuſdē generis & naturæ cū ipſo. Quod ſi legamus non primogenitam mortem, ſed primogenitum mortis, id eſt morbum, qui inter alia mala, quæ ſequuntur ex morte, eſt primogenitus; par erit argumentum, nempe morbum eſſe primogenitum mortis: etiamſi alia mala quæ ſequuntur ex morte, non ſint eiuſdem generis cum morbo. Satis enim eſt ad hoc, vt aliquid ſit primogenitum aliorum, vt illa ſint ab eodem principio, à quo & ipſum; licet ipſum ſit genitum, alia verò creata. Smalcio hæc non probantur. Primùm ergo queritur à me dici, Chriſtum eſſe primogenitū omnis creaturæ, eo ſenſu, quòd ſit genitus ante omnem creaturam, quaſi nullam huius probationem attulerim. Cùm tamen & locum ex Eccleſiaſtico citauerim, & vim ipſam vocis ſatis vrſerim. Sed iſta dicere debent, qui nihil habent quod reſpondeant.

Porrò locum Eccleſiaſtici eludere ſe putat, dicendo eſſe librum Apocryphū. Quod & falſum eſt, & cauſam Smalcij non iuuat. Nam etiamſi Apocryphus eſſet, non idcirco id eſſet, quòd malos loquendi modos cōtineret. Nullus enim vnquam hoc in Eccleſiaſtico reprehēdit, ſed quòd opinione quorundam pro libro Canonico habēdus non videatur. In Græco verò illa verba non haberi, non eſt mirū, ſicut & pleraq; alia. Satis enim eſt haberi in Hebræo, vti & Vatablus vertit, ante omnem naturam primogenita. Quare etſi Eccleſiaſticus admitteretur, vt prophanus liber; tamen eius auctoritas ea eſt, vt ſufficiat ad pro-

ad probandum contra Smalcium talem loquendi modum rectum, & vſitatum eſſe. nec vllus inuentus eſt tam mentis inops, qui eam locutionem condemnare auderet.

Chriſtum eximendum eſſe è numero creaturarum.

Porrò oppugnat Smalcius, & illam SS. Patrum probationem, qui aiunt Paulum ipſum, Chriſtum è numero creaturarum exemiſſe: cùm has creatas, illum genitum dixit. Neque enim dixit primocreatum, ſed primogenitum omnis creaturæ. Ait itaque Smalcius, hanc vocem *primogenitus*, ſignificare eum qui primus ſit ex aliquibus rebus, etiamſi re ipſa non ſit genitus. Verùm cùm id Smalcius nec exemplo nec ratione vlla probet, pro figmento habeatur.

Ineptiſſimè verò locum Apoc: 1. 5. vrget, cùm ait Chriſtum appellari primogenitum mortuorum, neque tamen idcirco eximi à numero mortuorum, etiamſi hi mortui, ille genitus dicatur. Eſt enim magnum diſcrimen loci vtriuſque. Nam in priore loco genitus cum creatis comparatur; cùm autem creatio & generatio propriè accepta ſint oppoſita, nemo non videt, cùm quis genitus dicitur, alia creata, eo ipſo excludi illum à numero creatorum. At in loco Apocalipſis dicitur *primogenitus mortuorum*: in quo ſicuti nulla eſt oppoſitio, ita neque excluſio. Tantùm enim abeſt, vt primogenitus mortuorum debeat eſſe extra numerum mortuorum, vt niſi antea mortuus fuerit, nõ poſſit dici primogenitus mortuorum. quanquam hoc non tam ex modo loquendi, quàm aliunde petendum eſt. Similiter & illud futile eſt, quod ait, Paulum nonniſi barbaro loquendi modo dicere potuiſſe, primo creatum omnis creaturæ. Satis enim conſtat Paulũ elegantiam & perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba minimè affectaſſe, vt ipſe de ſe teſtatur non ſemel. Quare non idcirco abſtinuiſſe à voce primocreatus, quòd barbara & inuſitata eſſet, ſed quòd cum veritate Chriſto applicari non potuerit.

Filium Dei, eſſe Verbum illud æternum, naturaliter in Deo exiſtens, quod in tempore factum eſt Caro, probatur Diui Ioannis teſtimonio. Cap: XV.

VErbum illud, quod Caro factum eſt, & habitauit in nobis, ait Ioannes, in principio antequam quidquam factum eſſet, & ante mundum conditum, fuiſſe apud Deum: & quidem nõ aliud quid, quàm

quàm Deum ipſum fuiſſe, omniaque per ipſum facta eſſe, & mundũ ipſum; (quæ omnia Verbo illi naturaliter in Deo exiſtenti competunt) tandem factum eſſe carnem; & in carne Diuinam ſuam maieſtatem & gloriam, quaſi vnigeniti à Patre, demonſtraſſe. Hoc tam illuſtre, Diuinæ Filij Dei naturæ, teſtimonium, veſpertilionum inſtar, intueri non poſſunt Ariani, illudque turpiſſimis interpretationibus obſcurare nituntur.

In primis igitur accuſat nos Smalcius, quòd de Verbo ſecundũ commenta hominum, & ſecundùm humanam Philoſophiam loquamur. Dicimus enim verbum eſſe mentis, quaſi prolẽ quandam, quam Deus intelligendo producat, & quia Dei intellectio eſt infinita, infinitum etiam eſſe Verbum, quod producit. Rurſus quia in Deo non ſunt accidentia, Verbum hoc eſſe ſubſtantiam, & ex conſequenti conſubſtantiale Deo, hoc eſt eiuſdem cum Deo ſubſtantiæ, atque adeò ipſum Deum. Hæc Philoſophia cùm ſit in ſcripturis fundata, & ſcripturas non euertat ſed illuſtret, immeritò à Smalcio damnatur. etenim ea ſolùm Philoſophia, quæ Diuinis oraculis repugnat, meritò reiicienda eſt, vt pote quæ nec nomine Philoſophiæ digna, & falſa Philoſophia cenſenda ſit. Verum enim cùm verò pugnare non poteſt, eamque Paulus Coloſſ: 3. 8. *inanem fallaciam* appellat, *ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum*, de ea proculdubio Philoſophia intelligens, qua fides tunc impugnabatur, cuius dogmata hæc erant, vt ex nihilo nihil fieri poſſe, mundum eſſe æternum, eumque ab Angelis conditum, & his ſimilia, quæ ſunt directè oppoſita dogmatibus fidei Chriſtianæ: eoque ſenſu Tertullianus libro de anima c. 3. appellat, *Philoſophos Patriarchas Hæreticorum*. At vera Philoſophia, nec vſpiam damnatur in ſcriptura, nec ab vllo, qui modò rationis compos ſit, damnari poteſt. Ea enim eſt Diuinæ ſapientiæ participatio quædam, eamq; Deus ipſe in mentibus hominum infudit, vti liber Prouerbiorum & Sapientiæ abundè docet.

Querela Smalcij iniuſta.

Qua Philoſophia damnanda.

Porrò dari Verbum in Deo naturaliter exiſtens ſcripturæ clariſſimè docent, cùm Deum Verbo ſuo creantem, omnia nobis proponunt. Neque enim mutum, & impotentem ad ea, quæ intelligit, verbo exprimenda eſſe volunt; ſed quæ perfectio omni naturæ intelligenti conuenit, vt verbum ſpirituale, quo intra ſe loquatur, habeat; eam quoque Deo non deeſſe affirmant. Quod verò id Verbũ

Verbum in Deo naturaliter exiſtit.

censen-

cenſendum ſit eſſe infinitũ & conſubſtantiale Deo, ex Diuinis perfectionibus, quas ſcriptura ipſa in Deo agnoſcit, certa conſecutione deducimus. in Deo enim nihil creatum, nihil finitum, nihil accidentale, nihil compoſitum, nihil temporale & variabile eſſe poteſt. Quare & Verbum Diuinum, increatum eſſe neceſſe eſt, infinitum, ſubſtantiale, à ſubſtantia Dei non diuerſum, æternum & inuariabile. Ex quo patet Philoſophiam iſtam eſſe conformem oraculis Diuinis, eaq; illuſtrare & explicare, non euertere aut oppugnare. Thraſonica verò eſt illa Smalcij gloriatio, qua iactat in ſuorum libris publicè editis, demonſtratum eſſe, nos in ijs omnibus, quæ docemus de Verbo naturaliter in Deo exiſtente, in ipſam Philoſophiam peccare. Nam neque tanti Philoſophi ſunt Ariani, vt id præſtare poſſint; neque tam infirma Catholicorum Philoſophia, quæ nugatorias iſtorũ ratiunculas vno ſpiritu difflare non poſſit.

Gloriatio Smalciana vana.

Ait ſecundò Smalcius, Verbi nomen apud Ioannẽ Chriſto homini figuratè tribui, vel propter ſimilitudinem, eo modo quo alibi via, ianua, lux, propter ſimilitudinẽ dicitur: quia ſicut per Verbum cogitata noſtra pateſiunt; ita per hominem Chriſtum voluntatẽ ſuam patefecit Deus: vel etiam alio loquendi modo, quo alibi veritas, reſurrectio & vita appellatur: quia ſcilicet ſermonis Dei præco fuerit. Verùm omnia falſa ſunt, quæ hîc Smalcius affirmat. Falſum in primis eſt, Ioannem hoc loco Verbi nomen, Chriſto homini tribuere. De Verbo enim ſecundùm ſe loquitur, & quid ſit Verbum ſecundùm ſe, explicat. Nam neq; vllam hominis mentionem facit: & de Verbo loquitur, antequam Caro fieret, & homo eſſe inciperet, & Verbum non hominem ſed Deum appellat. *Deus,* inquit, *erat Verbum.* Deinde ea Verbo tribuit, quæ homini tribui nullo modo poſſunt, vt eſſe in principio, id eſt ante omnia creata; per ipſum & mundum & omnia facta eſſe, quæ homini in tempore nato minimè conueniunt. Nam quod Smalcius reſtringit, omnia per Verbum facta, ad ea omnia, quæ ſub Euangelio ſunt facta; ea reſtrictio non Ioannis eſt, ſed Smalcij: nec eam Ioannes vllo verbo indicat, ſed Smalcius ex cerebro ſuo confingit: quo modo ſi fingere liceat, omnes Chimeræ & Hircocerui induci nullo negotio poterunt.

Verbum non dicitur Chriſtus, quà homo eſt.

Adhæc manifeſta eſt anthiteſis Verbi in principio apud Deum exiſtẽtis, & Verbi cùm Caro factũ eſt. Nam alia Verbo in principio tribuit;

Verbi ante carnem & poſt carnem

tribuit;alia imò oppoſita quodammodo,poſtquam Verbum caro factum eſt. Verbum,ait, in principio, id eſt ante omnia facta extitiſſe; Verbũ verò carnẽ factũ eſſe, hoc eſt certo & determinato tẽpore eſſe cœpiſſe. Verbum in principio ait, apud Deum extitiſſe; cùm autẽ caro factũ eſſet habitaſſe in nobis; Verbum in principio Deum fuiſſe: poſtea verò factum eſſe carnem. Per Verbum in principio omnia facta eſſe, ipſum etiam mundum: cùm verò factum eſt caro, gratiam & veritatem per ipſum facta eſſe, & idcirco plenum gratia & veritate fuiſſe, vt de plenitudine eius omnes acciperemus. Denique in tota illa de Verbo narratione, quod erat in principio apud Deum, nulla ne minima quidem carnis aut hominis mentio facta eſt: ita vt ſumma temeritas Smalcij ſit, Ioannis verba de homine Chriſto interpretari. Nam etſi Verbum illud, poſtea hominem vocet Ioannes, nempe cùm caro factum eſt; tunc tamen cùm eſſet in principio apud Deum, non hominem ſed Deum appellat. *Antitheſis.*

Falſum etiam eſt, Verbum à Ioanne accipi figuratè, vt homini Chriſto propter ſimilitudinem tribuatur, ſicut pleraque alia. Nam hoc inprimis ſupponit Ioannẽ de homine,qui eſſet Verbum, locutum eſſe: quod eſſe falſum, & nullo modo ex Ioannis verbis colligi poſſe, iam docuimus. loquitur enim de Verbo ſecundùm ſe, non reſpectu alicuius hominis, qui dicatur Verbum. Figura porrò non eſt in Verbo ſecundùm ſe, ſed vt alicui impropriè tribuitur. Verbũ enim ſecundùm ſe, verè & propriè, non figuratè eſt Verbum: tunc autem figura eſt, cùm alicui impropriè tribuitur. Nam & aduerſarij figuram in Verbo, vt ad hominem Chriſtum refertur, collocant. *Verbum non accipitur figuratè.*

Deinde & illud falſum eſt,cùm Verbum de homine Chriſto dicitur, figuratè accipi: ſiquidem illud ipſum Verbum,quod ante hominem verè erat Verbum, factum eſt Caro, nempe per veram Verbi cum carne vnionem,non verò per impropriam Verbi attributionem illi homini factum. Fatemur multa impropriè & propter ſimilitudinem de Chriſto affirmari, vt quod ſit via, ianua, lux: at iſtorum impropria acceptio, iiſdem in locis explicatur: vnde meritò iſta figuratè Chriſto tribuimus. At Verbi impropria acceptio, nullibi in ſcriptura explicatur,vel etiam leuiter indicatur. Non igitur eadem cenſeri debet huius appellationis, quæ aliarum ratio. Non indicari autem hanc impropriam Verbi acceptionem, manifeſtum eſt: ſiqui- *In ſcriptura Chriſtus nõ dicitur Ver-*

bum ob patefactam voluntatẽ Dei.

dem in ijs locis, in quibus Chriſtus Verbum dicitur, nulla patefactæ per Chriſtum Diuinæ voluntatis ſit mentio; vti Ioan: 1. & Apoc: 19. vbi verò ea mentio ſit, ibi Chriſtus non Verbum, ſed Filius vel vnigenitus appellatur, Hebr: 1. 2. Ioan: 1. 18. ita vt ex ſcriptura colligi non poſſit, hanc eſſe huius appellationis rationem.

Duo loca ſcripturæ explicantur.

Duo afferunt loca aduerſarij, in quibus eam rationẽ huius appellationis indicari putant. Alter eſt Ioan: 1. 18. *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.* Alter, 1. Ioan: 1. 1. vbi dicitur Chriſtus Verbum vitæ, quòd vitam annunciauerit. Verùm neuter locus ad rem facit. Nam in priori non redditur ratio, cur Chriſtus dicatur Verbum, ſed cur non Moyſes, nec quiſpiam alius potuerit nobis enarrare veritates Diuinas. quia nimirũ, ſicut alius nemo vidit Deum; ita nemo præter Chriſtum enarrauit nobis veritates, quas in Deo vidit. hoc enim eſt quod ibi probat Ioannes. Ad quod accedit, quòd ibidem illum, non Verbum, ſed Filium vnigenitum appellat: vt vel ex hoc ipſo pateat, eam non eſſe rationem appellationis Verbi. Aliud enim eſt Chriſtum enarraſſe nobis de Deo omnia: aliud, ideo dictum eſſe Verbum. Illud Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta dicit: hoc Smalcius, Doctor Arianorum & ſcriba Cœtus Racouienſis fingit. In poſteriori verò loco dici Chriſtum Verbum vitæ, eò quòd vitam annunciauerit, neque Smalcius probat, neque ex verbis Ioannis deduci poteſt: cùm alia huius appellationis ſecundùm ſcripturas ſit ratio: quia nimirum Chriſtus eſt illud Dei Verbum, quod ſicut omnium rerum eſt cauſa effectrix, ita & vitæ. *Omnia enim per ipſum facta ſunt.* Et. *In ipſo vita erat.* Ioan: 1. 3. 4. Ex quo patet Smalcium ex ſuo capite, non ex ſacris literis, illam eſſe appellationis Verbi rationem collegiſſe.

Verbum ſolius Filij eſt proprium nomen.

Deinde & illud indicat hanc appellationis Verbi cauſam non eſſe. Etenim Verbum, eſt ſolius Filij Dei proprium nomen in ſcriptura; ita vt nulli alteri tribuatur aut tribui poſſit, ſed ipſe ſolus eo tanquam proprio nomine deſignetur. Atqui ſi patefactio Diuinæ voluntatis eſſet cauſa huius appellationis, multis alijs id nomen cõueniret, nempe omnibus Prophetis, Apoſtolis, Prædicatoribus, qui Dei voluntatem hominibus patefecerunt, maximè cùm eandem veritatem, quam Chriſtus docuit, Apoſtoli quoque & alij prædicatores hominibus patefaciant. Nam quod ait Smalcius, Prophetas non talem

talem voluntatem Dei, qualẽ Chriſtus, reuelaſſe: id facit quidẽ ad hoc, vt non tam perfecta ratione fuerint verbũ, ſicut Chriſtus; non tamen facit, ne vlla ratione fuerint verbum. Nam etiam Apoſtoli non fuerunt tam perfecta ratione lux mundi, ſicut Chriſtus; & tamẽ eos appellat ſuo modo lucem mundi, cùm ait, *vos eſtis lux mundi.*

Similiter ait Apoſtolos, eadem quidem reuelaſſe, quæ Chriſtus: tamen quia Chriſtus ea primus reuelauit, Apoſtoli verò ſecundario; non Apoſtolos, ſed Chriſtum ſolùm dici meritò Verbum Dei: ſicut ob eandem cauſam, inquit, Apoſtolos non eſſe veritatem, vitam, reſurrectionem, etſi iſta annunciarint. Quis etenim iſta eſſe futilia non videt? An enim ſi quis primus aliquam artem inueniat, ſolus dicendus erit artifex; & alij qui ab ipſo artem illam didicerunt, & alios docuerunt, artifices dicendi non erunt? Poterit quidem ille ſecundùm excellentiam dici ſolus artifex, at ſecundùm veritatem, non ille ſolus, ſed quotquot artem illam callent & exercent. Annè ſi Chriſtus fuit primus Euangelij prædicator & Doctor, idcirco ſequitur Apoſtolos, Prædicatores & Doctores dicẽdos non eſſe? Quis tales argumentationes plenas eſſe ſtultitiæ non aduertat? *Smalciana reſponſio futilis.*

Cùm verò ait, Apoſtolos non eſſe appellatos veritatem, vitam, reſurrectionem: etiamſi ea annunciauerint hominibus, an non manifeſtè principium petit. Supponit enim Chriſtum propterea dici veritatem, vitam, reſurrectionem, quòd iſta primus annunciauerit hominibus. Apoſtolos verò, quia non primi annunciârunt, dici nõ poſſe. iſta enim ſicut ſine vlla probatione à Smalcio affirmãtur: ita facilè negari poſſunt. Alia enim harum appellationum cauſa aſſignari poteſt & debet; quia nimirum ipſe eſt fons omnis veritatis & vitæ re ipſa ante omnem annunciationem: ſicut & reſurrectio dicitur, tanquam cauſa effectrix reſurrectionis noſtræ; quæ vti Apoſtolis non conueniunt, ita ſoli Chriſto meritò tribuuntur. Maius verò illud argumentum eſt, quo docemus Spiritum ſanctum magis ea ratione fore Verbum, quàm Chriſtum; cùm conſtet Spiritum ſanctum docuiſſe Apoſtolos omnem veritatem, & longè plura quàm Chriſtus docuerit. Vel igitur ea non eſt huius appellationis ratio, vel Spiritus ſanctus non minus, quàm Filius, imò magis, Verbum dici poterit. Hîc Smalcius negat Spiritum ſanctum eſſe perſonam; cùm etiam ſcripturam, & alia, quæ perſonæ non ſunt, loqui dicimus im-

propriè. At & blaſphemè negat, & ad rem non loquitur. Si enim is, qui veritatem Dei annunciat & docet, dicitur Verbum: Spiritui verò ſancto idem à ſcriptura tribuitur, non ſolùm quòd loquatur, annunciet, doceat, ſed quòd audita loquatur & annunciet; quod proprium eſt perſonæ, conſequens eſt Spiritum ſanctum & perſonam & Verbũ eſſe, ſi ea cenſeatur eſſe propria huius appellationis ratio.

Spiritum S. eſſe perſonã.

Nec audiendus eſt Smalcius, aſſerens Spiritui ſancto impropriè locutionem tribui. Qui enim audita loquitur, verè & propriè dicitur loqui. Talis eſt Spiritus ſanctus, de quo ſcriptum eſt, quòd *quæcunque audiet, loquetur & annunciabit vobis* Ioan: 16. 13.

Spiritum S. forè Verbum vrgetur.

Similiter & illud friuolum eſt, quod addit, non ob quamuis reuelationem Diuinæ voluntatis, ſed ob primam duntaxat, Chriſtũ appellatum Verbum, quod Spiritui ſancto non competit, qui ad ea, quæ Chriſtus docuerat, vel quædam tantùm addidit, vel ea quæ dicta fuerant, in mentem reuocata explicauit. Etenim iam à nobis oſtenſum eſt, non ideò; quòd quid primò & ante alios alicui competit, id verè alijs cõpetere non poſſe. Deinde ſi Apoſtolo credimus, 1. Cor: 2. 10. Spiritum ſanctum, per quẽ nobis Deus reuelauit ſuam voluntatem, eſſe Spiritum ipſum Diuinum in Deo reſidentẽ. Hunc enim ait, *omnia ſcrutari etiam profunda Dei, & ſicut nemo hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei*: Si hoc, inquam, credimus, quomodo negari ab Arianis poteſt, Spiritum ſanctum primum eſſe authorem talium reuelationum. Nam ſi Chriſtus ex Deo, ſuas veritates accepit, etiam Spiritus ſanctus ex eodem fonte accepit. Quare vterque tanquam primus author ea annunciauit. Imò ſi Chriſtus ſit tantùm homo, quoad naturam, vt volunt Ariani, Spiritus ſanctus ante Chriſtum eas veritates Prophetis & ſanctis hominibus reuelare cæpit, Luc: 1. 70. 1. Petr: 1. 11. Demum & ipſi Chriſto homini, quem conſtat fuiſſe vnctum in natura humana Spiritu S. & repletum Spiritu ſapientiæ, intellectus, ſcientiæ, Iſa: 11. 2. & miſſum à Spiritu S.

Cùm verò ait, Spiritum ſanctum, ea quæ Chriſtus docuit, explicatius docuiſſe, vel pauca quædam addidiſſe: non ſatis aduertit, Chriſtum pauca admodum, dum viueret in terris reuelaſſe. Id enim præcipuè vrgebat, vt ſe eſſe verum Dei Filium & Meſſiam, in quem credendo omnes ſalutem conſequerentur, probaret. Multa verò

alia,

alia, non autem pauca, vt ait Smalcius, Spiritui ſancto reuelanda reſeruabat, adeò vt doctorum Apoſtolos omnem veritatem polliceretur. Plurimorum igitur ad ſalutem ſpectantium, primus author Spiritus S. cenſeri debet, non minus quàm Chriſtus: neque ſolùm ea, quæ Chriſtus docuit, vberius explicaſſe credendus eſt, ſed multò plura, quàm Chriſtus Apoſtolos docuiſſe: ita vt cùm Chriſti tempore, rudiſſimi eſſent Apoſtoli, in ijs quæ ad Euangeliũ ſpectabant, Spiritu ſancto accepto, doctiſſimi omniquaq; euaſerint.

Legatus non dicitur Verbum.

Tandem & illud non paruum eſt argumentum ad conuincendos aduerſarios, quòd illi exiſtiment Chriſtum dici Verbum, quia legatus Dei eſt, & præco voluntatis Diuinæ. Quis enim vnquam legatum, verbum appellauit? Satis eſſe ait Smalcius, ſcripturam eum loquẽdi modum vſurpare. At petit principium. Hoc enim eſt, quod quæritur, an ſcriptura talem loquendi modum, eoque ſenſu vſurpet. Vſurpare enim nuſquam potuit probare Smalcius: imo ait, non eſſe neceſſe id alicubi extare, Chriſtum ideo dictum Verbum, quia per eum Deus locutus eſt, ſed ſatis eſſe, aliunde id conſtare. At neque aliunde id conſtare probauit Smalcius. Nam etſi dicatur Ioan. 1. vnigenitum enarraſſe, nempe Dei cognitionem, non tamen ſequitur eam ob cauſam verbum eſſe appellatum, maximè cùm conſtet alterius rei rationem reddi eo loco, vt paulò ante dictum eſt. Porrò ſcripturam hunc loquendi modum non vſurpaſſe, multa ſuadent. Nam ita durus & inſolens eſt, vt nullus vnquam ea de cauſa legatum ſuum, Verbum appellauerit: ſcriptura verò hominibus, hominum vſitato more loquitur. Etſi enim non negem in Latina vel Græca duriores quaſdam tranſlationes eſſe, id tamen ex eo fit, quod qui in vna lingua modi loquendi clari ſunt & vſitati: id ad aliam linguam tranſlati, obſcuri & duriores habentur. In ea verò lingua, qua ſcriptura confecta eſt, non niſi boni & vſitati modi loquendi à Spiritu ſancto adhibentur.

Deinde manifeſtum eſt, longe alium loquendi modum eſſe per legatum, quàm per verbum. Per verbum enim loquimur, cùm verba formamus. Per Legatum autem, cùm ei dicenda committimus. Non igitur rectè exponitur loqui per verbum, eſſe idem, quod per legatum loqui. Nec euadit Smalcius dicendo, verum id eſſe, ſi vox verbi propriè accipiatur; non verò ſi impropriè pro præcone verbi ſumatur.

tur. Sic enim inquit, idem eſſe loqui per verbum, quod loqui per legatum. Verùm non aduertit Smalcius, cùm dicimus loqui aliquem per verbum non poſſe impropriè, ſed propriè vocem verbi vſurpare: nempe eo modo, quo verbo conuenit, vt per illud loquamur. Neque quiſpiam hunc loquendi modum audiens, quod aliquis per verbum locutus fuerit, aliter intelligeret, niſi quod verborum interuentu ſenſa animi explicârit. Quocirca & Deus, ſi per Verbum nobis locutus dicatur, aliter intelligi non poteſt, niſi de Verbo Dei proprio, quod Diuinum eius Verbum eſt. Demum & illa coniectura non leuis eſt, quod vbi Verbi nomen Chriſto tribuitur, nulla fiat mentio manifeſtatæ à Chriſto Diuinæ voluntatis. vbi verò ea mentio fit, nō Verbi ſed Filij nomen Chriſto tribuitur.

Nam quod ait Smalcius, ſatis eſſe vt aliunde id conſtet: vel eo ipſo oſtendit, ſe nullum in ſcriptura habere fundamentum talis expoſitionis. Neceſſe enim eſt, vt ſuam expoſitionem, ſcripturæ non temerè affingat, ſed ex aliquo indicio ex ipſa ſcriptura petito confirmet. quod niſi faciat, temeritatis conuincetur.

In principio quid ſignificet? Negat ſecundò Smalcius, illa verba, *In principio erat Verbum*, rectè explicari, antequam mundus & omnia crearentur, atq; adeò ab æterno. Cùm verò vrgemus, mox additum eſſe à Ioanne, *omnia per ipſum facta ſunt, & mundus per ipſum factus eſt*, ait primò vocem *omnia*, non ita vniuerſaliter accipiendam eſſe, vt etiam mundum complectatur: cùm plerumque ad ſubiectam materiam reſtringenda ſit. 2. Vocem mundi æquiuocam eſſe, & aliud præter hanc mundi machinam ſignificare, nempe homines vel mundum futurum. 3. Mundum per Chriſtū factū eſſe, quatenꝰ homines, nouus Dei populus, effecti ſunt: vel quatenus mundus futurus per eum annunciatus eſt. 4. Voces *per ipſum*, non creatorem ſed cauſam inſtrumentalem ſignificare; ſicut, & voces *facta*, *factus*, non idem quod creata, neceſſariò ſignificant: cùm multa fieri poſſint, quæ non creentur. Denique ſenſum eorum verborum eſſe ait, in principio Euangelij Verbum fuiſſe, antequam omnia ad Euangelium ſpectantia fierēt, & antequam mundus nouus factus ſeu reformatus eſſet, ſeu antequam mundus futurus, per eum reuelatus eſſet.

Verùm hanc totam Smalcij fabricam nullo fundamento ſubſiſtere, ac proinde per ſeipſam ruere, vel vnico argumento docemus.

Nam

Nam etſi vocem *omnia*, reſtringi aliquando poſſe non negemus, negamus tamen temerè, & ad libitum aut ad phantaſiam cuiuſque reſtringendam eſſe, ſed ſolùm cùm res ipſa id exigit. alioqui vniuerſaliter omnino accipiẽda eſt. Quo verò indicio docere poteſt Smalcius hoc loco, eam particulam, ad res ſub Euangelio factas reſtringendam eſſe? cùm & abſolutè omnia facta dicantur, neq; vt ſub Euangelio facta cẽſeri debeant, vlla vel minima particula indicetur. Cùm enim nullam talem particulam producere poſſint aduerſarij, illud ſolum inclamant Ioannem Euangelium ſcripſiſſe, ex eoq; concludi putant, Ioannem de rebus ſub Euangelio factis locutum. At ſtultiſſima coniectura. alioqui licebit ita argumẽtari, Matthæus Euangelium ſcribebat, cùm librum Generationis Chriſti ſcriberet; ergo cùm ait Abraham genuiſſe Iſaac, & Iſaac Iacobum, &c. intellexit eas omnes generationes ſub Euangelio factas eſſe. Quid abſurdius? Item in Euangelio ſcriptum eſt, Diabolum fuiſſe homicidam ab initio: ergo inferre licebit, de initio Euangelij id accipiendum eſſe. Lucas in Euangelio Chriſti originem ab Adamo vſque recenſet, numquid igitur iſti progenitores Chriſti ſub Euangelio fuerunt? Marcus incipit Euangelium à Prophetia Iſaiæ, numquid Iſaias ſub Euangelio prophetaſſe cenſendus? at ſtultior eſt ea Arianorum argumentatio, quàm vt refutari mereatur. Nam in Euangelio, etiam ea quæ extra Euangelium fuerunt, cõmemorari poſſunt, dummodo ad ea, quæ in Euangelio ſunt, aliquomodo pertineant, neq; contra legem Euangelij ſcribendi, vllo modo eſt, etiam ea, quæ ante Euangelium fuerunt, certis ex cauſis cõmemorare. Vnde in debiliſſimo fundamento, totam ſuæ expoſitionis fabricam, eos fundaſſe perſpicuum eſt: cùm eam non niſi ineptiſſima argumentatiuncula ſtabiliant, aut ſtabilire poſſunt. Noſtrum verò contra illos argumentum, fortiſſimum eſt, cùm ſcriptura abſolutè & ſine vlla reſtrictione, omnia per Verbum facta eſſe pronunciat, abſolutè quoq; & ſine reſtrictione intelligi debere, ita vt omnia, quæ facta ſunt, per Chriſtum facta eſſe credantur.

Temerè verba ſcripturæ reſtringit Smalcius.

Stulta cõiectura Smalcij.

Porrò hoc fundamento aduerſariorum ſubruto, eorum interpretatio, concidat neceſſe eſt, quæ tota, in illa ad Euangelij tempora reſtrictione fundatur. Noſtra autem interpretatio, cùm omnia ſine vlla reſtrictione per Verbum facta eſſe, cum ſcriptura dicat, oſtendit

ſtendit etiam Verbum in principio rerum omnium & mundi, hoc eſt antequam omnia & mūdus crearetur, Verbum iam fuiſſe, & ex conſequenti ab æterno. Nam ſcriptura cùm ait; Ante mundum conditū & antequam quidquam fieret, aliquid extitiſſe, æternitatem eo loquendi modo denotat, cùm ante mundum cōditum nulla fuerit creatura, ſed Deus tantùm. Vnde & Ioannes non dicit, Verbum in principio factum eſſe, ſed fuiſſe: quia nimirum tunc, cùm omnia fierent, imò antequam omnia fierent, Verbum non factū eſt, ſed iam erat. Ex quo patet, vocem *omnia* vniuerſaliter accipiendam eſſe, pro iis omnibus quæcunque facta ſunt, atq; adeò & mundum includere. Inter ea enim quæ facta ſunt per Verbū, mundus etiam continetur.

Similiter vocem, *facta*, accipi pro creatione, non pro reformatione, manifeſtū eſt. Talis enim vocis reſtrictio ex nullo ſigno colligi poteſt. neque vſitatum eſt in ſcriptura, cùm de noua creatura loquitur, verbis abſolutis, nulla particula reſtringente appoſita vti: quemadmodum ſupra docuimus. Neque vox mundi, ſiue pro mundi fabrica, ſiue pro hominibus accipiatur, aliud quàm mundi ex nihilo creationem ſignificat, cùm dicitur abſolutè factus, ſine alia reſtrictione. Mundi enim factio, eſt creatio, cùm non aliter mundus fieri poſſit, quàm per creationem; nec vllum afferri poteſt exēplum, quo contrarium doceatur: neque quiſquam eſt, qui audiens abſolutè mundum eſſe factū, aliud quid concipiat. Addo, ſi ſcriptura per ſcripturam exponenda ſit, nihil certius eſt, quàm Ioannem, cùm de Verbo, per quod facta ſunt omnia, agit, de illo Verbo agere, quo aliæ ſcripturæ aiunt creata eſſe omnia, Gen: 1. Hebr: 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei.* Pſal: 32. 6. *Verbo Dei cæli firmati ſunt.* &, *dixit & facta ſunt.*

Verbum per quòd facta ſunt omnia.

Nam cùm aiunt, aliud eſſe hoc Verbum, aliud illud, dicendum eſt, Verbum quo facta ſunt omnia, non aliud ſecundùm ſcripturas eſſe, quàm illud quo creata ſunt omnia. neq; hanc diuerſitatem Verbi, vlla præſentis loci vocula probare poſſunt. Reſtrictionem verò omnium ad res tantùm ſub Euangelio factas, Ariani fingunt temerè, non verò ex ſcripturæ verbis deducunt.

Deinde Verbo illi in Deo naturaliter exiſtenti omnia conueniunt, quæ hîc à Ioanne Verbo tribuuntur. eſt igitur vnum & idē hoc Verbum & illud. Nam de illo Verbo verè dicitur, quod fuerit in

princi-

principio apud Deum, quòd fuerit Deus, quòd omnia per ipſum facta ſint, quòd in ipſo vita eſſet; quæ etiam de hoc Verbo affirmat Ioannes.

Leuiſſimæ igitur ſunt illæ Smalcij ratiunculæ, cùm ait, nō poſſe à nobis probari, de rerum creatione hoc loco agere Ioannem: nam id ſatis abundè ex eo probatum, quòd Ioannes ſine vlla reſtrictione omnia per Verbum facta eſſe docuit. Neque enim alijs verbis veram creationem exprimere ſolemus, quàm cùm abſolutè aliquid dicimus factum vel creatum. Deinde ait, ſi id ad Euangelium pertineret, non aliquo modo, ſed ex profeſſo id à Ioanne tractandum fuiſſet, tanquam res magis miraculoſa, quàm eſt ipſa creatio cœli & terræ. At futilia ſunt iſta. Satis enim erat in Euangelio expreſſè docuiſſe, per Verbum facta eſſe omnia, cùm id ex profeſſo ſcriptura alibi tractet locis ante citatis. Stultum verò eſt affirmare miraculoſum eſſe, ſi per Verbum creata dicantur omnia. non enim miraculoſum eſt, ſed naturale Deo per Verbum facere omnia. id ſolùm miraculoſum cenſetur, quod ſupra naturam ſit. Creare verò non eſt ſupra Dei & Verbi eius naturam. *Ratiuncula Smalciana viles.*

Adhæc ait, repugnare id ſcripturis, & ſymbolo Apoſtolorũ tribuenti Deo Patri rerum omnium creationem: quaſi verò non eædẽ ſcripturæ teſtentur, Deum per Verbum creaſſe omnia. Cùm enim Deus Pater nominatur, non excluditur eius Verbum & Sapientia, quæ idem cum eo eſt. Sicut cùm artifex dicitur aliquid operari, non excluditur eius ſapientia, quæ in eo eſt. Quocirca cùm dicitur, ſolum Deum ſecundùm ſcripturas eſſe creatorem cæli & terræ, ex eo ſequitur, nihil aliud præter Deum, eſſe creatorem: non autẽ Verbum quod non eſt aliud à Deo, ſed idem cum ipſo. *Symbolum Apoſtolorũ.*

Ait tertio Smalcius, mundum factum eſſe per Chriſtum, non abſolutè & quoad eſſentiam, ſed vel quia homines facti ſunt nouus populus eius; vel quia mundus futurus, eſt per ipſum annunciatus. Verùm hîc quoque ſimiliter labitur Smalcius, quia ſcripturam dicentem abſolutè, mundum eſſe factum, reſtringit dupliciter. Nam & factionem reſtringit ad nouam tantùm factionem mundum, & ad mundum nouum, ſeu ad homines renouatos per Chriſtum, & ad mundum futurum: cùm neutram reſtrictionem ſcriptura vllo modo indicet: aliud quippe eſt abſolutè fieri; aliud fieri nouum. Scri- *Error Smalcij de mundo per Verbum facto.*

ptura dicit mundum abſolutè factum eſſe per Verbum, nullo, quod reſtringat ad nouam factionem, addito. Non igitur poteſt exponi de mundo facto nouo, ſed facto abſolutè ſecundùm ſuam eſſentiam: cùm aliud ſit mundum fieri; aliud nouum fieri. Similiter immeritò reſtringit vocem mundi ad nouum mundum, vel ad futurum mũdum, cùm nullam talem reſtrictionem in ſcriptura indicare poſſit. Nam quod dicit, vocem, mundum, eſſe quid æquiuocum; aliquando fabricam hanc mũdi, aliquando omnes homines, aliquando malos homines ſignificare: vehementer errat, neque quid ſit, vocem eſſe æquiuocam intelligit. Neque enim ideo vox aliqua eſt æquiuoca, quòd figuratè ad plura accõmodari poſſit. ſic enim omnis vox eſſet æquiuoca, ſed quòd propriè, ſeu ex prima vocis impoſitione, ſignificet plura. Talis non eſt vox mundi. ea enim propriè ſignificat hanc mundi fabricam, quæ eſt omnium creaturarum domicilium: aliæ verò mundi acceptiones figuratæ ſunt. Etenim cùm mundus pro hominibus, ſiue omnibus, ſiue aliquibus ſumitur, metonymia eſt, qua ponitur continens pro contento. Quod igitur ad hunc locum attinet, mundi nomen accipiẽdum eſt in propria ſignificatione, niſi aliqua particula adiuncta, figuratam acceptionem ſuadeat. Cùm ergo dicitur, *in mundo erat*, propriè accipi poteſt mundus pro hac mundi fabrica, ad quam Verbum venerat. neq; neceſſe eſt, mundum pro hominibus accipi: quia non ſolùm ea ratione in mundo erat, quia cum hominibus erat, ſed etiam quia in hac mundi fabrica erat: nam etſi conciperemus animo nullos homines eſſe in mundo, verè adhuc dici poſſet Chriſtus in mundo eſſe & in mũdum veniſſe; quia in hac fabrica mundi & creatarum rerum domicilio eſſet. Id quod etiam ſequentia verba indicant, [*In propria venit, & ſui eum non receperunt.*] quæ ſunt interpretatio priorum. Sicut enim prius dixerat, *in mundo erat & mundus eum non cognouit*, ita poſt ait: *in propria venit, & ſui eum non receperunt*; per *propria*, mundum intelligens, ad quem venerat, & in quo erat. Non enim dixit ad proprios venit, ſed ad propria, quaſi ad propriam poſſeſſionem & domum. Sic enim hæc locutio ſemper in ſcriptura ſumitur. vt cùm Ioan: 19. 27. dicitur, *Ex illa hora accepit eam in ſua*, id eſt in ſuam domum. & Act: 21. 6. *Redierunt in ſua*, id eſt in domos ſuas. Dicitur autem mundus, quaſi propria domus ipſius, quia mundus per ipſum factus eſt. Propria enim domus eſſe dicitur eius, qui illam fabricauit.

Mundi nomen propriè accipitur.

Cùm

Cùm verò additur, *& mundus per ipſum factus eſt*, ſimiliter propriè accipi debet mundus, pro tota hac mundi fabrica, vt omnes res creatas includit. Nihil enim eſt, quod ad impropriam vel figuratam acceptionem reſtringat: & bene id cum conſequentibus conuenit, vbi mundus propria quaſi domus & poſſeſſio dicitur: quia nimirum per ipſum factus eſt. Conuenit etiam bene cum præcedentibus; idem enim mundus, in quo Verbum erat, dicitur per ipſum factus eſſe. Is verò mundus, in quo Verbum erat, eſt hæc mundi fabrica, vti dictum eſt. Mundum verò nouum, vel mundum futurum hoc loco intelligi, ne vna quidem vocula indicatur. Seruanda igitur hoc loco eſt lex illa de ſcripturis exponendis, vt à propria vocum ſignificatione non recedatur: niſi id ex ſcriptura ipſa & loci circumſtantiis colligatur: alioqui ſi pro cuiuſque opinione, ſenſus ſcripturis affingatur, tot erunt ſenſus, quot opiniones & capita.

Inepta verò eſt Smalcij obiectio, cùm ait, prius in mundo fuiſſe Chriſtum, quàm mundus per ipſum fieret, ac ex conſequenti non poſſe id de factione mundi per creationem intelligi. Nam ſimili ratione, ſi quis diceret, Rex in arce erat, & arx per ipſum facta eſt, colligere deberet Smalcius, prius in arce Regem fuiſſe, quàm arx eſſet, aut fabricata eſſet. Cùm igitur hac nonniſi ineptè ex tali modo loquendi colligatur, inepta prorſus habenda eſt Smalcij obiectio. *Ineptiæ Smalcianæ.*

Cùm verò tertio loco additur, *& mundus eum non cognouit*, non diffiteor ex voce *cognouit*, probabiliter deduci poſſe mundum accipi metonymicè, pro hominibus, qui in mundo ſunt. Mundus enim cognoſcens, ſunt homines; & homines, quia ſunt mundi huius pars quædam, mundi nomine rectè appellantur. Neq; id inſolens eſt in ſcriptura, vt eadem vox in eadem ſententia, prius propriè, poſtea figuratè ſumatur, addita particula, quæ ita fieri demõſtret: vti à Paulo de Chriſto dicitur: *qui peccatum non fecit, pro nobis eum peccatum fecit.* 2. Cor: *6. 21.* vbi peccatum priori loco propriè, poſteriori figuratè ſumitur pro hoſtia pro peccato, vel pro eo cui peccata noſtra impoſita ſunt. Fateor tamen, vocem *cognouit*, non facere omnino, vt mundus hoc loco in propria ſignificatione ſumi nõ poſſit. Si enim mundus pro tota hac fabrica, quæ etiam homines continet, ſumatur, rectè dici poteſt Chriſtum non agnouiſſe: quia per homines, quorum eſt proprium cognoſcere, quiq; ſunt mundi totius pars quædam, non

cognouit. Sicut & homo dicitur videre, licet vna ſui parte, nempe oculis videat; & audire, licet non omnibus ſuis membris, ſed auribus tantùm audiat. Quocirca nihil impedit, quominus mundus hoc loco ter nominatus pro eodem mundo, & quidem in propria ſignificatione ſumatur.

Expoſitio prima, verborum illorum, mundus per ipſũ factus eſt.

Ex quibus facilè refelli poſſunt, duæ illæ Smalcij horum verborum, *mundus per ipſum factus eſt,* expoſitiones. Prima eſt, cùm ait, mundum per Verbum eſſe factum nouum & reformatum. Etenim aliud eſt mundum fieri, aliud fieri nouum: illud dicit Ioannes, hoc Smalcius: illud eſt fieri ſecundùm ſubſtantiam, hoc eſt fieri ſecundùm accidens. Deinde cùm in mundo eſſet Chriſtus, mundus per ipſum non fuit factus nouus. Hæc enim renouatio eſt per fidem & cognitionem veram Dei & Chriſti. Atqui hanc renouationem nõ habuit mundus, cùm Chriſtus in mundo eſſet. Mox enim additur, *& mundus eum nõ cognouit.* Non igitur talis renouationis reſpectu dictum eſt, mundum per Chriſtum eſſe factum, maximè cùm non niſi poſt aſcẽſionẽ mundo toti fides propoſita eſt, & mundus totus renouatus eſt.

Reſpondet Smalcius, id dici fieri per Chriſtum; quod quo minus fieret, per Chriſtum non ſtabat, licet ad effectum nõ perducatur. Sic enim, inquit, dicitur illuminare omnem hominem, & Saluator eſſe omnium hominum, quantum eſt ex ſe, licet actu non omnes illuminentur ac ſaluentur. At fallitur Smalcius. Id enim in iis locutionibus non valet, quæ effectum ipſum fieri ſignificant. quis enim non videt, ſi quis dicat domum renouatam eſſe, re ipſa & in effectu renouatam intelligere? Neque ideo ſolùm quod per aliquem non ſtetit, quo minus renouaretur, dici poſſe renouatam, ſed neceſſe eſt, vt re ipſa & in effectu renouata ſit. Simili ergo ratione, non poteſt dici mundus factus, id eſt renouatus eſſe, ſi nouitatem nullam acquiſiuit: quia eſſe renouatum dicit effectum, non ſolùm cauſam paratam ad renouandum. Alia ratio eſt de Saluatore. Dicitur enim & is ſaluare, qui re ipſa ſaluat, & qui facit ea, ex quibus ſalus conſequi poteſt. Renouare verò non dicitur, niſi ratione effectus re ipſa præſtiti. Non igitur rectè dici poteſt, mundus per Chriſtum factus, id eſt renouatus, antequam nouitatem à Chriſto acceperit: etiamſi Chriſtus fecerit ex parte ſua, quæ ad nouitatem iſtam conferendam ſatis eſſent; hoc enim ad factam renouationẽ mundi non eſt ſatis. Quanquam

quam & illud negari Smalcio poteſt, Chriſtum ante mortem feciſſe ea omnia, quæ ex parte ipſius erant præſtanda ad renouationem hominum per fidem. non niſi enim multò poſt miſit Apoſtolos ad fidẽ toti mundo publicandam.

Altera quoq; expoſitio de mundo futuro refellitur: tum quia mundus abſolutè ponitur, nec vlla particula ad mundum futurum reſtringitur: tum quia mundus ille futurus ſecundùm Smalcium, nondum erat factus tunc, cùm Chriſtus in mundo erat, ſed tantùm annunciatus. At quàm ineptè dicitur id factum eſſe, quod ſolùm annunciatur & re ipſa non exiſtit. *Altera expoſitio.*

Tandem Smalcius negat, Ioannem initio ſui Euangelij de Verbo ante carnem agere: verùm nos in id clariſſimis argumentis docemus. *Verbũ ante carnem.* 1. Primùm illud Verbum dicitur à Ioanne in principio fuiſſe, hoc eſt antequam mundus, & omnia facta eſſent, vti oſtenſum eſt. at certè ſecundùm carnem non fuit ante mundum & omnia condita. 2. Secundò, Verbum tunc fuiſſe apud Deum, id eſt non apud homines habitaſſe, ſed apud Deum. Atqui cùm Caro factum eſt, habitauit in nobis. ergo antequam Caro fieret, dicitur apud Deum fuiſſe.

Hîc duo reſpondet Smalcius. alterum eſt, Verbum in principio fuiſſe apud Deum, idem eſſe quod ſoli Deo notum fuiſſe, quatenus Verbum. Alterum eſt, re ipſa in carne apud Deum fuiſſe per raptũ quendam, & cum eo conuerſatum eſſe. At vtraque reſponſio futilis eſt & inſulſa. & quidem poſterior in capite ſuperiori iam refutata eſt. Prior verò refellitur: primò, quia eſſe apud Deum, opponit Ioannes habitationi in nobis. ſicut ergo cùm Verbum habitauit in nobis Caro factum, verè & re ipſa apud homines exiſtebat: ita cùm eſſet apud Deum, verè & re ipſa exiſtebat apud Deum. *Refutatur Smalcius.* Deinde clariſſima ſcripturæ loca ſunt, quæ teſtantur Chriſtum verè apud Patrem in cœlo fuiſſe, antequam in hunc mundum veniret, vti ſupra à nobis demonſtratum eſt. Non ergo de imaginaria, ſed de reali apud Deum exiſtentia, hic quoque Ioannis locus exponi debet. Adhæc falſum eſt, eſſe apud Deum, ſignificare ſoli Deo eſſe notũ. Quo enim exemplo ſcripturæ, talem loquendi modum cõprobabit? aut quod indicium tam abſurdæ expoſitionis afferre poterit?

Profert quidem locum 1. Ioan: 1. 2. vbi dicitur, *Verbum vitæ, quod erat apud Patrem, manifeſtatum eſſe.* Verùm & malè à Smalcio adducitur,

 & nihil

& nihil Smalcium iuuat. non enim Verbum vitæ, ſed vitam æternam, quæ erat apud Patrem, ait apparuiſſe nobis: & doloſè vtitur voce manifeſtationis, vt eam poſſit ad manifeſtationem, quæ fit per annũciationẽ, transferre, cùm Græcè habeatur ἐφανερώθη, quæ vox conſpicuum & apparentem fieri ſignificat, & non de verbali ſed de reali apparitione intelligitur. Nihil verò Smalcium hic locus iuuat. Nam in eo apparitio opponitur reali apud Patrem exiſtentiæ. Reipſa enim apud Patrem vita æterna eſt, cùm ſit fons vitæ: ita vt vita æterna, quæ cùm apud Patrem reipſa eſſet, erat inuiſibilis, apparens nobis in carne, facta ſit viſibilis. quam apparitionem in carne indicant illa verba, *quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Videri enim oculis & manibus cõtrectari non niſi caro poteſt. Quare nec probat, nec probare poteſt hinc Smalcius, eſſe apud Deum, ſignificare ſoli Patri notum eſſe.

Verbum initio Euangelij non ſoli Deo notum fuiſſe.

Falſum etiam eſt, Verbum in principio Euangelij ſoli Deo notum fuiſſe. Nam ſi de perfecta verbi notitia ſermo ſit; ſic etiam nunc ſoli Deo notum eſt. *nemo enim nouit Filium, niſi Pater,* Matt: 11. 27. Si verò de notitia imperfecta, aut quæ habetur ex reuelatione, agatur: ſic verum non eſt, Verbum in principio Euangelij ſoli Deo fuiſſe notum. Fuit enim notum non ſolùm Angelis omnibus, ſed & multis hominibus. Nam & Virgini Mariæ, Eliſabethæ, Ioanni, Zachariæ, Simeoni, Annæ, quæ loquebatur de illo, omnibus qui expectabant redemptionem Iſrael. Luc: 2. 38.

Neque dici poteſt, illis tunc non fuiſſe notum, vt Verbum quia nondum voluntatem Dei annunciauerat. Nam hac ratione, neque Deo fuiſſet notum, quia nondum tunc Dei voluntatem hominibus annunciauerat. Sicut ergo Deo dicitur fuiſſe notum, quia munus illud annunciandi, & voluntas Dei, quæ erat ab ipſo hominibus annuncianda, erat Deo nota: ita & hominibus ſimiliter notum fuiſſe, dicendũm eſt; quia & munus eius, cùm quo miſſus eſt in mundum à Deo, nempe ad ſaluandos homines, notum fuerat. & voluntas Dei erga homines, quam annunciaturus erat, fuit iiſdem perſpecta, vt ex cap: 1. & 2. apud Lucam manifeſtum eſt. Non poteſt ergo negari etiam hominibus Verbum, vt Verbum, notum fuiſſe; ſi Verbi nomen officium Verbi, vt Ariani volunt, deſignat.

Tertio

Tertio probatur, Ioannē de Verbo ante carnem loqui: quia ne vna quidem vocula, Carnis meminit: ſed de Verbo abſolutè loquitur: imò Verbi illius eſſentiam explicans ait, *Deus erat Verbum.* Caro enim eſſe non poterat, quod erat ante mundum conditum, & antequam fieret quidquam. Neque dici poteſt, Dei nomen non propriè ſed ſecundùm ſimilitudinem accipi: nihil enim eſt, quod hanc impropriam & ſimilitudinariam acceptionem indicet. Verba autem ſcripturæ in propria acceptione ſumenda ſunt, niſi ex adiūctis vocibus impropria ſignificatio indicetur 3.

Quartò, quia de Verbo in carne agere incipit ℣. 14. dicitq; Verbum non in principio, & ante omnia, quæ facta ſunt, fuiſſe; ſed in tempore eſſe factum carnem. non ait, Deus erat Verbum, ſed Verbū caro factum eſt: non dicit, Verbum erat apud Deum, ſed habitauit in nobis: non ait omnia per ipſum facta ſunt, & mundus per ipſum factus eſt: ſed gratia & veritas per ipſum facta eſt in mundo, & nos de plenitudine eius accepimus: quæ ſola anthiteſis manifeſtè indicat, Verbi autem carnem, & Verbi in carne differentiam. At inquit Smalcius, multa de Verbo dici à Ioanne, quæ non niſi Verbo in carne conueniunt. Antequam enim Verbum caro eſſet, nec luxit in tenebris, nec illud comprehēdendi vlla fuit occaſio, nec Ioannes Baptiſta de eo eſt teſtatus, nec in mundum venit, nec quēquam illuminauit, nec à ſuis repudiatum & non agnitum eſt, nec cuiquam dedit poteſtatem filios Dei fieri. At reſpondemus, iſta omnia per Digreſſionem quandam, & quaſi parentheſim à Ioanne dici, ad explicanda illa verba, *in ipſo vita erat.* Vitam enim vocat lucem, & ea occaſione, multa, de luce per anticipationem dicit. Deinde occaſione lucis nō comprehenſæ & cognitæ, digreditur ad eorum, qui cognouerunt & crediderunt, felicitatem explicandam: tum, finita quaſi parentheſi, ſubiungit, *& Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis.* id verò de anticipatione, non nos ſolùm dicere cogimur, ſed & Smalcius, & omnes Ariani. negare enim non poſſunt, iſta per anticipationem dicta, ſiquidem ℣. 14. agit, Verbum Carnem factum eſſe & habitaſſe in nobis, cùm ante multa referat, quæ, poſtquam caro factum eſt & habitauit in nobis, fuêre facta, ea nempe, quæ à Smalcio enumerata ſunt. 4.

Tandem negat Smalcius legendum eſſe, *Verbum caro factum eſt*, ſed *caro fuit.* vox enim ἐγένετο vtroq; modo verti poteſt. At ſūmam temeri- *Incredibilis temeritas.*

impudentia Smalcij. temeritattem & impudentiam ſuam prodit Smalcius, cùm lectionē omnibus ſeculis ab ipſis vſq; Apoſtolorum tēporibus receptam, reijcit; ſuamq; ineptiſſimam obtrudere non erubeſcit. Conſtat enim ne vnum authorem proferri poſſe, qui aliter legendum cenſuerit; imò ipſi Apoſtolorum diſcipuli ab Apoſtolis edocti, eam lectionem ſequuti ſunt; cùm paſſim Verbum eſſe carnem factum inculcant. Legat Smalcius, vel vnius Ignatij, Ioannis Apoſtoli diſcipuli, epiſtolas, in quibus manifeſtè perſpiciet, Spiritum Apoſtolicum de Verbo ante ſecula exiſtente, quod in tempore factum eſt Caro: idq; ex hoc Ioannis loco ab ipſo probatum. *Verbum caro factū eſt, legendū eſſe.* Atq; vt vnum ex omnibus exēplum proferam, in epiſtola ad Epheſios ita dicit: „Habemus Medicum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ante ſecula Filium vnigenitum, & in principio Verbum; poſtea verò & hominem ex Maria Virgine. Verbum enim, inquit, Caro factum eſt, incorporalis in corpore, impaſſibilis in corpore paſſibili, immortalis in corpore mortali, vita in corruptione, vt de corruptione & morte liberet animas noſtras. En ſenſum Apoſtolicum ab Apoſtolis ipſis ſuorū diſcipulorum mentibus impreſſum. Ex quibus Smalcius intelliget, ſe & ab Apoſtolico ſenſu longiſſimè diſceſſiſſe, & ſua ſomnia figmentaq; pro ſenſu Apoſtolico venditare, Quod ſi & Martialem vnum ex Chriſti ipſius diſcipulis, vti & ipſe de ſe ſcribit, legere vellet, inueniret in eius epiſtola ad Burdegalenſes Chriſtianam de Verbo ſententiam. „Hæc, inquit, Fratres ſcitote, quia Verbum, in quod credidiſtis, Filius eſt vnigenitus ante omnem ſubſtantiam, ante omne initium: ipſe eſt enim principium, quia de principio ineffabiliter genitus eſt. In noſtro verò tempore mirabiliter ab Angelo annunciatus, & in veritate incomprehenſibili, de Virgine Maria natus eſt; nihil diminutus à Diuinitate Maieſtatis ſuæ. CVIVS NOS TESTES SVMVS. & paulò poſt, ait, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in perſonis eſſe tria diuiſa, in Diuinitate vnum Deum indiuiſum eſſe.

Ex quo patet, non eſſe Arianos, ex eorum Chriſtianorum genere, qui vel diſcipuli Chriſti fuerunt, vel Apoſtolorum; ſed veluti adulterinū & ſuppoſititium partum eſſe, nihil ſpiritus Chriſtiani & Apoſtolici habentem. Neq; verò refert, quod vox ἐγένετο verti poſſit, tam per vocem *Fuit*, quàm per *Factum eſt*; Nam hoc loco & cum his circumſtantiis legi non poſſe *Fuit*, ſed *Factum eſt*, omnium ſeculorum

lorum fideles ad noſtra vſque tempora comprobârunt: ita vt ſtultiſſimus planè ſit, qui ſuum hac in parte cerebrum, omnium ſeculorũ iudicijs opponere audeat, Sed de hac lectione alibi à nobis copioſiùs actum eſt.

Ex quibus omnibus, quæ hoc libro egimus, concludo, talpis ipſis cœciores eſſe Arianos, qui non vident ſecundùm ſcripturas, Chriſtum, eſſe Filium Dei, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Diuinitatem, non ſecundùm adoptionem, ſed ſecundùm naturam, non temporalem, ſed æternum & ante omnia ſecula genitum. Denique non ſimilitudine accidentali cum Deo, ſed naturæ & eſſentiæ veritate eſſe & dici Dei Filium. *Concluditur.*

LIBER SECVNDVS, DE SATISFACTIONE CHRISTI.

Tanto in humanum genus odio Satanas flagrat, vt nihil quod ad veram Chriſti cognitionem pertinet, intactum reliquerit: non ignorans in ea ſitam eſſe æternam ſalutem. Nam & veram de Chriſti Diuina natura, & ea, quam ab æterno habet, exiſtentia, ſententiam per ſuos fideles miniſtros Arianos, quotidie oppugnat; & ſalutarem de ipſius munere redẽptioneq́ʒ doctrinam per blaſphemas ac impias, ab inferis recens excitatas hæreſes, quibus omnis Chriſti pro peccatis ſatisfactio tollitur, eorundem Arianorum Racouienſium ope euertere molitur. Porrò Chriſti ſatisfactionem tollere, quid aliud eſt, quàm Chriſtum vnicum Redemptorem, Mediatorem, Saluatorem noſtrum, abnegare, ſanguinemq́ʒ eius ac mortem conculcare, & ſummo ipſius amori & beneficio iniuriam facere: denique omne ſalutis noſtræ negotium funditus tollere? Etenim ſi ſanguis Chriſti vim nullam habuit ad peccata noſtra tollenda, vt iſti volunt, ſed ſolùm in teſtificationem Diuinæ erga nos beneuolentiæ fuſus eſt: verè nos Chriſtus non *Ariani in Chriſtum iniurij.*

ſtus non

ſtus non redemit, nec liberauit à peccatis, ſed ſolùm teſtificatus eſt, Deum ſponte & abſque vlla alia redemptione, nobis remittere peccata: quod eſt totam redemptionem auferre, & dicere, nos non redemptione Chriſti, ſed teſtificatione Diuinæ miſericordiæ eguiſſe, neque nos à Chriſto redẽptionem ipſam conſecutos eſſe, ſed teſtimonium duntaxat de Dei erga nos beneuolentia. Quo etiam modo omnes martyres, cùm in teſtimonium eius erga nos Diuinæ voluntatis in Euãgelio declaratæ, ſanguinem fundunt, dicendi eſſent nos ſanguine ſuo redemiſſe. quo nihil indignius dici poteſt.

Miſericordia cum redemptione coniungitur in ſcriptura.

Fruſtra verò Smalcius opponit nobis miſericordiam Diuinam, quaſi ea, abſq; alia ſatisfactione, ſatis ſit ad peccata nobis condonanda. Nos enim in ſacris literis miſericordiam Dei nonniſi coniunctam Chriſti redemptioni, paſſioni & morti agnoſcimus. In eo enim immenſa Dei miſericordia eluxit, quòd ipſe vltro beneuolentiam ſuam nobis obtulit, & redemptorem dedit, per cuius redemptionem liberi à peccato eſſemus: verùm hæc miſericordia includit Chriſti paſſionem & mortem, quam pro peccatis noſtris ſuſtinuit, ac proinde ſine ſatisfactione non fuit. Neque cùm actu Deus nos dicitur gratis iuſtificare, & à peccatis liberare, excluditur Chriſti redemptio & ſatisfactio, ſed expreſſè additur: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem, in ſanguine ipſius. *Rom: 3. 24. Ergo iuſtificatio noſtra eſt opus & miſericordiæ Diuinæ, quia gratis; & iuſtitiæ, quia per redemptionem & ſanguinem Chriſti: quæ redemptio & ſatisfactio quia gratis, & non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus eſt nobis donata, ideo non præiudicat Diuinæ gratiæ, ſed eam ſummè commendat & amplificat. Verùm hæc enucleatius in toto hoc libro aperienda ſunt: & oſtendendum nouos iſtos Arianos indigniſſimè de gratia Dei & Chriſti redemptione ſentire.*

Chriſtum ſua paſſione & morte, Deum nobis reconciliaſſe, & ex offenſo placatum & propitium reddidiſſe. *Caput I.*

NEgant inprimis Ariani, Chriſtum ſua paſſione & morte id effeciſſe, vt Deus nobis beneuolus & propitius eſſet. Nec eius gratiam nobis conciliaſſe, ſed ſolùm nos Deo reconciliaſſe, & ex inimicis amicos reddidiſſe. Aiunt enim Deũ nos antea dilexiſſe, quàm Chriſtus moreretur. Ioan: 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* ex eoque inferunt, non Deum nobis reconciliari debuiſſe,

buiſſe, ſed nos Deo. At erroris abſurdiſſimi conuincuntur Aduerſarij eo argumento. Etenim quàm diu Deus peccata non remittit hominibus, manet hominibus offenſus & iratus. Nam & offenſio tam diu manet, quàm diu offenſa non remittitur. Sola enim remiſſione tollitur; & ira maior cogitari non poteſt, quàm cùm Deus peccatorem vult æternis ſuppliciis propter peccata addicere. quod ſemper facit, quàm diu peccata non remittit, quæ ſunt æternorum cruciatuum iuſtiſſima cauſa. Ita verò res hîc habet. Nam dando Chriſtum hominibus, peccata omnibus hominibus non remiſit, neque cruciatus æternos ob peccata illis debita condonauit. Manſit igitur offenſus & iratus hominibus, donec per Chriſti ſanguinem, & peccata illis remitteret, & ſe beneuolum placatumq; iis exhiberet. Illa verò dilectio, de qua Ioan: 3. dicitur, non peccatorum remiſſionem continet, ſed oblatam Dei gratiam, ad peccatorum remiſſionē per Chriſtum conſequendam: neque facit, Deum offenſam & iram omnem re ipſa depoſuiſſe, ſed paratum ad deponendum fuiſſe Chriſti ſanguine pro peccatis hominum fuſo. alioqui ſi antequam Chriſtus mitteretur, Deus offenſam remiſiſſet hominibus, & fuiſſet ex offenſo placatus, non fuiſſet neceſſe, Chriſtum eo fine in mundum mitti, vt peccata tolleret, & pro illis moreretur. *Potenter vrgentur Ariani.*

Ad hoc noſtrum argumētum Smalcius non habet prorſus quod reſpondeat, etiamſi omnes in partes ſe torqueat. Ait primùm, Deum mittendo Chriſtum in mundum decreuiſſe, ita homines tractare, ac ſi nulla peccata antea fuiſſent, ſi modo in poſterum Deo obedire vellent. Verùm quis non videt ipſum ad rem non reſpondere. Non enim hoc quæritur, an Deus tunc fuerit paratus ad remittenda omnibus hominibus peccata, ſed an reipſa remiſerit. nam ſi reipſa non remiſit, offenſam non remiſit, nec iram depoſuit, ac proinde manſit offenſus, & reconciliari per Chriſtum debuit. ſi verò dicatur remiſiſſe peccata hominibus, præterquam quod id per ſe abſurdiſſimum eſt; etiam id conſequeretur, quod interebamus, Chriſtum nō fuiſſe neceſſarium ad tollenda & remittenda peccata hominibus: ſiquidem iam ante ipſum fuiſſent à Deo remiſſa. *Non ad rem reſpondet Smalcius.*

Nam quod reſpondet Smalcius, ob alias cauſas, neceſſariū fuiſſe vt Chriſtus mitteretur in mundum, tum ad annunciandam & confirmandam hanc Dei voluntatem de remiſſione peccatorum;

cum ad diſponendos exemplo vitæ ſuæ homines ad eam gratiam à Deo recipiendam. Non aduertit homo iſte peracutus, Chriſtum nõ annunciando ſolùm, & vitæ exemplo prouocando homines ad omnem pietatem, remittere peccata debuiſſe. eo enim modo & Prophetæ, & Apoſtoli, & omnes Prædicatores, qui verbo & opere inducebant homines, vt conuerterent ſe ad Deum, remittebant peccata: verùm præterea Chriſtum ſanguine ſuo pro peccatis effuſo obtinere debuiſſe omnibus remiſſionem peccatorum. *Lauit enim nos à peccatis in ſanguine ſuo.* Apoc: 1. 5. Hic verò modus efficiendi remiſſionem peccatorum, ſolus Chriſti proprius eſt, nec in quempiam alium conuenire poteſt. Si igitur Chriſtus, ſcriptura teſte, fuit neceſſarius ad tollenda peccata per ſanguinem & mortẽ ſuam; per quam abſurdum eſt dicere, Deum prius peccata remiſiſſe hominibus, quàm decerneret Chriſtum in mundum mittere.

Ignorantia Smalcij detegitur. Porrò ſemper in eo errore verſatur Smalcius, cùm exiſtimat, idem eſſe, Deum deponere omnem offenſam, & eſſe paratum ad deponendam offenſam. Etenim luce clarius eſt, eum qui offert ſe paratum ad remittendam & deponendam offenſam, certis pactis & conditionibus, nõ remittere, nec deponere actu offenſam, antequam conditiones impleantur vel admittantur. Simul igitur verum eſt, & manere actu offenſum, & paratum eſſe ad deponendam offenſam conditionibus poſitis vel admiſſis. Vnde non rectè Smalcius infert ex eo, quòd Deus paratus fuit ad remittenda peccata & cõdonandã offenſam hominibus, tunc cùm eis Chriſtum daret, ipſam offenſam hominibus actu condonaſſe, ſed hoc ſolùm ſequitur ad condonandũ paratum fuiſſe. Quod etiam ex eo patet, quòd quamdiu Deus peccata non remittit, habet tam peccatum, quàm peccatorem exoſum. *odio enim eſt Deo impius & impietas eius.* Quomodo autem cum odio amicitia & beneuolentia conſiſtere poteſt? Neque ſolùm Deus odit impium, ſed & iram erga eum retinet, quâ eum niſi reſipiſcat, æternis cruciatibus addicere vult. Vnde ſcriptura teſtatur, vocẽ illam pænitentium & reſipiſcentium eſſe, *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.* quia nimirum antequam reſipiſcant & conuertantur ad Deum, Deus iratus manet, & punire eos in æternum decernit. Quare tunc etiam cùm Chriſtum hominibus daret, fuit hominibus ob peccata, à quibus non reſipiſcebant, iratus, & voluit eos

ſi non

ſi non reſipiſcerent, punire. licet eſſet paratus & offenſam & iram deponere ſi reſipiſcerent.

Ridendus verò eſt Smalcius cùm ſic ait, poſſe Deum odio habere peccata & deteſtari; & tamen eis nō iraſci. quomodo enim id ſaluis ſcripturis conſiſtere poteſt? Eæ enim affirmant, Deum peccata non ſolùm odio habere, ſed & pœnam æternam illis proponere cōminarique, quàm diu ab illis homines non reſipuerint. Anné ira nō eſt, eaque maxima, pœnam æternam peccatis infligere velle, niſi illa homines pœnitentia eluant? Anné peccata aliqua ſunt ab hac ira Dei excepta? Nam etſi, dùm peccatores expectat ad pœnitentiam, non effundat in eos iram ſuam, nec opere compleat: tamen quia vult & proponit eos punire, eamq; pœnam illis comminatur, negari nequit illum peccatoribus iratum eſſe: neque enim tunc ſolùm iraſcitur quis, cùm iram opere ipſo exequitur, ſed etiam cùm proponit exequi, ſiue abſolutè, ſiue ſub conditione. *Paradoxū Smalcianum.*

At enim, inquit, Chriſtianis præcipitur, peccata odiſſe & deteſtari: & tamen non iraſci, ſed iram deponere, idque Dei exemplo. Hem ingenioſum & acutum Theologaſtrum, qui neſciat diſtinguere inter iram bonam & malam, iuſtam & iniuſtam. Diſcat igitur tandem ex ſacris literis, & odium quoddam ſanctum eſſe, quo odimus peccata, & ob peccata peccatores; quod odium ſe habuiſſe gloriabatur Dauid, cùm diceret: *Iniquos odio habui. Odiui Eccleſiam malignantium. Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Perfecto odio oderam illos.* Pſal: 138. 21. quoddam verò odium malum eſſe, & Diuina lege vetitum, quo non tam peccatores & peccata, ſed homines ipſi ad imaginem Dei conditi, odio habentur. de quo illud 1. Ioan: 3. 15. intelligitur, *omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Illud odiū ex charitate Dei naſcitur, hoc charitati Dei repugnat. *Odium licitum & illicitum.*

Similiter & ira quædam ſancta & iuſta eſt, qua peccatis & peccatoribus, quâ peccatores ſunt, iraſcimur: & illis mala, quæ ob peccata iuſtè merentur infligi cupimus ex affectu iuſtitiæ: quædam ira mala eſt & iniuſta, quæ legem iuſtitiæ tranſgreditur, & priuata, nō publica authoritate punit delinquentem: etſi enim delinquens pœnam meretur, non tamen à priuato, ſed à poteſtate publica: de qua Paulus Rom: 13. 4. *Si malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Quocirca cùm

ait Smalcius,. Chriſtianis exemplo Dei eſſe prohibitam iram. ſi de ira iniuſta intelligit, verum eſt, ſed ad rem non loquitur. Nam Dei erga peccata & peccatores ira eſt iuſta, & Chriſtianis exemplo Dei imitanda. Si verò de omni ira id affirmet, falſum eſt & contra ſcripturam dicentem, *iraſcimini & nolite peccare*, Pſal: 4. Deus enim iuſtitiam ſeruari vult in mundo & puniri delinquẽtes. Nõ igitur ex hac prohibitione iræ iniuſtæ inferre poteſt, Deum iuſtè peccatoribus non iraſci, ſed tantùm odiſſe illos. Deus enim quia bonus eſt, odiſſe peccata debet: quia iuſtus, impunita non relinquere: quorum vtrumque hominibus ſuo exemplo faciendum proponit: ita vt ex hac comparatione potius inferri debeat, Deum iraſci peccatis, quàm non iraſci. quia idem faciendum hominibus præcepit.

Ira iuſta & iniuſta.

At, inquit Smalcius, neminem negare Deum & olim & nunc peccatis iraſci, ſed an tunc cùm Chriſtum nobis daret iratus fuerit, & placatione habuerit opus. Verùm hìc iam ſeipſum iugulat Smalcius; ſi enim ante & nunc Deus peccatis iraſcitur, quantumuis ſemper ſe paratum & propenſum ad remittenda peccata exhibeat, ex eo duo conſequuntur. Primum eſt, voluntatem illam Dei paratam ad remittenda peccata non excludere iram Dei in peccatores, ſed moderari. Alterum eſt, tũc etiam cùm Chriſtum mitteret in mundum, iratum peccatoribus fuiſſe; neque enim illis peccata remiſit aut pœnas condonauit, ſed paratum ſe ad condonandum exhibuit; interim tamen dum non condonauit, iram & voluntatem puniendi retinuit, niſi reſipiſcerent. Ex quo etiam ſequitur, per Chriſtum reconciliatum eſſe hominibus quia per eius ſanguinem & mortem pro peccatis obitam, factum eſt, vt Deus & peccata remitteret, & ex conſequenti, factus ſit nobis ex offenſo beneuolus. Vt enim dictum eſt, quàm diu quis offenſam non remittit, offenſus manet, neq; poſſibile eſt offenſa non remiſſa, non manere offenſum.

Deum, cùm Chriſtum mitteret in mundum, iratum peccatoribus fuiſſe.

Reſtat vt duo illa obiecta à Smalcio, quibus ille tanquam fundamentis ſuum errorem fulcit, diſſoluamus. Primùm illud eſt, Deum antequam Chriſtum mitteret in mundum, dilexiſſe mundum. vt Ioan: 3. dicitur. fuit igitur ante Chriſtum ex ſe & ſua ſponte mundo reconciliatus: neque per Chriſtum reconciliari debuit. Inprimis igitur nego ex hoc, vel vllo alio ſcripturæ loco poſſe colligi, Deum ita dilexiſſe mundũ, vt toti mundo peccata remiſerit. Quodſi peccata

Quî Deus dilexit mũdum, cùm Filium ſuũ daret.

cata non remiſit, manſit offenſus. Offenſio enim ſola remiſſione tollitur. Non igitur illa dilectione hoc factum eſt, vt non eſſet re ipſa offenſus mundo: ſed quòd toti mundo gratiam ſuam obtulit, ad reconciliationem & remiſſionem peccatorum futuram, ſi per homines non ſteterit. interim tamen nec peccata remiſit, nec ex conſequenti offenſus eſſe deſiit: aliud enim eſt propenſum eſſe ad reconciliationem, aliud actu reconciliari. Deinde etſi propenſum ſe obtulit hominibus ad remittenda peccata, eam tamen conditionem huius gratiæ eſſe voluit, vt Chriſtus pro peccatis ſanguinem funderet & moreretur. Non igitur ſine placatione & ſatisfactione Chriſti: *ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi,* 1. Ioan: 2. 2. Si propitiatio, ergo placatio: propitiare enim aliquem, eſt propitium & placatum reddere. Demùm non aduertit Smalcius, non omnem dilectionem Dei eſſe vnius modi: poteſt enim vna ratione Deus eundem & diligere, & odiſſe alia. Etenim in peccatore diligit Deus naturam, quam ipſe fecit: odit peccatum, quod peccator fecit. Nam & natura peccatoris eſt bona, ac proinde dilectione digna: at peccatum malum, proindeq; odio, non dilectione dignum. Similiter Deus diligit omnes homines, quatenus omnes vult ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire: eoſdem odit & damnare vult, quatenus peccatores. Non igitur ex qualibet dilectione Dei licet inferre, Deum peccatoribus propitium & placatum eſſe, ſed ſolùm ex illa, qua ita diligit, vt non ſolùm media illis ad remiſſionem offerat, ſed etiam reipſa peccata remittat. *Dilectio Dei multiplex.*

Si libros Theologorum diligentiùs euoluiſſet Smalcius, inueniſſet illam inſignem diſtinctionem voluntatis Diuinæ in antecedentem & conſequentem: quâ, tota res hæc optimè explicatur. Voluntate enim antecedente vult omnes ſaluare: voluntate conſequẽte, quia homines in peccatis permanent, vult multos damnare: & ſic illos & antecedenter diligit, & conſequenter odit. Sed non curantur à Smalcio niſi ea, quæ in Socino, nouo iſtius Arianiſmi architecto inueniuntur. Sũma igitur rei eſt. Deus dilexit mundum, cùm Filium ſuum daret, quia mundo Saluatorem & media ad ſalutem conſequendam obtulit: non verò ita dilexit, vt eo ipſo peccata toti mundo remiſerit, & ex offenſo placatus fuerit. *Voluntas antecedens & conſequens.*

Alterum eſt, in ſcriptura quoties de reconciliatione agitur, dici nos

Simul & nos Deo recõciliamur & Deus nobis.

ci nos Deo reconciliatos, non Deum nobis, vt vel vnicus locus 2. Cor: 5. 19. docet; ex hoc autem concludi exiſtimat, Deum nobis nõ reconciliari, ſed nos Deo. Verùm inprimis non aduertit Smalcius, Dei reconciliationem in noſtra cum Deo reconciliatione contineri: quare tantùm abeſt, vt ex noſtra cum Deo reconciliatione, Dei recõciliatio negari debeat, vt etiam inferri neceſſariò debeat. Etenim tunc Deo reconciliamur, cùm Deus peccata nobis remittit. Porrò cùm peccata remittit, deſinit tunc primum eſſe offenſus, vt dictum eſt; ac ex conſequenti incipit eſſe ex offenſo placatus & reconciliatus. Cùm verò hæc remiſſio fiat propter Chriſtum, id eſt propter paſſionem eius & mortem, vt omnis ſcriptura teſtatur; ſanguis enim Chriſti fuſus eſt in remiſſionem peccatorum, in propitiationem pro peccatis, ad abluendos nos à peccatis: idcirco Chriſtus ſicut ſanguine ſuo fuit cauſa, vt nos reconciliaremur Deo: ita & vt Deus recõciliaretur nobis. Et ſicut fuit cauſa, vt nobis remitterentur peccata à Deo; ita etiam fuit cauſa, vt Deus remitteret peccata nobis, & remittendo fieret nobis ex offenſo propitius. quod eſt Deum reconciliari nobis. Adhæc concedit Smalcius, Deum, peccatores odio habere, quamdiu manent in peccatis; ergo cùm ad Deum à peccatis conuertuntur, obtinent id, vt Dei illud odium in gratiam conuertatur. Obtinere autem gratiam eius, qui ante oderat, eſt ipſum reconciliare. Ac tale odium habitũ in peccatores Deus non niſi per Chriſtum & propter Chriſtum deponit. *Gratificauit enim nos in dilecto Filio ſuo.* Epheſ: 1. 6. id eſt, ex exoſis gratos & dilectos fecit.

Deus propter Chriſtũ nos diligit.

Cur ſcriptura paſſim dicat nos Deo reconciliari, non Deũ nobis.

Deinde quod ſcriptura dicat, nos reconciliari Deo, id non propterea fit, quòd Deus ſimul non reconcilietur nobis, ſed quòd Deus ex parte ſua, ſemper eſt ad reconciliationem paratus: homines autem huic reconciliationi reſiſtunt. Quare homines, vtpotè inuiti & renuentes, ad reconciliationem inducendi erant, non Deus, qui iam erat ad reconciliationẽ paratus, propter paſſionem & mortem Chriſti pro peccatis acceptatam. Adhæc ſecundùm vſitatiorem modum loquendi, is dicitur reconciliari, qui offendit: quia is, ſicut cauſam odio dedit, ita & reconciliatione indiget, & eam quærere debet: quamuis dum ipſe reconciliatur ei, quem offendit, conſequenter ille offenſus quoque ipſi reconcilietur. Neq; verò iſta ſunt pugnantia, nos egere reconciliatione cum Deo, & oportere Deum nobis reconciliari.

conciliari. Vtrumque enim diuerſo ſenſu verum eſt. Nam reſpectu cauſæ datæ, quæ in nobis eſt, nos egemus reconciliatione, non Deus, qui in ſe nullam odij cauſam habet, niſi ex nobis: quoad rem ipſam autem neceſſe eſt, vt & nos reconciliemur Deo, ſubmittendo nos ipſi; & ipſe reconcilietur nobis, gratiam ſuam nobis exhibendo, & condonando peccata.

Deum moueri noſtra pœnitentia.

At enim, inquit, Smalcius, Deum non exigere à nobis, vt nos vel alius nomine noſtro illum commoueat, vt nobis reconcilietur, & offenſam ſuam deponat. Imo verò requirit. Nam & à nobis requirit veram pœnitentiam & dolorem pro peccatis, qua cõmoueatur & remittat nobis peccata, iuxta illud Dauidis: *Vide humilitatem meam & dolorem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea*: & à Chriſto requiſiuit, vt ſanguinem pro peccatis funderet, eiuſque reſpectu, & in nomine ipſius, peccata nobis remittit, ſcriptura teſte.

Nam quod ait, Deum ſponte & nullo inducente offenſam depoſuiſſe, falſum eſſe multoties iam oſtendimus: cùm depoſitio offenſæ ſine peccati remiſſione eſſe non poſſit: peccata autẽ non niſi in Chriſti nomine & propter Chriſti ſanguinẽ, nobis remitti à Deo nimis manifeſtum eſt in ſcriptura: quare & offenſæ depoſitio, nonniſi ſanguinis & mortis Chriſti reſpectu fit à Deo.

Reconciliatio per Chriſtum quâ facta.

Fruſtra verò pro ſe adducit locum Pauli, 2. Cor: 5. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans illis delicta ipſorum.* Deus enim dicitur in Chriſto mundum reconciliaſſe ſibi, non quod reconciliatio iam tunc eſſet actu conſecuta: ea enim ſine remiſſione peccatorum eſſe nequit: ſed quod eſſet parata. omnia enim ad reconciliationem requiſita erant in Chriſto perfecta: ita vt nil aliud reſtaret, niſi vt homines ea vti vellent, & ex parte ſua reconciliari Deo. idcirco enim additur: *Reconciliamini Deo*: vt indicetur, reconciliationem illam, paratam tantummodo, ex parte Dei & Chriſti fuiſſe, nondum verò opere cõſummatam, & ad actum reuocatam. Quo etiam modo Chriſtus dicitur omnes ſaluaſſe: quia pretium ſanguinis ſui pro omnium ſalute ſufficiens impendit, licet re ipſa non omnes beneficium ſalutis conſequantur.

Neque verò cùm dicimus, ex parte Dei reconciliationem fuiſſe paratam, volumus dicere aut debemus, offenſam tunc, Deum depoſuiſſe, aut remiſiſſe hominibus peccata, ſed ſolùm paratum ad id faciendum

ciendum fuiſſe propter Chriſti ſanguinem: interim verò dum homines reconciliationem non admittunt, manet Deus offenſus & hominibus inimicus.

Charitas Dei generalis in homines omnes in quo conſiſtat.

Exiſtimat verò Smalcius, antequam Deo recõciliemur, Deum nobis reconciliatum eſſe. Etenim inquit, *cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtum pro nobis in mortem tradidit*; Rom: 5. 2. quod ſine ſumma charitate eſſe non potuit. Verùm dicendum eſt, vti id ſine charitate, & quidem in ſuo genere maxima, fieri non potuit: ita ea charitas, non eò ſpectabat, vt hominibus actu tunc peccata remiſſa eſſent, ſed vt haberent homines, per quod remiſſionem peccatorum cõſequi poſſent, nempe Chriſti paſſionem & mortem, id ipſo Deo per Chriſtũ procurante.

Deus non remittit offẽſam ſine pœnitentia.

Addit, poſſe aliquem remittere offenſam, etiamſi is, qui offendit, id non curet, vel etiam contemnat. Verùm id de Deo dici ſecundùm ſcripturas nullo modo poteſt: is enim peccata nõ remittit, niſi verè pænitentibus: ita vt pænitentiam ad remiſſionem peccatorum omnino ab hominibus requirat, dicente Chriſto, *niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Luc: 13. 5. non igitur Deus ante reconciliatur nobis, quàm nos illi per pænitentiam reconciliati fuerimus: nec remittit offenſam antequam reconciliemur ei. Adhæc Deus remittit offenſam tollendo peccata, lauando nos à peccatis, iuſtificando, ſanctificando: quæ dici non poſſunt de peccatoribus in peccato perſeuerantibus. Non igitur antequam nos ad Deum conuertamus, peccata nobis remittuntur, nec offenſa condonatur.

Deus quamdiu offenſã non remittit manet offenſus.

Cùm verò inſtat Smalcius, vt Deus nobis ſit propitius, non eſſe neceſſe, vt re ipſa offenſas remittat, ſed ſatis eſt vt remiſſionem offenſæ offerat, id iam ſupra ſatis refutatum eſt. Nam quamdiu non remittit offenſam, manet offenſus. offenſa enim non niſi remiſſione tollitur: quod ſi manet offenſus, non eſt vſquequaque propitius. Nam licet in hoc ſit propitius, quòd remiſſionem offenſæ offerat, non tamen in eo, quòd offenſam iam remiſerit. Qua non remiſſa, manet vt ante, offenſus.

Si inquit, offert Deus remiſſionem offenſæ, iam eo ipſo ſuam reconciliationem non quærit, nec quærere poteſt. At fallitur Smalcius. Nam idcirco remiſſionem offenſæ offert, vt reipſa offenſam remittat, & remittendo reconcilietur nobis, fiatque ex offenſo non

offenſus

offenſus, ſed beneuolus & amicus. Quare eo ipſo quærit ſuam etiam reconciliationem cum hominibus.

Tandem ait, neque paſſionem Chriſti, neque pænitentiam noſtram eſſe cauſam efficientem reconciliationis, ſed tantùm conditionem, ſine qua non. At negare non poteſt Smalcius, cùm ad recõciliationem quis imponit aliqua opera pænalia delinquenti, illa opera eſſe, non ſolùm conditionem, ſine qua non, ſed etiam aliquomodo cauſam, propter quam fit reconciliatio. ſiue ea dicatur efficiens, ſiue diſpoſitiua & materialis. ideo enim offenſus pænas ab offendente exigit, vt ſibi aliquomodo pro offenſa ſatisfiat. Pænam enim compenſatur culpa. Quocirca & Dauid ſua pænitentia Deum commouebat ad remittenda peccata. *Vide,* inquit, *humilitatem & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.* Pſal: 24. 18. &, *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Quanquam etiamſi iſtæ meræ conditiones, & non cauſæ eſſent, ad præſens negotium id ſatis eſſet. Neque enim Deus ſine iis conditionibus aut peccata remittit, aut offenſam condonat. Nam quantumuis remiſſionem offerat, eam tamen ad conditionum impletionẽ ſuſpendit. Verùm ex dictis nimis iam manifeſtus eſt Smalcij error, Deum nobis reconciliari negantis. iam ad alia procedamus.

Paſſio Chriſti eſt cauſa efficiens reconciliationis.

Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe ex eo oſtenditur, quòd nos ſanguinis ſui pretio redemerit. Caput II.

QVerimur & meritò de Arianis, quòd ea in controuerſiam vocent, quæ extra omnẽ controuerſiam ſemper fuerunt, vt potè prima Fidei Chriſtianæ principia atq; elementa. Nemo enim Chriſtianorum hucuſq; extitit, qui dubitauerit vnquam, Chriſtũ ſanguine ſuo pro peccatis noſtris fuſo, Deo ſatisfeciſſe: & nobis peccatorum veniam, vitamque æternam promeruiſſe: ita vt vel ex eo, Ariani ſe Chriſtianos non eſſe clariſſimè demonſtrent, quòd prima Fidei principia non admittant.

Nunquam antea auditus Smalcij error.

Nam quod ait Smalcius, Apoſtolos Chriſtianos fuiſſe, ex quorum ſcriptis, doctrina de ſatisfactione Chriſti falſa eſſe oſtenditur, quid niſi fucum facit? quis enim in ſcriptis Apoſtolorum aduerſus Chriſti ſatisfactionem, quidquam legit vel audiuit? An non idem

Doctrina Smalciana nō eſt Apoſtolica.

dicunt omnes hæretici, ſua commenta Apoſtolis affingentes? Sanè doctrina Apoſtolica cenſeri non debet, quam mundus ab Apoſtolis edoctus non eſt, neque recepit aut credidit vnquam. Scimus enim Euangelium ab Apoſtolis prædicatum, creditum fuiſſe in toto mundo, & ſecundùm promiſſa Chriſti permanere debuiſſe ad mundi vſque finem. Cùm igitur Smalcius ex tota antiquitate ne vnum proferre potuerit, qui ſatisfactionem Chriſti negaret, non poteſt ſe vllo modo Apoſtolica doctrina tueri: cùm nulli vnquam fideles talem doctrinam, vel ab Apoſtolis didicerint, vel in ſcriptis eorum legerint. Nam quod ait, libros eorum, qui idem cum ipſis docuerunt, non extare: quis non videt caluam admodum & frigidam excuſationem eſſe? nonné quiuis hæreticus hoc modo ſuam hæreſim tueri poſſet, fingendo libros de ea conſcriptos, non extare? vnde enim Smalcio conſtat, tales libros vel extitiſſe aliquando, vel à Catholicis ſublatos eſſe? quomodo id niſi fingendo probare poteſt?

Hæreticorū ingenium.

Nam cùm ait, multa primæ illi antiquitati ignota, nunc ad finem iam labente ſeculo patefacta eſſe, quæq; primis illis ſeculis religioſè adorabantur nunc pro idololatria haberi, oſtendit homo hęreticus ſuum, hoc eſt hæretica improbitate imbutum ingenium. Hæreticorum enim proprium eſt, Apoſtolicam fidem in toto orbe per Apoſtolos prædicatam, & primis illis ſeculis receptam, prædicare, ſed bonam & priſcæ illi Chriſtianitati inauditam, pro Apoſtolica venditare, illamque ſcriptis Apoſtolicis mendaciter & impudenter affingere: cùm vel hæc ſola ſit certiſſima hæreſis nota, nouū Euangelium primæuis Chriſtianis inauditū prædicare, & ſe magis à Deo illuſtratos iactare, quàm eos qui ab Apoſtolis Euangelium acceperunt, & ad alios tranſmiſerunt.

Certè tam hæreſes quàm dogmata primorum illorum ſeculorum, quæ ab Apoſtolorum temporibus fuerunt, extant in libris ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Quare & dogma Chriſti ſatisfactionem aſſerentium, ſi erroneum fuiſſet, adnotatum proculdubio, & inter hæreſes relatum fuiſſet, maximè cùm totum mundum & omnes in mundo fideles occuparet. Res enim tanta & tantam immutationẽ Religionis ſecum ferens, ſilentio præteriri nec debuit, nec potuit, cùm multò minora præterita non fuerint. Verùm quia de Chriſti ſatisfactione fides talis ſemper extitit, vt nemo vel fidelis, vel hæreticus

ticus etiam, eam negare auſus vnquam fuerit, idcirco neque in noua & Apoſtolicis dogmatibus contraria dogmata vnquam relata eſt, neque iſti niſi æquiuocè Chriſtiani habendi ſunt, qui eam fidem poſt mille ſexcentos annos in dubium reuocant.

Nomina, inquit Smalcius, ſatisfactionis & meriti, non legi in ſcriptis Apoſtolorum: At nos non de nominibus, ſed de re ipſa agimus. Si enim legimus in ſcriptis Apoſtolorum, Chriſtum nos pretio ſanguinis ſui redemiſſe, peccatorum noſtrorum pænas luiſſe, pro peccatis mortuum eſſe, anné hoc ipſum non eſt pro peccatis ſatisfacere, & peccatorum veniam nobis ſanguine fuſo promereri? *Nomina ſatisfactionis & meriti.*

Nemo, inquit, apud Deum mereri quidquam poteſt, ſed quidquid facit Deus, ſponte ſua à nemine coactus facit. At hæc ſumma ignorantia eſt. Meritum enim non coactionem, ſed voluntariam obligationem ex pacto inducit. Non cogitur enim niſi inuitus. At obligationem ex pacto inito, cùm quis ſuſcipit, voluntariè, non inuitus ſuſcipit. Quocirca & voluntariè, non coactè debet ex pacto mercedem aut præmium. Meritum verò gratiam tollere verum eſt, ſed non niſi reſpectu eius, qui meretur. Nobis igitur remiſſio peccatorum Chriſti meritis parta, non niſi gratia eſt, quia eam remiſſionem nos non meruimus, ſed Chriſtus, & Chriſti merita nobis non ex vllo merito noſtro, ſed ex gratia Dei pura applicata ſunt. Chriſtus enim ſua merita poſuit in manu Patris, vt ea cui vellet, & ſicut vellet, applicaret: idcirco enim ait, *ſedere ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Porrò Chriſtus, quia nobis peccatorum remiſſionem meruit, ea remiſſio Chriſti reſpectu, iuſtitia eſt, non gratia, quia ex meritis ipſius; cùm tamen nobis, qui eam non meruimus, ſit ipſiſſima gratia. Sed de hoc infra copioſius, nunc ad rem propoſitam veniamus. *Meritum non affert coactionem Deo.*

Dicimus itaq; Si Chriſtus nos ſanguinis ſui pretio redemit, negari nullo modo poſſe, ſanguine ſuo pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe. Etenim qui pretium aliquod iuſtum Domino pro captiuo ſoluit, is Domino captiui ſatisfacit: pretium enim pro re empta ſolutũ cedit in ſatisfactionem iuſtam venditori, & ſolutio eſt ſatisfactio pro re empta. Atqui, ſcriptura teſte, Chriſtus nos redemit ſanguine ſuo, tanquam pretio pro nobis redimendis oblato, negari igitur nullo modo poteſt, eum pro peccatis noſtris tanto pretio impenſo ſatisfeciſſe. *Ex redemptione probatur ſatisfactio.*

feciſſe. *Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti ſumus, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati,* 1. Petr: 1. 18. & 1. Cor: 6. 20. dicitur, *non eſtis veſtri: empti enim eſtis pretio magno.* is enim qui pretio emitur, non eſt ſuus, ſed alterius à quo emptus eſt. Nos itaque non ſumus noſtri, nec iuris noſtri; quia pretio à Chriſto pro nobis dato, trāſiuimus in dominium Chriſti. Hanc igitur vim, ad nos per modum pretij redimendos, cùm negent Ariani, ſanguini Chriſti, negant ex conſequenti Chriſtum nos verè redemiſſe ſanguine ſuo.

Veram vim pretij negat Smalcius ſanguini Chriſti.

Reſpondet Smalcius, ſe ſuumq; Socinum non negare vim ſanguini Chriſti: quia, inquit, non niſi interueniente ſanguine Chriſti, dicimus remiſſionem peccatorum nobis donatam eſſe. At fraudulēter & doloſè ait Smalcius, cùm quod verbo affirmat, reipſa negat. Scriptura enim expreſſè dicit, ſanguinem Chriſti vim pretij habere in redemptione peccatorum noſtrorum: quia ſanguine Chriſti tanquam pretio magno ſolutum eſt pro nobis. Hanc verò vim per modum pretij habere ſanguinem Chriſti expreſſè Smalcius cum ſuis negat. Negat igitur veram ſanguini Chriſti vim ad noſtram redēptionem. Etſi enim negare non poſſit interueniente ſanguine Chriſti fieri noſtram redemptionem: id enim ſcriptura expreſſè dicit Hebr: 9. 15. tamen negat interuenire ſanguinem Chriſti per modum pretij ſoluti pro peccatis noſtris. quod ſcriptura affirmat. Emere enim pretio magno, eſt verum pretium ſoluere, aut id quod veri pretij vim habet, impendere. Porrò quod habet vim pretij in aliqua emptione, habet vim effectiuam redemptionis. vi enim pretij efficitur redēptio: quam vim effectiuam noſtræ redemptionis expreſſè Smalcius negat. Vnde conuincitur negare eam vim ſanguini Chriſti ad nos redimendos, quam ſcriptura affirmat.

Pretium vim habet effectiuam.

Sanguis Chriſti non fuit otioſè à Deo requiſitus.

At inquit, Decretum Dei fuiſſe, vt ſine ſanguine & morte Chriſti peccata non remitterentur. Fateor: at hoc ſuo decreto, requiſiuit Deus, ſanguinem Chriſti non otioſum, ſed vim pretij & redemptionis habentem. debet ergo vim & efficacitatem pretij habere. Neque enim de quacunque efficacitate hîc quæſtio eſt, ſed de pretij efficacitate: Hæc verò efficacitas, eſt efficacitas ſatisfactionis. Nam & ſolutio pretij, eſt ſatisfactio: & pretium, ſicut vim habet ſoluendi, ita & ſatisfaciendi pro captiuo. Quare futilis eſt illa Smalcij reſponſio, cùm ait ſe non negare ſanguini Chriſti efficaciam: quia inquit,

quit, ex Decreto Dei, non ſine ſanguine Chriſti debuit eſſe redemptio: quibus verbis vult, non ex virtute aliqua ſanguinis Chriſti eſſe redemptionem noſtram, ſed ex extrinſeco Dei decreto, ac ex conſequenti ſanguinem Chriſti nullam ex ſe efficacitatem habere, neq; quidquam ex ſe valere ad nos redimendos. At certè ſcriptura, cùm ait ſanguinem Chriſti eſſe pretioſum, & pretij vim habere in nobis redimendis, oſtendit, non extrinſecè ob Dei decretum, ſed ob pretium, valorem, & dignitatem intrinſecam, habere vim ad nos redimendos. Pretium enim ineſt rei non ex decreto alicuius, ſed ex valore intrinſeco: ideoq; decreuit Deus nos per ſanguinem Chriſti liberare, quia ſanguis Chriſti erat pretioſus, & eum valorem habuit in ſe, quem redemptio poſtulabat.

Vrgetur magis Smalcius.

Porrò vt intelligat Smalcius, quàm ineptè loquatur, dum redemptionem ſanguini Chriſti tribuit; quia ſine illo, non ex illo, ſed ex decreto Dei facta eſt redemptio: ſecum reputet, decreto etiam Diuino requiri ad noſtram redemptionem & liberationem à peccatis, conuerſionē hominis ad Deum & pænitentiam: ita vt nulli velit Deus peccata remittere, niſi interueniente pænitentia & mentis ad Deum conuerſione. Numquid igitur dicet, idcirco pænitentiam habere vim nos redimēdi à peccatis eandem, quam ſanguis Chriſti, & nos eſſe noſtros redemptores: quia non ſine pænitentia redimimur? Minimè credo. Etſi enim pænitentia à nobis requiritur, non tamen vt pretium redemptionis, neque tanquam iuſta & adæquata ſolutio ſeu ſatisfactio pro peccatis. Sanguis verò Chriſti requiritur, tanquam pretium magnum, & iuſta ſolutio pro peccatis: & idcirco ſanguini Chriſti, tanquam pretio, tribuitur redemptio, non verò pænitentiæ noſtræ. Non igitur ſatis eſt dicere, ſine ſanguine non fuiſſe redemptionem, ſed affirmandum omnino eſt, ſanguinē Chriſti fuiſſe verum pretium redemptionis, & eam vim habuiſſe ad redimendum, quam habet pretium. Nam ſi ſanguis Chriſti vim pretij non habuit in nobis redimendis: non interceſſit vt pretium: ſi verò interceſſit vt pretium, non ſolùm ſine illo redemptio non eſt facta: ſed propter illum eſt facta, tanquam propter pretium redemptionis.

Qualē vim Smalcius tribuit ſanguini Chriſti.

Verùm Smalcius cùm vim & efficacitatem pretij, ſanguini Chriſti negat, aliam attribuit, nēpe vim cōfirmandi promiſſiones Diuinas de remiſſione peccatorū. ſanguine enim Chriſti cōſeruantur perfe-

ctiſſimè

ctiſſimè promiſſiones Diuinę nouo Teſtamẽto factę. At inprimis Smalcius nõ aduertit aliam vim eſſe ſanguinis Christi ad redimendũ, quàm ad cõfirmandas promiſſiones Diuinas. quia nimirũ ſanguine fœdera & pacta ſanciebãtur: & ſicut vetus fœdus ſanguine animalis fuſo ſancitũ eſt: ita nouũ ſanguine Chriſti fuſo. Hæc porrò vis, eſt vis teſtimonij: teſtificari verò, Diuinas promiſſiones eſſe veras & certas, non eſt nos redimere. Vis enim redimendi, quæ ſanguini Chriſti tribuitur, eſt vis per modum pretij: pretium autem non datur in teſtimonium redemptionis, ſed ad faciẽdam ipſam redemptionem, & ad ſoluendum id, quod pro captiuo ſecundùm iuſtitiam dari conuenit. Quocirca non idcirco ſanguini Chriſti redẽptio in ſcriptura tribuitur, quòd per eum nouum fœdus confirmatum ſit: ſed quòd fuerit pretium redemptionis noſtræ. quare non ſolùm vim teſtimonij habere debet reſpectu fœderis, ſed etiam vim pretij reſpectu redemptionis.

Vis confirmandi promiſsiones, non eſt vis pretij.

Deinde, ſi ideo ſanguine Chriſti redempti ſimus, quia ſanguine Chriſti confirmatæ ſunt promiſſiones Diuinæ, ſequeretur etiam miraculis à Chriſto editis in cõfirmationem Diuinarum veritatum, inter quas vna eſt de remiſſione peccatorum, nos eſſe redemptos. Miracula enim ſunt Diuina teſtimonia, Diuina virtute facta. Et idcirco maiorem vim haberẽt ad confirmandas Diuinas promiſſiones, quàm ſanguis puri hominis, qualem Ariani credunt Chriſtum fuiſſe; aut certè non minorem vim haberent, quàm ſanguis humanus. Cùm igitur abſurdum ſit dicere, nos eſſe redemptos miraculis Chriſti, abſurdum quoque erit dicere nos eſſe redemptos ſanguine Chriſti tanquam confirmante promiſſiones Diuinas. Neq; enim omne id, quod confirmat promiſſiones Diuinas, eſt cauſa redemptionis noſtrę, adeò vt ſit alia cauſa aſſignanda propter quam ſanguine Chriſti redempti ſimus: quia nimirum eſt pretium redemptionis noſtræ.

Abſurdum infertur.

Smalcius hoc argumento conuictus, concedit, non ſolùm eam eſſe cauſam, cur ſanguine Chriſti redempti ſimus, ſed alias quoque. Quare concedit eo ipſo, hanc cauſam per ſe acceptam, non eſſe ſufficientem, vt eius reſpectu dicamur redempti ſanguine Chriſti, cùm tamen eam ſolùm initio attuliſſet. Nam ſi per ſe accepta ſufficeret, etiam miracula cõfirmantia promiſſiones Diuinas, dici poſſent cauſa redemptionis noſtræ, vt per ea redempti eſſe dicamur. Nam etſi

dicat

dicat Smalcius magis Chriſti ſanguine quàm miraculis Diuinas promiſſiones confirmari: tamen ex eo ſolùm inferri poſſet, magis nos ſanguine Chriſti, quàm miraculis redemptos; non verò nullo modo miraculis eſſe redemptos. Sunt enim miracula maxima quoq; teſtimonia Diuinarum promiſſionum. Nam etſi ſanguis Chriſti, quatenus eſt indicium maximæ charitatis, habet vim maximam confirmandi promiſſiones Diuinas, vt vult Smalcius; miracula tamen, vt ſunt Diuina, & à Deo edita teſtimonia, maximam quoque vim habent in ſuo genere ad confirmandas Diuinas promiſſiones, ita vt vtrumque in ſuo genere maximum teſtimonium cenſeri debeat.

Sanguinẽ Chriſti eſſe cauſam potentiæ Chriſti, non eſt idem quod eſſe cauſam redemptionis.

Sed videamus iſtas alias cauſas, propter quas Smalcius vult dici nos ſanguine Chriſti redemptos. Ait igitur ſanguinem Chriſti fuiſſe cauſam potentiæ Diuinæ in Chriſto, qua Chriſtus nos redimere, hoc eſt à morte æterna liberare, & vitam æternam, id eſt immortalitatem donare poteſt. At nugatur Smalcius. Etenim ſcriptura docet ſanguinẽ Chriſti eſſe cauſam redemptionis noſtræ, per modum pretij, quia eſt pretium pro nobis impenſum, vt dictum eſt: non autem quòd ſit cauſa potentiæ, qua nos poſſit redimere. Deinde redemptio 1.
à peccatis facta eſt in cruce, in qua confixi & mortui peccatis ſumus 2.
cum Chriſto: poteſtas verò illa ſecundùm Smalcium, nec eſt poteſtas à peccatis nos liberandi, ſed tantùm à morte, niſi poſt aſcenſionem Chriſto obtigit. Ad hæc neque poteſtatis illius veram cauſam 3.
volunt Ariani eſſe ſanguinem Chriſti: alioqui eſſet cauſa meritoria: quod illi penitus reiiciunt. Sed volunt ſolùm ex decreto Dei, interuenire ad hoc, vt poteſtas illa Chriſto conferatur. Ex quo ſequitur ſanguinem ex ſe non habere rationem cauſæ, ſed tantùm eſſe conditionem, ſine qua non; ipſum verò decretum eſſe totam cauſam talis poteſtatis. Alioqui ſi ex ſe eſſet cauſa, neceſſariò per modum meriti eſſet cauſa: quia mereretur in præmium illam poteſtatem, quòd iſti negant. Præterea, ea poteſtas nõ minus interueniente ſanguine Chri- 4.
ſti, quàm reſurrectione & aſcenſione ſecundùm Smalcium obtenta eſt: ergo ſi hoc ad redemptionem ſufficit, non magis ſanguine, quàm reſurrectione & aſcenſione Chriſti diceremur redempti: cùm tamen redemptionem à peccatis, ſcriptura ſoli paſſioni & morti Chriſti tribuat: reſurrectioni verò iuſtificationem: aſcenſioni glorificationem. *Traditus enim eſt propter peccata noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Rom: 4.25.

Denique cùm ſcriptura dicit, nos ſanguine Chriſti redemptos, nuſquam facit mentionem talis poteſtatis, ſed ſolùm pretij in ſanguine conſtituti: pro figmento igitur mero, habenda eſt talis cauſa redemptionis, & ad ſcholas Racouienſes amandanda.

Ineptus modus redemptionis aſſignatur à Smalcio. Ex his perſpicuum eſt, quàm friuolas cauſas, & à ſcripturis alienas afferat, propter quas ſanguine Chriſti redempti dicamur; ea relicta, quæ ſola in ſcriptura toties inculcatur, quòd ſanguis Chriſti pretioſus fuerit, & per modum pretij datus ad nos redimendos.

Sanguinem Chriſti habere rationem veri pretij. Oſtendit deinde Smalcius, ſanguinem Chriſti non habuiſſe rationem veri pretij. Nam in redemptione propriè dicta, inquit, inter alia requiritur, vt pretium alicui detur: in noſtra autem redemptione pretium nulli eſt datum. Non enim Diabolo. quia hoc blaſphemũ eſt. non Deo, quia Deus redemptionem hanc procurauit: & ſanguis Chriſti, ipſius Dei fuit, antequam daretur in pretium redemptionis.

Negat Smalcius. Ex quo infert, nõ poſſe dici ſanguinem Chriſti, propriè pretium: ſed ſimilitudinem tantùm. Sicut enim is, pro quo verum pretium alicui ſoluitur, verè liberatur: ſic nos, quia liberati ſumus ſanguine Chriſti interueniente, redempti ſanguine Chriſti dicimur, & ſanguis eius pretium redemptionis eſſe dicitur.

Probant Catholici. At nihil facit Smalcius. Nam ſanguinem Chriſti verum pretiũ redẽptionis noſtræ fuiſſe, nimis clarè ſacræ literæ teſtificantur: cùm pretioſo ſanguine & pretio magno nos redemptos eſſe affirmant: vbi autem pretium eſt, ibi & valor. Magni igitur valoris & magni pretij ad nos redimendos fuit ſanguis Chriſti. Neque verò quocunq; modo ſanguine Chriſti interueniente redempti eſſe dicimur, ſed interueniente, vt pretio: quia enim pretioſus & magni valoris erat iſte ſanguis: ideo interuenit vt pretium ad nos redimendos, idque voce pretij ſignificatur. Nam quod ait, nuſquam legi in ſcripturis, hoc pretium eſſe datum. id falſum eſt. Si enim legitur, nos eſſe emptos pretio magno, legitur quoque pretium pro nobis datum eſſe. quid enim eſt emptio, quàm pretij datio? Dicitur quidem in ſcriptura ſæpius, Deus nos redimere metaphoricè, etiamſi nullum pretium pro nobis ſoluat: tunc enim redimere nihil aliud ſignificat, quàm liberare: at cùm dicitur redimere pretio vel ſanguine, non poteſt negari de vera emptione, quæ pretio fit, ſermonem eſſe: vti hîc accidit, cùm de redemptione per Chriſti ſanguinem facta agitur.

Cùm

Cùm addit Smalcius, non apparere, cui hoc pretium ſit datũ; dico cæcis non apparere: ſed oculos habentibus nimis perſpicuum eſſe. etenim pro liberatione captiui, ei datur pretium, qui captiui Dominus eſt. Porrò Deus eſt is Dominus, qui peccatis noſtris offenſus, Dæmoni nos captiuos tradiderat pœnis æternis cruciandos. Pretium ergo pro noſtra redemptione Deo debetur. non igitur deeſt, is cui pretium poſſit dari, ſicut ineptè Smalcius ſupponit. Nam cùm ait, ſi Deus dedit Chriſtum, qui eſt pretium redemptionis, quomodo ipſum accipere potuit, & non potius retinere apud ſe, & nunquam dare: non aduertit Smalcius, Chriſtum non eſſe pretium redemptionis, vt à Deo datus eſt, ſed vt ſeipſum & ſanguinem ſuum per mortem Deo obtulit: ita vt etiamſi Chriſtus miſſus eſſet in mundum, ſi tamen mortuus non fuiſſet pro nobis, non fuiſſet redemptus mundus. Quia igitur non Deus Pater mortuus eſt pro nobis, ſed Chriſtus: idcirco pretium, quo per mortem Chriſti redempti ſumus, non Deus Pater perſoluit, ſed Chriſtus. Neque ſanguis Chriſti fuit redemptionis pretium, niſi quatenus fuſus pro nobis in paſſione, ipſaq; effuſio erat pretij pro nobis oblatio. *Dilexit enim nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Epheſ. 5. 2.

Deo pretium pro vobis datum.

Pretiũ hoc non à Deo Patre, ſed à Chriſto perſolutum.

Ex quo patet Deum Patrem dediſſe nobis Chriſtum, qui tunc demum factus eſt nobis pretium redemptionis, cùm ſanguinem ſuũ fudit, & ſe per mortem pro nobis obtulit Deo: ita vt ſolus Chriſtus per ſe dederit hoc pretium: Deus verò Pater ſolùm procurauit, vt hoc pretium à Chriſto daretur, & vt Chriſtus pro nobis moreretur, deque ſuo theſauro, ſuisque bonis pro nobis ſolueret.

At, inquit, ſtultum eſſe, ſi quis alicui debitum remittere velit, dare ipſi pecuniam, qua debitum ſoluat. Verùm id omnino, quod ait Smalcius, ſtultum eſt: at quod Deus fecit, ipſa ſapientia eſt. Nõ enim ipſe dedit pecuniam ad ſoluendum, ſed dedit eum, qui ex ſua nimia charitate pro nobis pretium ſanguinis ſui ſoluit, vitaque ſua nos chariores habuit: quo factum eſt, vt tanto pretio redempti, ſummam Chriſti charitatem, quam in pretio ſoluendo exhibuit, agnoſcamus; & ſummum Dei beneficium, qui nobis redemptorem adeò liberalem ſuiq; prodigum procurauit. Factum eſt etiam, vt & ſumma eſſet iuſtitia, ſolutis à Chriſto, magno pretio, peccatis noſtris: & ſumma charitas gratiaque Dei & Chriſti, vti dictum eſt.

Solutio cũ remiſſione debiti concordatur,

At, inquit, ſi remiſſio eſſe debet, ſolutio nulla exigenda eſt. Rectè quidem: ſolutio enim non exigitur à nobis, quibus remittuntur peccata: itaq; gratis, quod ad nos attinet, nobis remittuntur peccata. Quod verò à Chriſto exacta ſit ſolutio, quid mirum? talis enim remiſſio nobis oblata eſt à Deo, quæ fieret per redemptionem & ſanguinem Chriſti: non verò quæ abſque vlla redemptione & pretio ſanguinis fieret. Nec verò remiſſio, quæ fit per redemptionẽ ſanguinis Chriſti, præiudicat Diuinæ gratiæ, quo minus gratis ex parte noſtra, remittantur nobis peccata. ſiquidem & ipſa pretij applicatio tota eſt in gratia Dei poſita. Chriſtus enim omnia ſua, quæ pro ſalute hominum fecit, poſuit in manu & poteſtate Patris, vt ea cui vellet, & ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, applicaret, vt non ſemel ſacræ literæ teſtantur: nam & Chriſtus dixit, non eſſe ſuum dare ſeſſionem ad dexteram ſuam in regno cœlorum, ſed quibus paratum eſt à Patre cœleſti, Math: 20. & paſſim electos ſuos dari ſibi à Deo agnoſcit Chriſtus, Ioan: 17. *Tui erant, & tu eos mihi dediſti.* Hebr: 2. *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.* Eph: 1. *prædeſtinauit nos per Chriſtum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* quæ omnia manifeſtè docent, in voluntate Dei eſſe poſitum, ea quæ Chriſtus ſanguine ſuo meruit hominibus applicare propter Chriſtum. Quare ſi quis pro captiuis pretium ſolueret, illudque in manibus Domini conſtitueret, vt quibus ille vellet, pretium illud liberè applicaret, certè captiui illi ex parte ſua gratis omnino liberarentur: quia illud ipſum pretium gratis & ex liberalitate Domini, cuius captiui ſunt, applicaretur; ita verò Chriſtus fecit in laudem gratiæ Diuinæ, vt Dei gratiæ omnia tribuerentur.

& eum gratia.

Deus ſibi ipſi non ſoluit.

Inſtat Smalcius, quòd quis per alium facit, id ipſe facere videtur. Itaq; ſi Deus per Chriſtum dedit pretium redemptionis ſibiipſi, ſequitur ipſum ſibi ipſi ſoluiſſe. At non intelligit Smalcius propoſitionem illam; quæ per alios facimus, per nos facere videmur, tunc ſolùm eſſe veram, cùm ij per quos facimus, non ſuo ſed noſtro nomine faciunt. vt ſi per famulum Dominus mittat alicui pecuniam, ipſe Dominus donaſſe illam pecuniam dicitur: ſiquidem famulus, non ſuo ſed ſui Domini nomine eam donat. At ſi quis inducat aliquem, vt alteri donet pecuniam vel bona aliqua: is non dicetur per ſe donaſſe, ſed alterum ad donandum induxiſſe, qui non inducentis

ſed

ſed ſuo proprio nomine donauit. Ita verò hîc factum eſſe literæ ſacræ docent. Chriſtus enim ex voluntate Patris, ad moriendum pro hominibus inductus eſt: quod ipſe pro ſua in Patrem charitate fecit libentiſſimè, & ſuum proprium ſanguinem in pretium peccatorum noſtrorum Deo obtulit.

Quomodo dari aliquid Deo poteſt.

Nam quod ait Smalcius, Chriſtum quantus quantus fuit, Dei fuiſſe, ideoque nihil Deo dare potuiſſe, quod Dei non fuiſſet. ad id reſpondere, non eſt difficile. Etenim hæc ratio, ſi quid probaret, cõcluderet nihil Deo à nobis dari poſſe: quod tamen ita falſum eſt, vt tota ſcriptura contradicat. Nam ab orbe condito innumera dona & ſacrificia Deo oblata fuiſſe ſcriptura commemorat. Et verò res ita habet: omnia quidem Dei ſunt, iure creationis: quia ipſe creauit vniuerſa: ipſius tamen Dei voluntate fit, vt ea ita donentur nobis, vt liberum nobis ſit ea, tanquam noſtra offerre Deo & donare. Quare & ſanguinem ſuum Chriſtus Deo offerre potuit: ſiquidem in eius libera voluntate ſitum erat, tanquam ſuum pro nobis fundere.

Modus quo ſanguis dicitur datus Deo.

Neque verò exiſtimet Smalcius, impoſſibile eſſe, ſanguinem Chriſti dari Deo. non enim vnus dandi modus eſt & ratio: quædam enim materialiter dantur, quæ manu accipiũtur & conduntur in arca, vt pecunia: quædam dari dicuntur: quia conſtituuntur in alterius poteſtate & iure, vt domus & alia bona immobilia: quædam verò, quia in illius gratiam impenduntur & conſumuntur, vt cùm quis vitam ſuam periculo exponit, vt voluntati alterius ſatisfaciat. Hoc verò modo, Chriſtus, Deo ſanguinem ſuum pro nobis dedit: quia vt nos redimeret, Deo ita volente ſanguinem ſuum fudit. Sicut enim ſi princeps, qui captiuum detinet, eum nonniſi ea conditione dare vellet, vt is, qui eum habere vult, ſtrenuè contra hoſtes dimicet, & vitam ſuam periculo exponat, nemini dubium eſt, iſtam vitam ſuam offerre pro captiuo, & vitæ ſuæ pretio redimere captiuum: ita & de Chriſto cogitare par eſt.

Aliter Deo Patri, aliter Chriſto redemptio tribuitur.

Inſulſa etiam eſt illa Smalcij obiectio, quòd in ſcriptura legatur Deum ipſum nos redemiſſe: vti enim id legitur: ita non legitur, per ſeipſum, nec ſuo ſanguine, ſed per Chriſtum & Chriſti ſanguine nos redemiſſe: quia nimirum fuit author, vt Chriſtus ſanguinem proprium ad nos redimendos exponeret: inepteque ad hoc propoſitum adducitur locus, Act: 20. 21. vbi dicitur, *Deum acquiſiuiſſe nos ſanguine*

guine ſuo: quod iſti egregij interpretes de Deo Patre interpretantur, quaſi is ſanguine ſuo nos acquiſiuerit, eò quòd ſanguis Chriſti dici poſſit ſanguis Dei Patris, ſiquidem Chriſtus, quantus quantus erat, Dei erat. Ineptiſſima ſanè expoſitio. Etenim inauditū eſt, nos eſſe redemptos ſanguine Dei Patris. inauditum eſt, ſanguinem dici proprium alicuius ἴδιον, qui non ſit vel naturalis eius ſanguis, vel à naturali deſcendens. Sic ſanguis filij naturalis dici poteſt ſanguis paternus, quia è paterno ſanguine deſcendit. Neq; enim ſanguis dicitur alicuius proprius ratione dominij, ſed ratione naturæ: alioqui omnium hominum & ſceleratiſſimorum ſanguis, diceretur ſanguis Dei, imo & boum, equorum, & quorumcunq; animalium, & cùm quis bouis ſanguinem fundit, Dei ſanguinem fundere diceretur ineptiſſimo & nuſquam vſitato dicendi modo. At nihil tam abſurdè dici poteſt, quod Ariani non glorioſum ſibi dicere exiſtiment.

Abſurda Smalcii expoſitio de ſanguine Dei Patris.

Iam cùm ait Smalcius, Deum de nobis redimendis cogitaſſe, antequam à nobis offenſus eſſet: ſiquidem ante conſtitutionē mundi nos elegit in Chriſto, & gratiam nobis in eo dedit ante tempora ſecularia, Epheſ: 14. 2. Tim: 1. 9. ex eoque infert tunc, cùm nulla fuerit offenſio, pretium redemptionis locum habere non potuiſſe. Sanè aut non intelligit quod loquitur, aut ad propoſitum nō loquitur. Nam ſi exiſtimet Deum ab æterno peccata noſtra & modum redemptionis noſtræ ignoraſſe, non intelligit quid ſit æterna illa electio: ſi verò id non ignorat, nihil concludit: nam id Deus elegit ab æterno, quod facturus erat in tempore. Porrò in tempore facturus erat redemptionem per ſanguinem Chriſti, qui eſſet pretium redemptionis noſtræ: hoc igitur elegit ab æterno, vt ſanguis Chriſti pretium redemptionis noſtræ fieret, & peccatis nondum factis, præuiſis tamen, iam tum remedium in mente Dei parabatur.

Stringitur Smalcius.

Ex ſententia Arianorum ſequitur, ſanguinem Chriſti non aliam vim ad peccata tollenda habuiſſe, quàm habuerit ſanguis animalium in lege veteri. Caput III.

VIdent Ariani, ſi ſanguis Chriſti verum pretium redemptionis noſtræ dicatur, ſequi, ſanguine Chriſti ſolutionem & ſatisfactionem pro peccatis noſtris factam eſſe; quod illi pertinaciter negant.

gant. Nos contra, niſi id concedant Ariani, vrgemus duo grauiſſima abſurda ſecutura. Primum illud eſt, ſi ſanguis Chriſti nullam ex ſe vim habet ad tollenda effectiuè peccata, ſed ſolùm interueniendi abſque vlla efficientia, ſequeretur eodem modo expiari peccata ſanguine Chriſti, quo in veteri lege, ſanguine pecudum expiabantur in ſacrificiis. vtrobiq; enim ſanguis intercedebat tantùm, nihilque ex ſe ac virtute propria operabatur ſecundùm iſtos, ſed tantùm ex decreto Dei fiebat expiatio peccatorum. Quo quid abſurdius, aut magis blaſphemum dici poteſt? hoc enim eſſet æquare ſanguinem Chriſti ſanguini brutorum in expiatione peccatorum; pariaq; facere ſacrificia legis veteris ſacrificio legis nouæ. Quorſum verò Chriſtum mori oportuiſſet, ſi idem ſacrificia legis veteris præſtabant, nempe expiationem peccatorum? *Abſurdum horrendum æquare ſanguinē Chriſti ſanguini pecudum.*

Ad hoc reſpondet Smalcius, etſi in vna re aliqua conueniunt, non idcirco æquari inter ſe, cùm in aliis multis ſanguis Chriſti ſuperet ſanguinem animalium. Sed Smalcius non penetrat vim argumenti. Nos enim hîc non quærimus, an ex decreto Dei, ſanguine Chriſti interueniente, plus à Deo factum ſit, quàm factum fuerit in lege veteri, ſanguine animalium interueniēte. Decretum enim Dei eſt quid extrinſecum ſanguini Chriſti, ſed an ipſe ſanguis Chriſti ex ſe habuerit vim & virtutem propriam & intrinſecam maiorē, propter quam non ſolùm interuenerit ad remiſſionem peccatorum, ſed etiam eam effecerit. Cùm igitur Smalcius concedat, ſanguinē Chriſti nullam aliam vim ex ſe, niſi interueniendi habuiſſe: ex decreto verò Dei omnia fuiſſe facta; concedere cogitur eandem prorſus vim ſanguinem Chriſti ad expianda peccata habuiſſe, quam habuit ſanguis brutorum. Vtrobique enim ſanguis interuenit tantùm ſecundùm ipſum: vtrobique ex decreto & voluntate Dei fiebat expiatio peccatorum, nullam ad id vim ſanguine cōferente. Quare etſi poſſent aliæ præſtantiæ ſanguinis Chriſti adferri; tamen in ordine ad expiationem peccatorum non eſſet alia maior vis ſanguinis Chriſti, niſi interueniendi; quam etiam vim ſanguis animalium habebat. Ita enim interuenit, vt ſine illo non fieret expiatio peccatorum, Deo ſic volente & decernente. Æquaretur igitur in hoc, ſeu reſpectu huius effectus, ſangis Chriſti ſanguini brutorū. Nam etſi verbis dicat Smalcius, ſanguinem Chriſti fuiſſe cauſam expiationis peccatorum: re tamen *Parem vim interueniendi habere ſanguis Chriſti oſtenditur.*

tamen vera non alio ſenſu vult eſſe cauſam, niſi interueniendo: ita vt ſine illo non fuerit remiſſio peccatorum, licet non ex illo, ſed ex decreto Dei: quod idem etiam habuit ſanguis brutorum.

Verbis ludit Smalcius.

Iam verò in particulari oſtendere nititur, multis rationibus, ſanguinem Chriſti maiorem vim habuiſſe, quàm ſanguinem animalium. prima eſt, quòd ſanguis animalium, ex ſe nullam prorſus vim habebat ad expianda peccata. Sanguinem autem Chriſti magnam vim ad id habuiſſe ex eo docet: quia fuit confirmatio noui fœderis & magnum Diuinæ charitatis indicium. Verùm in hac ratione quis non videt verbis ludere Smalcium. etenim cùm ait, ſanguinẽ Chriſti habuiſſe vim confirmandi nouum fœdus, an non aliud eſt confirmare nouum fœdus, aliud expiare peccata in nouo fœdere. Quod ſi nullam aliam vim habuit ad expianda peccata, niſi confirmando nouum fœdus, veriſſimum eſſet quod inferebamus, non maiorem vim habuiſſe ſanguinem Chriſti, quàm ſanguinem brutorum. Nam etiam antiquum fœdus ſanguine animalium dedicatũ & confirmatum eſſe, nemo eſt qui neſciat, Hebr: 9. 18. In cæteris etiam ſacrificiis ſanguis, qui fundebatur, excitabat & confirmabat fidem promiſſionum Diuinarum de expiatione peccatorum.

Vis confirmandi nouum fœdus, non eſt vis expiandi peccata.

Vis maior certificandi de expiatione non eſt vis ipſa expiandi peccata.

Quod verò ſanguis Chriſti fuerit maioris Diuinæ charitatis indicium, id non facit maiorem vim ex ſe habuiſſe ad expianda peccata, ſed tantùm indicium fuiſſe eius expiationis, quæ à Deo fiebat. Nam generare maiorem certitudinem de expiatione peccatorum à Deo facienda, non eſt habere maiorem vim efficiendi expiationem, ſed illam in alio indicandi: atque idcirco ſanguis Chriſti ex ſe nullam habuiſſet vim expiandi, ſed ſolùm certificandi de expiatione peccatorum. Propter quam cauſam, ſi ſanguis Chriſti dicendus eſſet expiare peccata, etiam miracula Chriſti dicenda eſſent expiare peccata, certificando nos de voluntate & promiſſione Diuina, vti paulò ante argumentabamur.

Abſurdum infertur.

Vis certificandi de expiatione, erat etiã in ſacrificiis veteribus: non tamen vis expiãdi.

Adhæc dubium non eſt, ſanguinem in ſacrificiis veteribus fuſum, certificandi vim habuiſſe de expiatione peccatorum; cùm ad hunc finem eſſent à Deo inſtituta, vt peccata expiarent. Quocirca ſi certificare de expiatione peccatorum, ſit expiare peccata, ſequitur ſacrificia quoque veteris legis fuiſſe ſufficientia ad peccata expianda. quod ita Paulo in epiſt: ad Hebræos repugnat, vt nil magis. is e-

nim

nim docet nō ſemel ſacrificia veteris legis ex ſe nullam prorſus vim ad expianda peccata habuiſſe: & ideo tanquam imperfecta & inſufficientia reiecta fuiſſe, & in eorum locum perfectum ſacrificium nouæ legis ſucceſſiſſe, cap: 9 & 10. Etſi enim ſacrificia illa ritè facta, eſſent gratiſſima Deo, & odor ſuauiſſimus Domino, vt ſcriptura paſſim teſtatur: ſiquidem erant ſingulares cultus Dei, & ex fide deuotioneque offerebantur: non efficiebant tamen expiationem peccatorum ex vi rei oblatæ: *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata,* Hebr: 10. 4. ſed ex Dei voluntate & decreto: qui fidem & deuotionem reſpiciens offerentium, ritè ſe colentibus decreuerat dare peccatorum remiſſionem. Sanguis verò Chriſti, eſt ita pretioſus, tantique valoris, vt ex ſe vim habeat maximam ad auferenda peccata: cùm ſit ſanguis Filij Dei. Non igitur certificando nos de promiſſionibus Diuinis, aut de charitate Diuina, ſed ob proprium valorem ac pretium, habet vim ad tollenda peccata. alioqui eandem vim haberet, quam vetera ſacrificia, vti deductum eſt. Siquidem vim certificandi nos de promiſſione Diuina, etiam illa ſacrificia habuerunt. *Concluditur.*

Alterum diſcrimen adfert Smalcius, quòd ſanguis brutorum tantùm infirmitates quaſdam & carnis pollutiones expiaret: ſanguis verò Chriſti & conſcientias à peccatis expiat. Verùm hic quoq; fucum facit Smalcius, & verbis tantùm affirmat, quod re ipſa negat. Etenim ſi quæras à Smalcio, quomodo ſanguis Chriſti expiet conſcientias à peccatis, (de hac enim ſolùm expiatione hîc loquimur) non concedet ſanguini Chriſti vllam vim ſiue effectricem, ſiue meritoriam expiationis, ſed tantùm ait, ſanguinem Chriſti interuenire & confirmare promiſſiones Diuinas de expiatione peccatorum. Hoccine verò eſt ſanguinem Chriſti habere vim expiandi peccata, & non potius omni vi & virtute propria carere, nulliuſque valoris ex ſe ad expianda peccata eſſe? Deinde annè idipſum ſanguis taurorum in ſacrificiis veteris legis non habebat, quod iſti ſanguini Chriſti tribuunt? Nam ſi ſanguis Chriſti idcirco dicatur expiare peccata, quòd confirmet promiſſiones Diuinas, quomodo negari poterit ſanguine quoque animalium expiata eſſe peccata, cùm ſanguis animalium haberet quoque vim confirmandi promiſſiones Diuinas? Ex quo patet, cùm Paulus ad Heb: 9. & 10. aſſerit, ſanguine animalium non *Modus Smalcianus quo ſanguis Chriſti expiat peccata.* *Idem conuenit ſanguini pecudum.*

 potuiſſe

potuiſſe auferri peccata, ſed tantùm carnis quaſdam ſeu legales immunditias, nempe vt politicè inter homines pro mundis haberentur, qui illo ſacrificio eſſent, & ſi id verum eſt de ſanguine animaliũ ſecundùm ſe conſiderato: qui cùm ſanguis merè carnalis eſſet, non poterat iuſtitiam ſpiritualem, ſed tantùm carnalem ex ſe conferre. Non negat tamen Paulus, quod veriſſimum eſt, ob fidem & pietatem offerentium, Deum ex miſericordia ſua peccata illorum expiare ſolitum eſſe. Deum enim ſe toto corde quærentibus tam in ſacrificio, quàm extra ſacrificium, nunquam defuiſſe, Smalcius quoq; non diffitetur, idemque ex primis Leuitici capitibus perſpicuum eſt.

Cùm rurſum Paulus ait, ſanguinem Chriſti maiorem vim habuiſſe ad emundandas conſcientias, quàm ſanguinem animalium ad emundationem carnalem; oſtendit ſanguinem Chriſti ex ſe vim propriam & valorem maximum habuiſſe ad mundandas conſcientias à peccatis: quia nimirum fuit ſanguis Chriſti, ſanguis Filij Dei. Hebr: 9. 14. Comparat enim ſanguinem cùm ſanguine, in valore, quem ex ſe habet, & ait, ſanguinem animalium ex ſe habuiſſe vim ad emundationẽ carnis. Sanguinem verò Chriſti, quia Filij Dei ſanguis eſt, habere ex ſe vim ad emundationem conſcientiæ. Quod in ſententia Smalcij verum non eſt: is enim vult, Deum, non ob valorem ſanguinis Chriſti, ſed ex decreto & voluntate ſua expiare peccata, interueniente ſanguine Chriſti.

Peccatorũ futurorum expiatio nõ minus ſpectat ad ſanguinem pecudum.

Tertium diſcrimẽ adfert, quòd ſanguis brutorum tantùm præterita peccata expiaret (cùm ante dixiſſet nulla peccata expiaſſe) ſanguis verò Chriſti futura etiam peccata expiauit. Verùm ſi ſanguis Chriſti idcirco à Smalcio dicitur, futura peccata expiaſſe, quia fuit confirmatio noui fœderis de futura peccatorum remiſſione, cur non ſimiliter concedit, ſanguinem quoq; vitulorum & hircorum, quo erat confirmatum & dedicatum antiquum fœdus. Heb: 9. 18. peccata futura illo modo expiaſſe? quare hoc diſcrimen vti in ſententia Smalcij nullum eſt: ita in Catholica ſententia veriſſimum eſt. Verè enim ſanguis Chriſti ſemel fuſus, tanti valoris fuit, vt pro peccatis totius mundi, tam præteritis, quàm futuris, eſſet redemptionis pre-

Sanguiſ Chriſti quo ſenſu eſt pro peccatis futuris.

tium: ita vt virtute ſanguinis Chriſti ab æterno præuiſi, decreuerit Deus omnibus hominibus dare remiſſionem peccatorum: *Elegit enim nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem,* Eph: 1. 4. *Et gratiam dedit nobis in*

Chriſto

Chriſto ante tempora ſecularia. Id verò nulla ſacrificia legis veteris facere potuerunt.

Quartum diſcrimen profert Smalcius, quòd Chriſtus ſanguine ſuo interueniente, factus eſt ſummus Pontifex noſter, & poteſtatem obtinuit, qua peccata nobis remittere poſſit. Quam vim ſanguis animalium non habebat, neque vnquam fuit cauſa tantæ poteſtatis. Verùm hoc diſcrimen inprimis eſt falſum. Deinde nihil ad propoſitum facit. Falſum eſt, Chriſtum ante mortem ſummum Pontificem non fuiſſe: ſed poſt mortem eam dignitatem conſecutum eſſe. Etenim ſacrificium cruentum perfecit in cruce viuus, vti totus orbis Chriſtianus hucuſque ex ſcripturis credidit, Hebr: 7. 27. & c. 9. 28. & nos in 2. de erroribus Arianorum libro efficaciſſimè demonſtrauimus. Falſum etiam eſt, Chriſtum ante mortem, poteſtatem peccata remittendi non habuiſſe: quam falſitatem omnium quatuor Euangeliſtarum libri, qui Chriſtum non ſemel peccata remiſiſſe teſtantur, conuincunt. Nihil etiam concludi ex eo poſſe manifeſtum eſt; nam ſecundùm Smalcium „ ſanguis Chriſti non fuit talis dignitatis & poteſtatis cauſa, ſiue effectrix, ſiue meritoria, ſed tantùm conditio, ſine qua non. Vult enim intercedente ſanguine Chriſti id factum; non tamen propter virtutem aliquam, valorem, vel meritum ſanguinis Chriſti. Cùm igitur iſta dignitas & poteſtas ex Dei mera voluntate & decreto, non ex vi ſanguinis Chriſti obtigerit Chriſto ſecũdùm Smalcium, conſequens eſt, nullam vim maiorem ex eo ineſſe ſanguini Chriſti; quòd ſanguis Chriſti interceſſerit ad eam poteſtatem conſequendam: totum enim id in Dei voluntatem, non in valorem ſanguinis Chriſti referendum eſt.

Error Smalcij de Chriſti Pontificatu.

Sanguis Chriſti ſecundùm Smalcium non eſt vera cauſa poteſtatis Chriſti.

Deinde an non planè diuerſum quid eſt, expiare peccata, & cauſam eſſe poteſtatis in Chriſto, qua expiet peccata; maximè ſi dicatur eſſe cauſa per modum conditionis, ſine qua non, quæ non eſt propriè cauſa, ſed conditio cauſæ. Pari enim ratione, Reſurrectione quoque & aſcenſione Chriſti dicerentur expiari peccata noſtra, quòd ea interueniẽte, Chriſtus ſit eam dignitatem & poteſtatẽ Pontificiam, ſecundùm Smalcium, conſecutus, quod tamen ſcriptura ſoli ſanguini & morti Chriſti tribuit.

Aliud eſt expiare, peccata aliud eſſe cauſam poteſtatis Chriſti.

Ex his patet, ſi ſanguis Chriſti, verum eſſe pretium redemptionis negetur, non poſſe Arianos euadere id abſurdum, quòd ſanguis

Chriſti non haberet vllam vim maiorem ad redimenda peccata, quàm habuerit ſanguis brutorum.

Si ſanguis Chriſti veram vim ad peccata tollenda non haberet, fruſtra Deus Chriſtum tam crudeliter pro peccatis mactari voluiſſet. Cap: IV.

ALterum quoque abſurdum non minus eſt, quod ex ſentẽtia Arianorum conſequitur. ſi enim ſanguis Chriſti verum pretium redemptionis noſtræ non fuiſſet, neque ad nos redimendos à peccatis, vllam vim propriam valoremque habuiſſet, fruſtra Deus Chriſtum tam dirè cruciari, & crudeliter contrucidari peccatorum noſtrorum cauſa voluiſſet; cùm id ad peccata tollenda, neque neceſſarium, neque vtile fuiſſet. Dirum enim & crudele eſt, hominem innocentem, nulla neceſſitate, aut vtilitate magna interueniẽte, morte atrociſſima perdere. Nos quidem Catholici cùm tantum ſanguini Chriſti tribuamus, vt eum fuiſſe neceſſarium, ad tollenda noſtra peccata, & pro illis Deo ſatisfaciendũ credamus; non fruſtra Chriſtum eſſe pro nobis paſſum & mortuum dicimus. Nulla enim alia re præterquam ſanguine Chriſti pro peccatis hominũ ſatis fieri potuit: ita vt aut toti mundo pereundum fuerat, aut Chriſtum oportebat ſanguinem fundere; ſiquidem Deus non niſi per Redemptionem & ſanguinem Chriſti, peccata hominibus remittere decreuerat. At Ariani cùm ſanguini Chriſti nullam ex ſe vim tribuant, ad peccata noſtra expianda, nec propter ipſum nobis Deum remittere peccata dicant, ſed ex mera ſua voluntate; eo ipſo fateri coguntur, fruſtra Chriſtum pro peccatis noſtris ſanguinem fudiſſe: Cùm ſanguis eius peccata verè non ſuſtulerit, nec ad eum effectum neceſſarius fuerit. Vnde etiam non charitatis ſed crudelitatis opus fuiſſet, Chriſtum tam crudeli morte perdere. Neque enim charitas, ſed prodigalitas & temeritas eſt, res valde pretioſas fruſtra conſumere, cùm ad eum finem neceſſaria non ſunt. Neque à crudelitate abeſt, vitam innocenti ſine neceſſitate & magna vtilitate eripere.

Neceſſitas ſanguinis Chriſti ad peccata tollenda.

Hîc primùm Smalcius queritur, falſo ſibi ſuiſque eam opinionem imponi, quaſi ab ipſis nulla vis ſanguini Chriſti ad nos redimendos tribuatur. At reuera hæc ipſiſſima eſt aduerſariorum opinio,

nio, quam etſi doloſè verbis contegant: re tamen ipſa omnẽ veram vim ſanguini Chriſti auferunt. Cùm enim quærimus ab illis, an propter Chriſti ſanguinem remittantur nobis peccata, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Reſpondent, quoad culpam attinet ex gratia & ex mera liberalitate Dei nobis remitti peccata: ac proinde non propter ſanguinem Chriſti. alioqui non gratis remitterentur. Quocirca aiunt, Chriſtum ſanguine ſuo pro nobis fuſo, neque meruiſſe nobis remiſſionem peccatorum, neque pro peccatis ſatisfeciſſe: neque pretium redemptionis ſoluiſſe, neque vllam aliam vim effectricem remiſſionis peccatorum contuliſſe: ea enim gratuitam remiſſionem tolleret. Quam etiam ob cauſam, nolunt Chriſtum ſanguine ſuo Deum nobis reconciliaſſe, & ex offenſo placatum reddidiſſe, cùm antequam Chriſtum mitteret in mundum, fuerit nobis ex ſeipſo placatus & recõciliatus. Ex quo ſequitur, ſecundùm iſtos, ad præcipuum effectum redemptionis noſtræ, qui eſt remiſſio peccatorum, nullam omnino vim effectricem ſanguinẽ Chriſti habuiſſe.

Sanguis Chriſti ad tollendas culpas peccatorum ſecundum Smalcium non neceſſa.

Aiunt porrò, interueniente ſanguine Chriſti nos eſſe redẽptos. At non aduertunt acuti iſti homines, ſi ſanguis Chriſti dicatur interuenire otioſè, hoc eſt ſine vlla vi & efficacia ad remiſſionem peccatorum, non fore cauſam redemptionis noſtræ: Non enim ſi ſolùm aſſiſtat, & nihil operatur, cauſa vera vllo modo dici poterit: Quare eo ipſo, quod volunt, ſanguinem Chriſti interuenire, ſine vlla propria vi & efficacia, ad cauſandam remiſſionem peccatorum, omnem vim veram illi auferunt. Intercedere enim ſine vlla vi & efficacia, eſt intercedere otioſè.

Interuenire ſanguinẽ Chriſti otioſè vult Smalcius.

Cùm verò aiunt, Deum voluiſſe, intercedente ſanguine Chriſti, fieri noſtram redemptionem; ita rudes ſunt, vt non perſpiciant, Deum nunquam requiſiturum fuiſſe, vt ſanguis Chriſti intercederet in noſtra redemptione otioſè, & ſine ſingulari, quem ex ſe pareret, fructu. Quæ enim ratio poſtulat, tam dirè innocentem cruciari & crudeliter mactari, ſi ea res ad liberationem ex ſe nihil conferat? Quare ſi ſanguis Chriſti nullam prorſus vim effectricem habuit ad remiſſionem peccatorum, nullo modo Deus ipſum ad eum effectum requiſiuiſſet. Si verò eum requiſiuit, & intercedere voluit, concludendum omnino eſt, vim aliquam ſingularem ad efficiendam remiſſionem peccatorum habuiſſe.

Callidè verò Smalcius, ad alia quædam, ſanguinis Chriſti vim commemorat, cùm hîc quæſtio præcipua ſit, non de aliis rebus, ſed de ipſa remiſſione peccatorum; an ſcilicet ea nobis propter ſanguinē Chriſti eueniat. Quare cùm ait ſanguinem Chriſti maximam vim habere, ad nos à peccatis reuocandos, quid niſi fucum facit. Nam hanc reuocationem à peccatis ſanguini Chriſti ea ratione tribuit, quatenus Chriſtus ſanguinem ſuum fundendo, charitatem ſuam in nos declarauit, & exemplo charitatis ſuæ nos à peccatis reuocat. Quis autem non videt aliud eſſe, nos exemplo ſuo à peccatis reuocare, aliud ſanguine redimere? Neque enim ſcriptura vult nos eſſe redemptos exemplo, ſed ſanguinis Chriſti pretio. alioqui ſi exemplū ad redemptionem ſufficit, tot eſſent redemptores, quot viuendi exēplo nobis præeunt. Itaque & Apoſtoli eo ſenſu eſſent redemptores mundi, & omnes pij Prædicatores ac Paſtores eſſent redemptores Eccleſiarum ſuarum: quod quàm alienum ſit à ſcripturarum ſenſu, quis non videt?

Aliud eſt à peccatis exemplo reuocare, aliud ſanguine redimere.

Similiter cùm ait Smalcius, Chriſti ſanguinem fuiſſe cauſam eius poteſtatis, quam poſt reſurrectionem obtinuit, quaq; peccata noſtra in cœlo nunc expiat, an non iterum fucum merum facit? Inprimis enim aliud eſt, eſſe cauſam poteſtatis Chriſti, aliud eſſe cauſam remiſſionis peccatorum. Scriptura enim non dicit, nos redemptos ſanguine Chriſti, tanquam cauſa poteſtatis Chriſti, ſed tanquā cauſa & pretio redemptionis, ac ex conſequenti remiſſionis peccatorum. Cùmque Smalcius concedat, ſanguinem Chriſti fuiſſe cauſam poteſtatis Chriſti, nequaquam tamen concedit, Chriſtum propter ſanguinem ſuum remittere nobis peccata: hoc enim eſſet propter meritum, valorem, ſatisfactionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum.

Fucus Smalcianus.

Deinde Smalcius cum ſuis non concedit, Chriſto poteſtatem remittendi peccata, quoad culpam, ſed tantùm quoad pænam, vt docent in ſua Catecheſi fol: 286. Non igitur hac via ſaluari poteſt, ſanguinem Chriſti eſſe cauſam remiſſionis peccatorum. Nos enim præcipuè re de remiſſione culpæ hîc quærimus.

Negat Chriſto poteſtatē remittendi peccata quoad culpas.

Veriſſimum igitur eſt, eos nullam ſanguini Chriſti vim tribuere, qua nobis remittantur peccata, quoad culpam. Ex quo ſequitur, remiſſionem peccatorum quoad culpam, nobis propter Chriſti ſanguinem

guinem non contingere: neque nos quidquam eo nomine debere Chriſto, quòd nobis peccata, quoad culpam, remittuntur, cùm id ex gratuita Dei voluntate, non propter ſanguinem Chriſti, ſecundùm iſtos contingat.

Iam quoad pænam attinet, ſi conſequenter loqui volunt, non poſſunt vllam vim ſanguini Chriſti tribuere. Etenim cui Deus remittit culpam, eo ipſo pænam quoque æternam remittit. Qualis enim remiſſio ea culpæ eſſet, ſi in æternum punire delinquentem vellet. Cùm igitur ſecundùm iſtos Deus ex gratuita ſua voluntate, nō propter ſanguinem Chriſti remittat culpam, conſequens eſt etiam remittere pænam æternam. Quid igitur ſecundùm iſtos reſtabit remittendum Chriſto, vel per Chriſtum, aut quam vim ſanguis Chriſti habebit ad redimenda peccata, ſi tam culpa quàm pæna æterna, non propter ſanguinem Chriſti, ſed ex gratuita Dei voluntate remittatur à Deo.

Sanguinem Chriſti non tollere ſecundùm ipſos pœnas peccatorum.

Dicent fortaſſe, Chriſtum ſanguine ſuo obtinuiſſe poteſtatem nos à morte (quæ vna eſt ex pænis peccati) liberandi, viuificando corpora noſtra in nouiſſimo die. At inprimis ne hoc quidem verè ab iſtis dici poteſt. Etenim ſi ſanguine ſuo obtinuit eam poteſtatē, & propter ſanguinem fuſum eam adeptus eſt, ſequitur eam ſanguine ſuo meruiſſe. Qui enim ſanguinem iubetur fundere ad aliquid obtinendum, proculdubio rem illam promeretur, & res illa ſine iniuſtitia illi negari non poteſt. Cum igitur iſti nolint Chriſtum ſanguine ſuo meruiſſe eam poteſtatem, non poſſunt verè affirmare, ſanguinem cauſam talis poteſtatis fuiſſe. Deinde, eſto: nos tamen hîc nō id quærimus, an Chriſtus propter paſſionem & mortem obtinuerit poteſtatem nos à morte liberandi, ſed an propter paſſionem & mortem ſuam à morte nos liberet, ita vt idcirco liberemur, quia morte ſua pro nobis obita id promeruit Chriſtus. Scriptura enim noſtram à morte liberationem, non tam poteſtati abſolutæ Chriſti, quàm paſſioni & morti eius tribuit. quod ſine merito & ſatisfactione intelligi non poteſt. Si enim quis iubetur mori ad liberandum captiuum à morte, Domino promittente, ſe conditione illa impleta, captiuum vita donaturum, nemo inficiari poteſt, illum qui pro captiuo moritur, morte ſua mereri liberationem captiui, & ex iuſtitia ei deberi liberationem illam. non autem ſolùm acquirere poteſtatem

Poteſtas Chriſti ad nos à morte liberandos nihil iuuat errorem Smalcij.

1.

2.

illum

3. illum à morte liberandi. Tandem vt minimum hoc haberemus, nos à culpis peccatorum ſanguine Chriſti redemptos non eſſe, ſed tantùm à pænis, quod cum omnibus ſcripturis è diametro pugnat. eæ enim nos ſanguine Chriſti teſtantur mundatos, lotos, ablutos, dealbatos, Apoc: 1. 5. *lauit nos à peccatis in ſanguine ſuo*: quæ ablutio non eſt præcipuè pænarum ſed culparum, quæ nos deformes coram Deo reddunt: ad hanc verò ablutionem faciendam, eam vim ſpiritualem habet ſanguis Chriſti, quam habet liquor corporeus, quum ad abluendas aliquas ſordes adhibetur.

Cōcluditur, Arianos doloſe agere, cùm de virtute ſanguinis Chriſti loquuntur.

Ex quibus concludo, Arianos dum de virtute ſanguinis Chriſti loquuntur, nil aliud quàm tenebras veritati offundere, & doloſè ac fraudulenter in re omnium grauiſſima loqui. Reuera enim nullam veram vim ſanguini Chriſti tribuunt ad efficiendam peccatorum remiſſionem, tum quoad culpam (quam gratis omnino, non propter ſanguinē Chriſti remitti dicunt) tum quoad pænam. eam enim virtute ſanguinis Chriſti nobis remitti negant, vti explicatum eſt. Non igitur calumniam illis imponimus, cùm eos nullam vim ſanguini Chriſti tribuere dicimus ad remiſſionem peccatorum, ſed fraudes illorum detegimus, cùm verbis duntaxat eam tribuunt, reipſa autem tollunt.

Secundo loco reſpondet Smalcius, etiamſi Chriſtus ſanguine ſuo non ſatisfecerit pro peccatis, non fruſtra mortuum eſſe. Sunt enim aliæ quoque cauſæ mortis Chriſti, nempe confirmatio noui fœderis, declaratio charitatis Dei & Chriſti, conſecutio Dominij & poteſtatis, tandem vt ex iis, quæ paſſus eſt Chriſtus, fieret fidelis & miſericors pro nobis apud Deum interceſſor. Verùm Smalcius omiſſa præcipua cauſa mortis Chriſti, quæ eſt peccatorum remiſſio & redemptio noſtra, ad alias ſecundarias ſe conuertit, quæ ſuppoſita præcipua cauſa, cauſæ quidem cenſeri poſſunt, at non tales, vt ſi peccata noſtra expianda non fuiſſent, eſſent ratio ſufficiens, Chriſtum ad tam crudelem & diram mortem tradendi. Nam quemadmodum pro ſalute Reipub. mortem etiam crudelem oppetere non ſolùm conueniens eſt, ſed & pulchrum & glorioſum; ita & ob totius mundi ſalutem, à peccatiſque liberationem, mortem ſubire fuit perquam honorificum & glorioſum.

Præcipua cauſa mortis Chriſti ſecundùm ſcripturas.

Alia cauſa

At ob cauſas à Smalcio recenſitas, hominem quempiam innocentem

centem crudeliſſima morte mactare, quis non indignum, crudele, & ab omni ratione alienum iudicet? Quis enim non barbarum exiſtimet, ſi Princeps ea potiſſimùm de cauſa, vt ſanciat cum aliquo fœdus, Filij ſui ſanguinem fundat, eumq; morte acerbiſſima excruciandum tradat? Certè ad ſanciendum fœdus, ſanguis cuiuſque animalis ſufficit, nil ſanguine filij opus eſt: ſiquidem & antiquum fœdus ſanguine animalium dedicatum, firmiſſimum fuit: quare nouum fœdus tali & tanta crudelitate non egebat, ſi ex alia cauſa mors Chriſti non fuiſſet neceſſaria. Poſito verò quòd Chriſtus pro ſalute ac redemptione mundi mori debuit, rectè & ſine vlla crudelitatis ſpecie, adhiberi ſanguis eius potuit ad nouum fœdus ſanciendum. At vt ſolius fœderis ſanciendi cauſa præcipuè Chriſtus mactaretur, id Diuina bonitas, quæ ab omni ſpecie crudelitatis quàm longiſſimè abeſt, eamq; in nobis deteſtatur & prohibet, minimè paſſa fuiſſet, etiamſi ſumma in homines poteſtate Dominioque polleat. Neque enim ea cauſa tanti eſt, vt ſæuire crudeliter in hominem innocentem permittat. Vno verbo ſciat Smalcius, ſanguine Chriſti fœdus nouum ſanciri, poſtquam is ob ſalutem mundi ad mortem ſe obtulit; at præcipuè ſolius fœderis ſanciendi cauſa mactari Chriſtum innocentem minimè decuit, nec licuit.

non ſunt ex ſe ſufficientes.

Ad ſanciēdum ſolum nouum fœdus nō erat æquū Chriſtum occidi.

Iam quod ad alteram mortis Chriſti cauſam à Smalcio adductam attinet, nempe charitatis Dei & Chriſti cōmendationem, non aduertit Smalcius, ſcripturā cùm charitatem Dei in morte Chriſti cōmendat, non de nuda & otioſa Chriſti morte loqui, ſed de morte pro ſalute & redēptione mundi ſuſcepta. Hoc etenim ſūmæ charitatis erat, rem omnium maximam & pretioſiſſimam impendere, vt ſummum quoddam bonum & felicitas in nos deriuaretur. Quod ſi mors Chriſti ex ſe vim nullam haberet ad redimendos homines, & pro peccatis mundi ſatisfaciendum, otioſè fuiſſet adhibita: ſiquidē non propter ipſam, ſed ex mera Dei liberalitate omnia conſequeremur ad peccatorum remiſſionem ſpectantia. Vnde non charitas, ſed crudelitas eſſet & prodigalitas quædam temeraria, Chriſtum illa ratione in mortem tradere. Siquidem impendere id pro aliquo, quod ei nullum vtilitatis fructum ex ſe pariturum ſit, non charitas, ſed profuſio & temeritas eſt: ſi verò cruciatus innocentis accedant, etiam barbaries inauditaque crudelitas eſt. Vera & germana

Chriſti mors charitatem Dei non cōmendat, ſi otioſè adhibita eſt.

charitas non profuſa eſt, nec temeraria, ſed rationabilis, & cum bono eius, cui impenditur cōiuncta. ſi verò non ſit cum bono illius cōiuncta, perditio eſt & imprudentia, non charitas. Charitatem enim rationabilem eſſe oportet. Imprudenter verò & contra rationem in gratiam alicuius inſumitur id, quod illi nullam vtilitatem cōmodumque affert.

Deus noluit mortem Chriſti intercedere otiosè.

Neque eſt quod confugiant aduerſarij ad Dei voluntatem, qui morte Chriſti intercedente, voluit fieri redemptionem noſtram. Etenim vti ſupra dictum eſt, Deus mortem Chriſti non otioſè intercedere voluit, ſed vt ex ea ſalus & redēptio mundi promanaret. alioqui ſi nulla vis ad ſalutem mundo conciliandam in ea exiſteret, nullo modo illam intercedere voluiſſet: quod id vanū & inutile eſſet & non ſine inſigni in Chriſtum crudelitate. Fruſtra igitur Smalcius magnitudinem charitatis Dei & Chriſti, in morte Chriſti exaggerat, cùm ex ea ſalutem & vitam in nos profluxiſſe negat. Hac enim ratione charitas Dei & Chriſti non cōmendatur, ſed euertitur, vt pote quæ non ſit cum bono noſtro coniuncta, & ex altera parte cum ſummo Chriſti detrimento.

Qui ſāguis Chriſti charitatē Dei cōmendat.

Noſtrum id eſt proprium, non Arianorum, charitatem Dei in eo agnoſcere & extollere, quòd is *proprio ſuo Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit eum*, vt nos ſanguinis ſui pretio redimeret. Nos enim ſanguinem Chriſti, & pretioſum eſſe credimus, & pro redemptione noſtra vtiliſſimè impenſum, quod non credunt Ariani, cùm eum otioſum tantummodò intercedere, & nullam vim effectricem ad remittenda peccata, & nos à peccatis redimendos habere, affirment. Et ſanè, ſi quis ad demonſtrandam erga alterum charitatem, omnes res pretioſas & ſibi longè chariſſimas deſtrueret, ſine vlla alterius vtilitate, nullus ſine dubio eſſet, qui eam charitatem vanam & inutilē, & ſtultam non diceret, imo & reprehenderet, eamque non charitatis veræ, ſed vanæ ac inutilis demonſtrationē appellaret. Ita prorſus de Charitate Dei ſentiendum eſt, in Chriſto pro nobis tradēdo. Si enim mors Chriſti non efficeret ex ſe ſalutem noſtram redemptionemque, ſed tota ſalus eſſet à ſolo Deo & eius pura liberalitate, non propter mortem & ſanguinem Chriſti, proculdubio vana & inutilis charitas erga nos eſſet, Chriſtum perdere, & in mortem tradere. Neq; enim, quia aliquid in gratiam noſtram inſumitur, ſed quia

vtiliter

vtiliter & cum magno noſtro bono inſumitur, charitatis argumentum eſt. Cùm igitur id, cuius cauſa Chriſtum Deus mori voluit, ſit peccatorum remiſſio mundiq; redemptio, ſi hanc remiſſionem mors Chriſti non effecit, fruſtra & inutiliter mortuus eſt Chriſtus.

Quare cùm addit Smalcius, ſi Chriſtus mortuus non fuiſſet, ignota nobis tanta charitas fuiſſet. dicendum eſt, ſi Chriſtus inutiliter mortuus fuiſſet, vti Ariani conuincuntur dicere, nulla Dei charitas vera, ſed profuſio quædam & prodigalitas charitatis inutilis fuiſſet à nobis cognita: modò verò cùm Chriſti mors ita nobis profuit, vt per eam & pro peccatis ſatisfactum ſit, & promerita peccatorum remiſſio, Deuſque reconciliatus, verè *commendat ſuam charitatem in nobis Deus: quia Chriſtus pro peccatis mortuus eſt.* Tanti enim fecit bonum noſtrum, vt pro eo tantum bonum impenderet.

Iam tertia quoque ratio, quòd morte interueniente Chriſtus factus ſit Dominus & ſeruator noſter, partim falſa eſt, partim nihil concludit. Falſum enim eſt, quod ab iſtis ſupponitur, Chriſtũ non fuiſſe ante mortem perfectiſſima ratione Dominum, cum plena in omnes poteſtate, vti in ſecundo de erroribus Arian. libro demõſtratum eſt, Solùm igitur nouo titulo Redemptoris cæpit poſt reſurrectionem Dominus, cùm etiam ante, tanquam verus Dei Filius, eſſet omnium Dominus. Falſum etiam eſt, quod itidem ab iſtis ſupponitur, paſſione ſua & morte Chriſtum non meruiſſe hoc dominium & poteſtatem in cælo & in terra, ſed tantùm morte interueniente ex gratia Dei, Dominium illud obtinuiſſe: Scripturæ enim non ſolùm morte interueniente, ſed etiam propter mortem, gloria & honore coronatum docent, & exaltatum ſuper omne nomen, Hebr: 2. 9. Phil: 2. 9. Particula autem, *propter*, cauſam Dominij & axaltationis deſignat, quæ nequit eſſe niſi meritoria. Qui enim opus aliquod conſequendi præmij gratia ex pacto facit, impleto illo opere, meretur præmium, & opus illud veram & propriam meriti rationem habet, cui merces debeatur & retributio. Denique dico, Chriſtum nõ alia ratione per mortem ſuam factum eſſe Dominum, niſi quia nos morte ſua redemit. Is enim qui alium è captiuitate ſuæ vitæ periculo vel pretio liberat, Dominus eius, iure liberationis & Redemptionis conſtituitur. Hoc quia præſtitit Chriſtus: idcirco dicitur per mortem nouo quaſi iure factus Dominus. At quia talem mortem

Chriſtũ meruiſſe, vt eſſet Deus omnium.

Chriſtũ titulo redemptionis eſſe Dominum.

Chriſti nõn agnoſcũt reipſa Ariani, idcirco falſò affirmant per mor tem factum eſſe Dominum: non enim quæcunq; mors, ſed ea duntaxat quæ pro ſalute mundi ſuſcepta eſt, & habet vim Chriſtum conſtituendi Dominum hominum, & ius dominij illi tribuendi.

Chriſtũ ad aſſequendũ ſuum Dominiũ præcipuè nõ fuiſſe mortuũ

Quòd verò ea ratio non concludat, Chriſtum ea potiſſimùm de cauſa mori debuiſſe vt fieret Dominus, ſic oſtenditur. Etenim, ſi quis Regni eſſet abſolutus Dominus, ſtultè proculdubio faceret, ſi ſine alia neceſſitate, ſe mortis periculo exponeret, vt eo quaſi nomine efficeretur Dominus, cùm exponendi ſe tali periculo nulla prorſus neceſſitas & vtilitas Regno eſſet. At ſi vrgente Regni & ſubditorum neceſſitate, ſe pro illorum ſalute periculo exponeret, & eos à ſeruitute hoſtium liberaret, meritò tunc, quaſi nouo titulo liberatoris, Dominus haberetur. Conſimili ergo ratione, ſi Chriſtus morte ſua nihil hominibus profuiſſet, ſed otioſè & ſine vlla hominum vtilitate mortuus fuiſſet, non fuiſſet mortis & Redemptionis titulo Dominus factus, neque illam tantam poteſtatem in nos acquiſiuiſſet: nihil enim morte ſua in homines contuliſſet. Ita verò mortuum volunt Ariani, cùm morti Chriſti nullam vim efficiendi, ſed otioſè tantùm intercedendi tribuunt. Quanquam igitur Chriſtus, vt Dei Filius, ſemper fuit Dominus noſter; tamen vt redemptor ſeu titulo Redemptoris, non fuiſſet factus Dominus, niſi nos pretio ſanguinis ſui verè redemiſſet.

Cauſa mortis Chriſti acceſſoria.

Ad extremum quarta ratio, quam affert Smalcius, vt Chriſtus mortem truculentam expertus, fieret miſericors Pontifex noſter ad Deum, nec primaria eſt ſed acceſſoria, nec per ſe ſufficiens mortis Chriſti cauſa. Suppoſita enim primaria cauſa mortis Chriſti pro peccatis mundi, hoc etiam cõmodi ex morte Chriſti ſecutum eſt, quòd ex ijs quæ paſſus eſt pro nobis, factus eſt fidelis & miſericors Pontifex apud Deum. Nemo tamen dixerit hanc cauſam, vel præcipuam vel ſufficientem eſſe ad Chriſtum occidendum: Etenim quis ferat, aliquem eo ſolùm fine cruciari, vt ea ratione diſcat compati & miſereri aliis. Si enim ob aliam cauſam cruciatus illi debeantur, rectè poteſt ea etiam adiungi: aſt eſſe ſola & tota cauſa illorum cruciatuum non poteſt. Cùm igitur primariam mortis Chriſti cauſam, Ariani reuera non admittant, licet verbis doloſè ſimulent: eo ipſo neque hanc ſecundariam admittere poſſunt; quippe cùm hæc ſupponat neceſſariò illam.

Ex qui-

Ex quibus apparet, primariam cauſam, propter quam Chriſtus mortuus eſt, eſſe Redemptionem noſtram & liberationem à peccatis, cum Deoque reconciliationem. Quam ſi non verè mors Chriſti effeciſſet, aliæ cauſæ ad Chriſtum occidendum per ſe ſufficientes nō fuiſſent, veriſſimumque eſſet, fruſtra Chriſtum tam indignis diriſq; modis excruciatum fuiſſe, ſi ſuis cruciatibus noſtram Redemptionē non effecit. Efficere autem non potuit, ſi cruciatus illius, nullam vim merendi, ſatisfaciendi, Deumq; reconciliandi, habuerunt. *Concluditur præcipua mortis Chriſti cauſa.*

Chriſtum nobis peccatorum veniam & gratiam Dei promeruiſſe, ex eo oſtenditur, quòd eius rei obtinendæ cauſa mortuus ſit. Caput V.

AIt Smalcius, doctrinam de merito & ſatisfactione Chriſti eſſe falſiſſimam, quòd de ea in ſacris literis nihil legatur; imò & in Dei Maieſtatem iniuriam eſſe. Verùm ſi Smalcius de vocibus loquatur, inanis eſt quærela; ſi enim res in ſacris literis habeatur, quidni etiam voces admitti debeant: niſi fortè nefas ſit vocibus cōuenientibus rem quamlibet appellare. De re verò, is ſolùm dubitare poteſt, qui meritum & ſatisfactio quid ſit, prorſus ignorat.

Statuamus igitur ex Paulo Rom: 4. 4. Meritum eſſe opus cui debetur merces ſeu retributio. *Ei*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Porrò merces non debetur, niſi ex pacto & promiſſione. Pactum enim & promiſſio ſub conditione operis, obligationem & debitum inducit. Si quis enim laboret in vinea ſponte, nullo pacto interpoſito, etiamſi rem bonam & vtilem efficiat, nihil tamen illi ex iuſtitia debetur; ſed ſecundùm gratiam. At ſi pactum & promiſſio interceſſit ſub conditione laboris, labori illi proculdubio merces ex iuſtitia debetur. *Dignus enim eſt operarius mercede ſua.* Iam ſi ea eſt meriti, quam diximus, definitio, facilè quiſque intelliget, an Chriſtus veniam & remiſſionem peccatorum, ac omnē Dei gratiam nobis promeruerit. Etenim veniæ nobis à Deo obtinendæ cauſa, ſuſtinuit rem omnium maximam ac difficillimam, quæ eſt ſanguinem fundere, & mortem adeò crudelem oppetere. Id verò fecit, Deo non ſolùm volēte, ſed & mandante, immò promittente in præmiū omnibus hominibus remiſſionem *Meriti definitio ex ſcripturis.* *Meritum Chriſti ex definitione meriti probatur.*

 pecca-

peccatorum: ita enim prædicitur Iſa: 54. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur in ſcientia ſua, iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit: ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium ſpolia diuidet, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam.* Quid clarius? etenim non nudè promittitur ſalus, iuſtificatio, iniquitatum ablatio, ſed in compenſationem eorum, quæ Chriſtus in morte ſua pertulit: quod rationem meriti maximè declarat. idque ſignificant illa verba, *pro eo quòd laborauit, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam*: ita vt neceſſe ſit fateri, ſanguinem Chriſti & mortem interueniſſe, non ſolùm vt conditionem, ſed etiam vt cauſam meritoriam talis mercedis. Id enim pro quo merces ex pacto datur, eſt meritum. At qui in præmium paſſionis & mortis Chriſti, ex pacto datur hominibus venia & remiſſio peccatorũ: Conſequens igitur eſt Chriſti paſſionem & mortem eſſe meritum per Chriſtum, eamque promeruiſſe apud Deum veniam & remiſſionem peccatorum noſtrorum.

Meritum non eſt Deo iniurium.

Hoc argumentum, nullis Arianorum cauillationibus diſſolui poteſt. Aiunt inprimis, mereri aliquid apud Deum, eſſe iniuriũ in Dei Maieſtatem. At hoc ipſi temerè & imperitè effutiunt. Etenim ſi operari propter mercedem à Deo promiſſam, non eſt iniuriũ Deo, proculdubio neq; mereri aliquid apud Deum, erit iniurium Deo, cùm meritum nihil aliud ſit, quàm opus cui ex pacto debetur merces. Pactum ſiquidem, cum conditione operis facit mercedẽ illam debitam; veriſſimumq; eſt quod Paulus ait: *operanti merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.*

Deum debitorem eſſe hominibus qui repugnat.

At dicent, repugnare, Deum aliquid hominibus debere. Verùm ſicut non repugnat, Deum cum hominibus paciſci: ita neq; repugnat ex pacto fieri hominibus debitorem: pactum enim obligationem & debitum inducere nemo ignorat: & cùm Deus ex pacto ſe conſtituit debitorem, ſponte & ex voluntate propria, non ex neceſſitate fit debitor. Quod ſi dicant, Debitum imponere neceſſitatem Deo: reſpondendum eſt, quòd, ſicut cùm aliquid promittit hominibus Deus, ita fidem ſuam hominibus obligat, vt impoſſibile ſit promiſſionem mutare. *Seipſum enim negare non poteſt*, vt ait Paulus, Hebr: 6. 18. 2. Thim: 2. 3. neceſſitaſq; iſta promiſſum implendi, cùm ſit ſponte ſuſce-

te ſuſcepta, minimè dedecet Deum: ita & cùm operi promittit iuſtam mercedem, neceſſitatem implendi promiſſum ſponte ſibi imponit. ideoq; ſine vllo Dei præiudicio, talis neceſſitas Deo conuenit; Id enim ſolum Deo repugnat, vt ei nolenti & inuito neceſſitas ab alio imponatur. hoc enim eſſet cum præiudicio ſummæ ipſius poteſtatis, quæ cùm ſit ſupra omnes, nemini poteſt eſſe ſubiectus. Cùm verò ſibiipſi neceſſitatem imponit, & debitorem ſe conſtituit, non poteſt quidem non implere promiſſum, at id non facit ob defectum ſummæ poteſtatis, ſed ob ſuam ſummam veracitatẽ & fidelitatem. de qua re cùm 2. de erroribus Arianorum libro c. 4. egerimus, plura hoc loco non eſt neceſſe in medium adferre.

Aiunt ſecundo, meritum apud Deum repugnare gratuitæ ipſius voluntati, qua nobis remittit peccata. Si enim ex merito, iam non gratis. Verùm iſti non intelligunt Scripturas de gratuita Dei voluntate. Nam Sacræ literæ gratuitam quidem Dei voluntatem in remittendis peccatis noſtris prædicant, ſed addunt *propter Chriſtum*, &, *in ſanguine Chriſti*: ex quo concludendum eſt, reſpectu quidem noſtri gratuitam eſſe: quia nullis noſtris præcedentibus meritis: reſpectu tamen Chriſti non eſſe gratuitam: quia in præmium & compenſationem paſſionis & mortis Chriſti fit illa peccatorum remiſſio, eamque ſanguine ſuo Chriſtus promeruit. Quod vel Iſaiæ locus citatus manifeſtè indicat. In eo enim dicitur. *Pro eo quòd laborauit, quòd tradidit in mortem animam ſuam*: vt doceatur, in præmium & compenſationem paſſionis & mortis Chriſti remitti nobis peccata, eamq; remiſſionem tanquam præmium & mercedem laboribus ſuis Chriſtũ promeruiſſe. Cùm autem datur aliquid in præmium & compenſationem laborum ex pacto, non datur gratis, ſed ob meritum & ex iuſtitia. Ex quo manifeſtum eſt, diuerſarum perſonarum reſpectu poſſe eandem rem & gratis conferri, & ex merito. neq; Chriſti meritum impedire, quo minus gratuita ſit remiſſio reſpectu noſtri. Accedit quòd ſua merita Chriſtus non donauit nobis ipſo facto, ſed poſuit in manu & voluntate Patris, vt ea, cui vellet, applicaret: ita tamen, vt cuicunq; fuerint ex voluntate Patris applicata, ei propter Chriſtum peccata remittantur. Id quod ſimili exemplo declarari poteſt. Etenim ſi quis Domino alicui plures captiuos habenti det pretium pro Redemptione, ea lege, vt illud, cui velit, ad libitum

Meritum Chriſti non tollit gratuitam Dei voluntatem

applicet,

applicet, dubium non eſt, in gratia eius poſitum eſſe applicare pretium huic potiùs quàm alteri captiuo; illumq́; captiuum ex gratia Domini liberari: nam licet acceperit pretium, illud tamen ex gratia ſua illi applicuit: in eaq́; applicatione fit & captiuo gratia & redimenti iuſtitia.

Vera meriti ratio defenditur. Tandem dicunt, Deum remittere quidem peccata hominibus in præmium paſſionis & mortis Chriſti, vt locus Iſaiæ euincit: id tamen non fieri ob aliquod meritum, & dignitatem paſſionis Chriſti, quâ Deum mouerit ad veniam peccatorum nobis largiendam, ſed propter meram promiſſionem Dei: quia nimirum, ſi Chriſtus laborem in morte ſubeunda pertuliſſet, promiſit Deus ſe omnibus hominibus peccata remiſſurum. Ita Socinus lib: de Seruatore fol: 208. At pugnantia loqui Socinum, non eſt difficile demonſtrare. Si enim Deus pro labore hoc præmium Chriſto attribuit, iam non gratis, ſed ex debito. Sic enim Paulus argumentatur: *Si ex operibus gratia, non eſt gratia.* Rom: 11. 6. laboris enim compenſatio non eſt gratia, ſed iuſtitia & debitum, maximè ſi labor ſit in pactum deductus: vbi verò eſt labor, eſt quoque & dignitas operis ad præmium. *Dignus enim eſt operarius mercede ſua.* Cùm igitur Chriſtus laborauerit pro peccatorum noſtrorum remiſſione obtinenda, eamq́; ob cauſam tradiderit animam ſuam; dubitari non poteſt, laborem hunc fuiſſe dignum tali præmio, ſuaque dignitate mouiſſe Deum ad tale præmium conferendum. Labor enim ex pacto ſuſceptus, ſua dignitate monet ad mercedem tribuendam, ſiue ea dignitas ſit æqualis præmio, ſiue proportionalis. Poteſt enim etiam paruo labori, proponi ingens præmium: ſi tamen is labor in pactũ deducatur, propoſito tanto præmio, totum illud præmium, ex iuſtitia illi operi paruo debetur, non quod ſit illi ex ſe æquale, ſed quòd ex pacto habeat proportionem ad illud obtinendum. Quare cùm iterum Socinus ait, non propter dignitatem mortis Chriſti, quæ Deum mouerit ad veniam, præmium hoc à Deo tributum; ſed quia promiſit ſub illa conditione, ſi Chriſtus moreretur, ſeipſum euertit. Conditio enim Chriſto propoſita erat, labor ille, quem in morte oppetenda erat ſubiturus. Exigere autem laborẽ ab aliquo cum pacto præmij reddendi, eſt exigere non nudam conditionem, ſed meritum talis præmij. Labor enim in pactum deductus meretur tale præmium. Quocirca cùm Deus propter paſſionem

onem & mortem Chriſti remittit peccata, non habet paſſionē Chriſti pro conditione ſolùm interueniente, ſed pro vero labore, cui in compenſationem debetur ex pacto tale præmium. Talis enim conditio impoſita laboranti, eſt veriſſimum meritum, eique non ex gratia, ſed ex iuſtitia debetur promiſſum præmium. Quod ſi labor omnis promiſſæ mercedis cauſa ſuſceptus, & in pactum deductus, ſua dignitate mouet ad reddendam mercedem, idem quoque de labore à Chriſto ſuſcepto exiſtimare par eſt, tanto magis, quanto maior & difficilior labor eſt in cruciatibus perferendis, & morte ſuſcipienda.

Ex quibus infero, quo ſenſu accipiendum ſit, cùm in ſcriptura legimus, nos in ſanguine Chriſti & propter nomen Chriſti habere remiſſionem peccatorum. Eph: 1. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum.* Item cùm dicitur Chriſtum paſſum & mortuum eſſe, vt nos à peccatis redimeret, Tit: 2. 14. *qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Hæc enim & ſimilia non ſignificant ſolùm interueniſſe ſanguinem & mortem Chriſti ad redemptionem noſtram, vt aduerſarij volunt, ſed propter ſanguinem & mortem Chriſti nos conſequi remiſſionem peccatorum. Pro eo enim quòd Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, & tradidit in mortem animam ſuam, id præmij loco à Deo obtinuit, Iſaia teſte, vt nobis peccata noſtra remitterentur. *Quid ſit in ſanguine Chriſti remitti peccata.*

Quare cùm Aduerſarij dicunt, propter Chriſtum nobis peccata remitti, quia credendo in ipſum remittuntur peccata; vel quia per mortem ſuam conſecutus eſt poteſtatem peccata expiandi, non aduertunt id, quod præcipuum eſt, additum eſſe, in ſanguine, vel per ſanguinem ipſius. Sanguine autem Chriſti remitti peccata, eſt virtute ſanguinis Chriſti obtineri remiſſionem peccatorum. Quare & credentibus in Chriſtum remittuntur peccata, ſed in ſanguine Chriſti, & virtute ſanguinis Chriſti. Rom: 3. 25. *Eum enim propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* & Chriſtus cùm peccata nobis remittit, in ſanguine ſuo remittit. Eam enim remiſſionem peccatorum, quam ſanguine & morte ſua nobis cōparauit, nobis offert: ita vt ſemper ſanguis Chriſti, vt cauſa effectrix remiſſionis intercedat.

Obiiciunt tamen, Deum ante omne Chriſti meritum, ſtatuiſſe hominibus remittere peccata; cùm homines ante dilexerit quàm miſiſſet *Obiectio ſoluitur.*

ſiſſet Chriſtum in mundum. Non potuit igitur, inquiunt, Chriſtus id mereri, quod ante ipſum iam extitit. Verùm hæc obiectio infirmiſſima eſt. Etenim etſi Deus antequam Filium miſiſſet in mundum, ſtatuerit hominibus remittere peccata, non tamen ſtatuit id fieri abſque ſanguine Chriſti: eo ipſo igitur voluit ſanguinem Chriſti intercedere, vt cauſam propter quam remitteret peccata. Nam ſimili ratione Paterfamilias ſtatuit dare mercedem operariis antequam ipſi operentur: neque tamen illam dare vult, niſi propter labores, quibus eam operarij promereantur. Potuit igitur mereri Chriſtus remiſſionem peccatorum; quia etſi Deus ante decreuerat eam fieri, non niſi tamen per ſanguinem & merita Chriſti obtinendam.

Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, pœnas peccatorum noſtrorum perferendo. Caput VI.

Satisfactio pro peccatis probatur.

NEmini dubium eſt, eum ſatisfacere pro altero, qui pœnas peccatis alterius debitas in ſe ſuſcipit & ſuſtinet. Porrò Chriſtum pœnas peccatorum noſtrorum luendas in ſe ſuſcepiſſe, omnes ſcripturæ teſtantur. Non poteſt igitur vllo modo negari, Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe. Negant tamen pertinaciſſimè Ariani, aiuntque Chriſtum peccatorum noſtrorum pœnas in ſe minimè ſuſcepiſſe: alioqui, inquit Smalcius, æterna ei morte pereundum fuit. Hæc enim eſt pœna peccatorum noſtrorum. Verùm antequam iſtorum impietatem ſcripturis clariſſimis confutem, prius rationem, quà nituntur, oſtendo ineptiſſimam eſſe.

Reſponſio Smalciana abſurda.

Quis enim adeò ſtupidus & bardus eſt, qui non intelligat, ad hoc vt quis pro altero ſatisfaciat, minimè neceſſarium eſſe, vt eandem prorſus pœnam, ad quam alter fuit cōdemnatus, ſuſtineat: ſed poſſe eam in aliam diſſimilem, æquiualentem tamen commutari, ex conſenſu iudicis & partium. Sic pœna carceris pœna pecuniaria redimi ſolet: & pœna capitis in eam, quæ eſt ad triremes, commutatur. Quod ſi in eo qui peccauit, ea pœnarum cōmutatio eſſe poteſt; multò maiori ratione in eo, qui pro alterius peccatis pœnam ſuſcipit. Quocirca aut contra communem ſenſum Smalcius negare debet, pœnam vnam in alteram diſſimilem commutari poſſe, aut ſi id negare non poſſit, ratio illa, qua nititur, nullius prorſus erit momenti.

Pœnam pro pœna cōmutari poſſe.

Etſi

Etſi enim æterna pœna hominibus ſit decreta, eam tamen alia æquiualenti compenſari poſſe non repugnat. Neque ex eo, quòd Chriſtus pœnam æternam non ſuſtinuit, inferri poteſt, pœnam aliam æquiualentem non ſuſtinuiſſe, quæ non temporis diuturnitate, ſed valore & pretio eſſet pœnæ æternæ par, vt infra oſtendemus.

Neque verum eſt, quod Smalcius ait, ſi acceptetur alia pœna, illam non futuram veram ſatisfactionem, ſed habitum iri pro ſatisfactione. Nam iſta acceptatio, cùm ſit veræ pœnæ & æquiualentis acceptatio, veram ſatisfactionem non excludit; cùm pro eodem habeatur talis pœna & alia æqualis illi.

Iam verò, quàm ineptè negent, Chriſtum pœnas peccatorum noſtrorum in ſe ſuſcepiſſe & paſſum eſſe, ex ſcripturis clariſſimè demonſtratur. Sacræ enim literæ dicunt diſertè, peccata noſtra portaſſe. Sic enim apud Iſaiam habetur c. 53. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina ſeu caſtigatio pacis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus. Poſuit Dominus in eo, iniquitatem omnium noſtrûm.*

Chriſtum pœnas peccatorum noſtrorum ſuſtinuiſſe.

Negat Smalcius Chriſtum peccata noſtra portaſſe, eo ſenſu quòd pœnas peccatorum in ſe acceperit luendo, ſed tum quòd cauſa peccatorum afflictiones & mortem pertulit, tum quòd peccata noſtra portauit, id eſt abſtulit. At longè clariſſimum eſt, Chriſtum peccata noſtra portaſſe, quòd pœnas peccatorũ noſtrorum paſſus ſit. Hoc enim ſenſu ſẽper in ſcriptura dicitur quis portare peccata, ſiue ſua, ſiue alterius, quando nimirũ pœnas peccatorũ, ſiue ſuorũ, ſiue alterius, patitur & luit. Neque ex innumeris ſcripturæ locis proferri vnus poteſt, in quo portare peccata patiendo pro illis, aliquid aliud ſignificet, quàm pœnas peccatorũ ſubire. Sic Leuitici 19. 8. dicitur: *Portabit iniquitatem ſuam, & peribit anima illa de populo ſuo.* Leu: 20. 17. *occidentur, & portabunt iniquitatem ſuam.* & ℣. 20. *portabunt ambo peccatum ſuum, abſq; liberis morientur.* Leu: 24. 15. *qui maledixerit Deo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Similiter de portandis peccatis aliorum ſcriptura loquitur, Num: 14. 33. *Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis 40. & portabunt fornicationem veſtram.* & mox: 40. *annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam.* Num: 30. 16. *portabit ipſe iniquitatem eius,* id eſt, ipſe punietur pro peccato vxoris ſuæ. Thren: 5. 7. *Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus,*

Portare peccata patiendo pro illis, eſt pœnas peccatorum ſubire.

Ezech: 18. 20. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filij*, id eſt non punietur pro peccato Filij: *Impietas impij erit ſuper eum*, hoc eſt ipſe portabit pœnas impietatis ſuæ. Quæ igitur tanta temeritas Arianorum eſt, contra receptum in ſcriptura loquendi modum, negare Chriſtum peccata noſtra portando, pœnas peccatorum non ſuſtinuiſſe? etenim hîc de ea portatione peccatorum agitur, quæ fit patiendo, ſeu cùm quis pro peccatis patitur. Inauditum verò eſt tum in ſcriptura, tum in bonorum authorum libris, eo ſenſu, aliquem dici portare ſua vel aliena peccata, hoc eſt patiendo pro illis, qui pœnas peccatorum non luat. Fruſtra igitur ſe fatigant Ariani in conquirendis aliis modis portandi peccata: hîc enim de eo tantummodo agimus, qui fit patiendo, qui modus nil aliud ſignificat, quàm pœnas peccatorum pati.

Chriſtus ſuſcepit in ſe peccata noſtra.

Deinde ſcriptura clariſſimè docet, non ſolùm Chriſtum portaſſe peccata, ſed etiam ea in ſe accepiſſe, quo omnia Arianorum figmenta excluduntur. Non enim alia ratione peccata noſtra in ſe accepit, niſi quia pœnas peccatorum in ſe luendas recepit. Id verò hîc ipſe locus Iſaiæ teſtatur. Nam expreſſè in eo dicitur: *Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrûm*, id eſt pœnas peccatorum noſtrorũ. Nam quod Socinus ait, aliter poſſe legi ex Hebræo, non habet ab eo diuerſum ſenſum, vtì Vatablus vertit, nẽpe, quod *Dominus effecit vt incurreret in ipſum omnium noſtrûm iniquitas*. Cùm enim dixiſſet, omnes nos quaſi oues erraſſe, ac proinde nos iniquitates noſtras portare debuiſſe, ſubiungit conſequenter, Deum non in nobis, ſed in ipſo iniquitates noſtras poſuiſſe. Portauit igitur Chriſtus iniquitates noſtras, tanquam ſibi impoſitas à Deo. Addit Iſaias: *Diſciplina ſeu caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum*, quo ſanè oſtendit pœnas, & caſtigationem peccatorum noſtrorum illi fuiſſe impoſitam: nos autem qui caſtigari merebamur, pacem conſecutos eſſe, ſeu à pœna liberatos. Verbum enim Hebræum propriè caſtigationem & punitionem, non verò ſimplicẽ afflictionem, vt vult Socinus, ſignificat. Illam igitur vulneratione & attritionem, qua attritus fuit Chriſtus propter peccata noſtra, vocat Propheta caſtigationem, mulctam ſeu pœnam, vt intelligatur in pœnam peccatorum noſtrorum illatam eſſe, ſicut & languores ac dolores noſtri, quos tulit pro nobis, ſunt illa vulnera & attritio ipſi pro nobis inflicta.

Ad hæc

Ad hæc dicitur portaſſe peccata, tanquam percuſſus à Deo & humiliatus, quod non niſi vindictam & pœnam peccatorum ſignificat. quis enim hominem innocentem pro peccatis alterius percutiat, niſi is peccatum alterius in ſe recipiat? Hinc igitur patet, Chriſtum peccata noſtra in ſe portaſſe, recipiendo ea in ſe & quodammodo baiulando. Ad quod facit exemplum illud hirci emiſſarij, Leu: 16. 20. quem ſacerdos poſita vtraque manu ſuper caput eius, omnia peccata filiorum Iſrael imprecans capiti eius, emittebat in deſertum. quem typum fuiſſe Chriſti fatetur Socinus: ei enim omnia peccata noſtra impoſita fuêre, & à nobis penitus ablata. Peccata verò Chriſto imponi & imputari, eſt pœnam peccatorũ ei imponi. Sic verò factum eſt, vt ab eo portata, à nobis fuerint ablata & aſportata. *Figura hirci emiſſarij.*

Ex his patet, quàm impudens ſit Smalcius, cùm negat, portare peccata patiendo, idem ſignificare, quod pœnas peccatorum perferre. hoc enim eſt omnes ſcripturas cùm de portandis illo modo peccatis loquuntur, negare: nec ab illo vel vnum exemplum ex ſcriptura, vel aliquo auctore in contrarium proferri potuit, aut poterit vnquam. Nam quod ait, eum quoque portare peccata alterius, qui illorum cauſa & occaſione patitur, etiamſi pœnas peccatis illius debitas non perferat, id vti falſum eſt; ita ab eo nullo exemplo probari poteſt. Etenim non quicunque occaſione & cauſa peccati alterius patitur, is vſitato loquendi modo dicitur portare peccatum alterius, ſed ſolùm is, qui ita cauſa peccatorum patitur, vt pœnas peccati illius perferat in ſeque recipiat. Si enim fur noceat Domino, Dominus patitur quidem damnum ob peccatum furis; non tamen idcirco dicitur portare peccatum furis; quia non ſuſtinet pœnas pro furto admiſſo. Et verò in loquendi modis in ſcriptura vſitatis, non id cõſiderandum eſt, ad quod de nouo adhiberi poſſint, ſed ad quid à ſcriptura paſſim & ſemper adhibeantur. Cùm igitur eiuſmodi loquendi modum ſcriptura nuſquam, niſi ad pœnas peccatorum denotandas vſurpet, ingens temeritas eſt ab vſu conſueto ſcripturæ recedere, atque alios nouos ac inuſitatos ſenſus ſequi, qui nullo ſcripturæ teſtimonio confirmari poſſunt. eo enim modo Iſaias cenſendus eſt dixiſſe, Chriſtum portaſſe peccata noſtra, quo modo in omnibus aliis ſcripturæ locis dicuntur portari iniquitates aliorum. *Smalcius ſcripturis deſtituitur.* *Inuſitatos in ſcriptura loquendi modos fingit.*

Similiter & illud falſum eſt, non poſſe dici, Chriſtum pœnas

 pecca-

peccatorum noſtrorum portaſſe, niſi eaſdem prorſus pœnas, quas nos peccatis noſtris meriti eramus, nempe mortem æternam, pertulerit. Etenim cùm pœna in pœnam commutari poſſit, quis non videt abſurdè hoc exigi, vt quis eandem prorſus pœnam pro alio patiatur, ſed ſatis eſt, vt ſiue eandem, ſiue illi æquiualentem patiatur.

Chriſtum Smalcius ait peccata portaſſe, id eſt ſuſtuliſſe.

Denique & illud falſiſſimum, Chriſtum dici portaſſe, id eſt abſtuliſſe peccata. Etſi enim portando abſtulerit: tamen portare nō eſt idem quod auferre. Nam portauit peccata noſtra Chriſtus, ea in ſe recipiendo, vti dictum eſt: ex quo deinde conſecutum eſt, vt auferrentur.

At enim, inquit Socinus, portare in ſcriptura aliquando idem ſignificat quod auferre, quod Ex: 34.7. conſtare ait, vbi, pro auferēs iniquitatem, in Hebræo eſt, portans. At nos non de quacunq; portatione peccatorum hîc agimus, ſed de ea, quæ fit, recipiendo in ſe peccata, & patiendo pœnas peccatorum. Deus autē non dicitur portare iniquitates patiendo, ſed eas aſportando & auferendo. Deinde etiam tunc, cùm Deus dicitur portare iniquitates, dicitur portando, id eſt recipiendo auferre; hoc enim modo portando aliquid, auferri dicitur, cùm à portante recipitur, & alio transfertur: quanquam hæc receptio non fit patiendo.

Portare patiendo eſt pœnas peccatorum ſubeundo ea tollere.

Defenditur Petri locus de perlatis à Chriſto peccatis in corpore ſuo.

Quocirca & locus ille 1. Pet: 2.24. *qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, cùm locum Iſaiæ explicet, eodem quoq; modo, quo locus apud Iſaiam intelligendus eſt. Si enim peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, certè peccata noſtra in corpore ſuo recepit, & pœnas ipſorum ſuſtinuit. At torquet Smalcius cum ſuo Socino hunc locum, contra omnium interpretū ſenſum: ait enim legi poſſe, ſuſtulit peccata noſtra in corpore ſuo, id eſt per corpus ſuum. Quod quàm durum ſit, quis non videt? quid enim hoc ad mentem Petri? is enim exemplo Chriſti paſſionis, nos ad patiendum inuitat ℣. 21. primùm ex eo, quòd patiebatur innocenter, *cùm peccatum non fecerit, nec dolus inuentus ſit in ore eius*. Secundò quòd patienter; *cùm enim malediceretur, non maledicebat*. Tertiò, quòd cum magna charitate, aliena peccata perferendo in corpore ſuo ſuper lignum. quæ tria nos ad patiendum Dei cauſa, plurimùm excitant. At ſi legatur, abſtuliſſe peccata noſtra, non eſt patientiæ exemplum, ſed gratiæ Chriſti beneficium.

Denique

Denique neque cum Iſaia congruit, ex quo Petrus, ſecundùm verſionem 70. eam ſententiam accepit. Vt enim oſtenſum eſt, Iſaias ait Chriſtum portaſſe peccata noſtra patiendo. Quare & Petrus dicere idipſum debuit, nempe pertuliſſe peccata noſtra in corpore ſuo patiendo pro eis ſuper lignum. quod etiam cum eo congruit, quod addit: *Cuius liuore ſanati ſumus* de liuore igitur, quem in corpore ſuo noſtra cauſa ſuſcepit ac pertulit, locutus ante fuerat: qui verbo perferendi, non auferendi ſignificatur. Quanquam etiamſi daremus Chriſtum ſuſtuliſſe peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum, ſufficienter intelligeretur, corpori eius peccata noſtra impoſita, & vnâ cum corpore ſuper lignum ſublata & affixa; quod quid aliud eſt, quàm peccata noſtra in corpore eius punita eſſe?

Verùm vrget Smalcius Matthæum, cùm Iſaiam exponit verbũ portauit, vſurpaſſe pro abſtulit. Matth: 8.17. ait enim Chriſtum omnes malè habentes curaſſe, *vt adimpleretur*, inquit, *quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* At Matthæus parum iuuat negotium Smalcij; etenim conſtat verbum portandi ab Iſaia ad peccata relatum, aliter accipiendum eſſe, quàm cùm à Matthæo per accommodationẽ quandam ad morbos corporis refertur. ab Iſaia enim dicitur Chriſtus peccata noſtra & dolores noſtros portaſſe, ea in ſe recipiẽdo, & pœnam peccatorũ luendo. Illos enim languores & dolores portauit, tanquam percuſſus à Deo, vulneratus, attritus, caſtigatus, liuidus ex verbere factus. *Deus enim poſuit in eo iniquitates noſtras.* Quare dici non poteſt, peccata noſtra doloreſque portaſſe, id eſt abſtuliſſe, ſed portaſſe, id eſt in ſe recepiſſe & ſuſtinuiſſe: licet conſequenter, portando & perferendo, etiam abſtulerit. At cùm Matthæus eadem Iſaiæ verba, non ad peccata & pœnas peccatorum, ſed ad morbos corporis accommodat, verbum portandi non habet eam ſignificationem, quàm apud Iſaiam de peccatis portandis. Non enim Chriſtus expertus eſt in ſeipſo, nec recepit morbos corporis, quos ſanabat, ſed dicitur portaſſe morbos corporis, quia eos abſtulit: ita vt portaſſe ſit idem quod aſportaſſe, abſtuliſſe. Ad ſummum igitur hoc habet Smalcius ex Matthæo, quod verbum portandi, vt ad morbos corporis refertur, habeat illam ſignificationem auferendi: non verò quod vt ab Iſaia ad peccata refertur: aliter ſiquidem peccata noſtra, aliter morbos noſtros

Iſaias à Matthæo citatus exponitur.

noſtros corporis portauit. Neque nouum eſt, eandem vocem ad diuerſas res applicatam ſecundùm diuerſam materiam ſubiectam, diuerſo modo ſignificare, ſcilicet prout illa res & materia exigit. Ex quo patet, nihil pro Smalcio facere Matthæum, cùm hic de portandis morbis loquatur: nos verò cum Iſaia de portandis peccatis agamus.

Cur Matthæus Iſaiā de morbis corporis expoſuerit.

Cur verò Matthæus de morbis corporis expoſuerit, quod Iſaias de morbis animæ, id eſt peccatis intellexit, non leuis eſt apud interpretes controuerſia. Sanè qui peccata noſtra curauit, ea in ſe recipiendo & pœnas eorum perferendo, morbos quoque corporis curaturus erat; vt pote qui ex peccato originem duxerunt. Ad hæc curationem peccatorum à curatione morborum inchoauit, vt ex eo verus curator animorum, qui animas à peccatis curaret, innoteſceret; & ſic ad curandas animas perueniret. Quare potuit Matthæus eũ quoq; ſenſum de curandis corporis morbis ex Iſaiæ verbis elicere, ſiue tanquam literalem, ſiue tanquam ex literali elicitum. Non ergo cogit authoritas Matthæi (vt temerè exiſtimat Smalcius) verba Iſaiæ, vt ad peccata referuntur, de auferendo accipienda eſſe, ſed tantùm vt ad morbos corporis ſecundariò accommodantur. Noſtra autem controuerſia eſt, non de morborum, ſed de peccatorum noſtrorũ à Chriſto portatione, quam eſſe diuerſam à portatione morborum, & Iſaias & omnes ſcripturæ clariſſimè docent.

Satisfactio probatur.

Tandem Smalcius ait, etiamſi concedatur Chriſtum portaſſe pœnas peccatorum noſtrorum, non tamen inde concludi, ipſum ſatisfeciſſe pro peccatis. Siquidem non eaſdem prorſus pœnas, quas nos merebamur, hoc eſt mortem æternam, pertulit. At Smalcius, eam conſecutionem nullo modo negare poteſt. Eadem enim ſcriptura, quæ aſſerit Chriſtum languores noſtros & dolores noſtros, hoc eſt, eas pœnas, quas nos commeruimus, portaſſe (quatenus enim illi dolores erant noſtri, id eſt noſtris peccatis debiti, à Chriſto portabantur) aſſerit etiam eo fine pœnas peccatorum noſtrorum portaſſe: idque pacto Diuino intercedente, vt nos à peccatis & eorum pœnis liberaret. quod in eodem Iſaiæ loco docetur. Atqui cùm aliquis pœnas pro peccatis alterius ex pacto ſuſcipit, vt eum illa ratione peccatis & pœnis conſequentibus liberet, idque tandem reipſa efficit, eo, qui offenſus eſt, conſentiente, is proculdubio ſatisfacit pro peccatis

catis alterius: eiquè ex iuſtitia (quia ex pacto) debetur remiſſio peccatorum: ſicut ei, qui pro altero debitum ſoluit, debetur ex iuſtitia debiti remiſſio & extinctio.

Non ſum neſcius, non omnem eum, cui pœnæ peccatorum infliguntur, ſatisfacere pro peccatis. Infliguntur enim & damnatis & malis hominibus: qui tamen pro peccatis ſatisfacere non dicuntur. At cùm quis ſponte recipit pœnas pro peccatis alterius luendas, idq; pacto Diuino intercedente, & ſatisfactionem acceptante, is proculdubio ſatisfacit: quia pœnas pro pœnis offert Deo aſſentiente ratũq; habente. Nec verò requirebatur ad ſatisfactionem, vt eadem prorſus pœna, quam alter meruerat, ſuſcipiatur: pœnam enim in pœnam commutari poſſe, nullus, niſi qui mentis non ſit compos, infitiari poteſt.

Ex quibus omnibus concludo, Chriſtum verè & peccata noſtra portaſſe, & pœnas peccatorum pertuliſſe, & conſequenter pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe. Iam ad alia ſcripturæ teſtimonia veniamus.

Satisfactio Chriſti pro peccatis noſtris ex eo probatur, quòd propter peccata noſtra & pro peccatoribus mortuus ſit. *Caput VII.*

PAſſim in ſcriptura legimus, Chriſtum pro peccatis & propter peccata noſtra paſſum & mortuum eſſe. Iſaiæ 53. *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* & *propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Rom: 4. 23. *Traditus eſt propter peccata noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* 1. Pet: 3. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* Rom: 5. 9. *Cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* 1. Cor: 15. 3. *Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt.* Ex quibus ſcripturæ locis ita argumentamur.

Secundùm communem loquendi modum ſcripturæ, & omniũ, propter peccata ſeu pro peccatis pati & mori, nihil aliud eſt, quàm propter peccata vel à ſe admiſſa, vel in ſe recepta puniri; ita vt peccata à nobis, vel ab aliis admiſſa, ſint cauſa quaſi efficiens talis pœnæ. Ergo cùm Chriſtus propter peccata vel pro peccatis ſit mortuus, cõſequens eſt, eum pœnas peccatorum noſtrorum in ſe recepiſſe & paſſum eſſe.

Propter peccata affligi eſt pœnas peccatorum ſubire.

Et quidem quoad ſcripturas attinet, nullibi reperies de aliquo dictum, quòd pro peccatis vel propter peccata paſſus aliquid ſit, niſi eo ſenſu, quòd ob peccata punitus ſit, & in compenſationem peccatorum. Peccatum ſiquidem compenſatur per pœnam, 1. Reg: 14. 16. *Tradetq́; Deus Iſraelem propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Ieruſalem.* Pſal: 38, 12. *Propter iniquitatem corripuiſti hominem.* Pſal: 72. 19. *Perierunt propter iniquitatem.* Pſ: 106. 17. *Propter iniuſtitias ſuas humiliati ſunt.* Leu: 26. 21. *Addam plagas veſtras in ſeptuplum propter peccata veſtra.* & ℣. 39. *Propter peccata Patrum ſuorum & ſua affligentur.* Deuter: 18. 12. *propter ſcelera eorum delebo eos.* & in ſexcentis aliis locis ſimilia proferri poſſunt. Ab Aduerſariis autem, ne vnus quidem locus proferri poteſt, in quo quis propter peccata afflictus dicatur, qui non in pœnam peccatorũ afflictus ſit. Idem habet communis omnium mos loquendi. quis enim alio ſenſu dicet, aliquem propter ſua furta vel ſcelera morti addictum eſſe, niſi in pœnam furtorum & ſcelerum? Quare Smalcius cum ſuo Socino confinxiſſe cenſendus eſt nouos ſenſus huius loquendi modi, non verò explicuiſſe ſenſum ſemper in ſcripturis, & apud omnes homines vſitatum.

Vox (propter) cauſā efficientem & finalem ſignificat ſecundùm ſubiectam materiam.

Nam cùm ait particulam *propter*, cauſam ſignificare, & propter peccata mori, eſſe cauſa peccatorum mori. Poteſt autem, inquit, quis cauſa peccatorum mori, etiamſi pœnas peccatorum non perſerat, ſed peccatorum tollendorum cauſa patiatur. quod eſt, peccata eſſe cauſam finalem, non efficientem talis mortis. Reſpondendum eſt, particulam *propter*, ex ſe ſignificare cauſam, ſiue finalem, ſiue efficientem. Vt ſi quis dicat, ſe pati propter regnum cælorum, ſignificatur cauſa finalis: Si verò quis propter nomen Chriſti perſecutionem patiatur, indicatur cauſa efficiens afflictionis: tamen in ſubiecta materia, cùm quis dicitur pati, vel ab alio affligi propter peccatum, ex communi tam ſcripturæ quàm omnium loquentium more, cauſa efficiens deſignatur, vt probatum eſt. Peccata enim ſunt cauſa afflictionum efficiens & per modum pœnæ. Quare cùm quis dicitur propter peccata pati, dicitur pati tanquam propter cauſam efficientem: efficit autem peccatum afflictionem ſub ratione pœnæ, Quare cùm quis dicitur propter peccata pati, dicitur pati tanquam propter cauſam efficientem: efficit autem peccatũ afflictionem ſub ratione pœnæ, qua compenſatur & luitur culpa. Vnde patet particulam,

culam *propter*, applicatam ad alias res, poſſe variè accipi, & ſignificare varias cauſas, prout ſubiecta materia requirit: applicata tamen ad peccatum & afflictionem eius cauſa ſuſceptam, non ſignificat, niſi cauſam efficientem, propter quam infligitur afflictio; vt patet tum ex communi ſcripturæ & omnium ſcriptorum vſu: tum ex ratione ipſa. Si enim particula *propter*, ſignificat peccata eſſe cauſam afflictionum; peccata autem ſunt cauſa afflictionum efficiens (ſiquidem culpa eſt cauſa efficiens pœnæ) ſequitur, ſi quis propter peccata tollenda dicatur pati, tanquam propter finem, id non niſi ſecundario, mediatè & conſequenter verificari. Nam primario & immediatè diceretur pati propter peccata, tanquã propter cauſam efficientem talis pœnæ: ſecundariò verò mediatè & conſequenter, pœna illa pro peccatis ſuſcepta ad finem veniæ peccatorum obtinendæ, ſeu ad peccata tollenda refertur: ſiquidem illa pœna eo ſpectat, vt veniam peccatorum conſequatur: ita vt immediatè illa pœna ſit propter peccata, tanquam cauſam efficientem: mediatè propter peccata, tanquam cauſam finalem. Abſolutè verò nunquam quis dicitur propter peccata pati, niſi quum ei pœna peccatorum infligitur. *Pati propter peccata, quid?*

Vana igitur & inutilis eſt illa Grammatica Smalcij Sociniq́ue, dicentium particulam *propter*, poſſe cauſam finalem ſignificare. hoc enim non negatur; ſed dicitur in ſubiecta materia, cùm afflictio dicitur eſſe propter peccatum, non niſi cauſam efficientem ſignificare: vt ex communi loquendi modo colligitur: cumq́; ſcriptura ſecundùm Aduerſarios per ſcripturam explicanda ſit, conſequens eſt, Chriſtum in ſcriptura eo ſenſu dici propter peccata paſſum & mortuum: quo ſenſu in omnibus aliis ſcripturæ locis, dicuntur aliqui propter peccata ſua vel aliena pati & mori: nunquam verò quis dicitur propter peccata pati, niſi cùm propter peccata punitur: ſi verò etiam propter peccata tollenda patiatur, adijci aliquid oportebit, quo ſignificetur ille modus loquendi, à communi & vſitata ſua ſignificatione transferri ad inuſitatam & nouam. Nam cùm hoc modo loquendi propriè ſignificetur, peccata eſſe cauſam afflictionum efficientem, ſequitur, ſi quis aliam aliquam cauſam ſignificare vellet, debere ipſum adijcere aliquid, quod indicetur hanc nouam rationem cauſæ ſignificari, quam peccata ex ſe non habent, ſed ex intentione & relatione patientis. Alioqui ſi nihil tale adijciatur, intelli- *Grãmatica Smalciana.*

telligitur, ſecundùm vſitatam ſignificationem, eum modum loquẽdi accipiendum eſſe.

Satisfactio colligitur.

Inſtat verò Smalcius, hinc ſatisfactionem pro peccatis non colligi. At fateor, non omnem perpeſſionem pœnæ pro peccato ſatisfactionis rationem habere: cùm nec in damnatis, nec in impijs, quos Deus punit, ſatisfactio pro peccatis locum habeat. Verùm ea pro peccatis afflictio, quæ peccatorum tollendorum cauſa ſuſcipitur ex pacto & promiſſione Diuina, veriſſimam rationem ſatisfactionis habet. Talis verò Chriſti afflictio, quam pro peccatis noſtris pertulit, fuit: vnde meritò per eam ſatisfeciſſe pro peccatis dicendus eſt.

Idem argumẽtum ducitur ex illis ſcripturis, quæ Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum aſſerunt: idem enim eſt pro peccatis mori, & propter peccata mori. Quemadmodum igitur propter peccata noſtra mortuus eſt, quia pœnam peccatorum noſtrorum ſuſcepit: ita & pro peccatis idcirco mortuus dicitur, quia mortem in pœnam peccatorum noſtrorum pertulit. Adhæc tam in ſcriptura, quàm ſecundùm vſitatum loquendi modum, pro peccatis affligi vel affligere, nil aliud ſignificat, quàm pœnam peccatorum ſubire vel inferre; vt cùm dicitur pro ſcelere aliquis pati, condemnari, cruciari. Neq; refert, quòd particula *Pro*, cauſam etiam finalem ſignificare poſſit, vt cùm pro Regno cælorum dicimur facere, ſignificamus cauſam finalem, quia nimirum ad conſequendum regnum cælorum facimus: nam in ſubiecta materia, cùm agitur de afflictione pro peccatis, nũquam ſignificat cauſam finalem, ſed efficientem: quia peccata ſunt cauſa efficiens afflictionis: & hæc acceptio eſt omnibus vſitatiſſima. Neque Smalcius probare poteſt vllo ſcripturæ exemplo, pati pro peccato, eſſe quid aliud, quàm pœnam pro peccato ſubire. Cuius rationem paulò ante indicauimus, quòd peccatũ reſpectu afflictionis ex ſe habet rationem cauſæ efficiẽtis. Quare cùm indicatur per particulam, *pro*, eſſe cauſa afflictionis, indicatur cauſa efficiens. Nõ igitur ex particula, *pro*, præciſè ſumpta argumentamur, ſed ex particula, *pro*, ad talem ſubiectam materiam applicata: in qua particula, *pro*, cauſam efficientem ſignificat, tum ex cõmuni & recepto dicendi modo, tum ob rationem dictam. Quare futilis eſt illa Smalcij & Socini expoſitio, pro peccato mori, eſt cauſa peccati, vel occaſione peccati mori. Non enim in tali loquendi modo cauſa qualiſcunq; ſignifi-

Particula pro, quid ſignificet.

ſignificatur, ſed ea, quam ſubiecta materia poſtulat, nempe cauſa efficiens: peccata enim ex ſe ſunt cauſa efficiens afflictionum, & hæc cauſa in communi illo & vſitato loquẽdi modo ſignificatur. Cùm verò ait, non idem eſſe pro peccato mori & pro peccato ſatisfacere: poteſt enim quis pro peccato mori, & non ſatisfacere. Reſpõdendum eſt, ſi illa mors ad obtinendam peccati veniam ſuſcipiatur ex pacto & acceptatione Diuina, erit mors illa ſatisfactoria. Talis verò fuit mors Chriſti, vt ſupra dictum eſt.

Denique hoc eodem ſenſu accipienda ſunt, illa ſcripturæ loca, quæ teſtantur Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum eſſe. Licet enim poſſit quis pro altero mori, pro quo neque ſatisfacit, neque pœnas peccatorum illius perfert; quomodo dicimur nos pro fratribus noſtris animas ponere, non ſatisfaciẽdo pro peccatis eorum, nec pœnas peccatorum ipſorum perferendo, ſed in gratiam & in bonum illorum; ita vt, *pro*, ſignificet cauſam finalem; tamen cùm quis pro alio moritur tanquam pro peccatore & ſcelerato, is eo ſenſu dicitur pro alio mori, quia pro peccatis eius moritur, & pœnas peccatorum illius luit. Sic verò Chriſtus in ſcriptura pro nobis paſſus & mortuus dicitur, videlicet tanquam iuſtus pro iniuſtis, & tanquam pro peccatoribus, ac proinde in pœnam peccatorum noſtrorum, Rom: 5. 6. 9. 1. Petr: 3. 18. Iſa: 53. 6. 10. vbi cùm ea comparatio fiat, quòd nos eramus peccatores, patiq; ac puniri merebamur: ipſe tamen pro nobis paſſus & mortuus eſt, an non eo ipſo indicatur, illum ita pro nobis paſſum, vt pœnas quas nos merebamur, in ſeipſo exciperet.

Mori pro peccatore, eſt pro illo pœnam ſubire.

Ex quo patet, nos non grammaticè argumentari ex particula, *pro*; quam non neſcimus poſſe varias cauſas ſignificare, ſed ex particula, *pro*, in tali materia, in qua neceſſe eſt cauſam efficientem ſignificari, vti dictum eſt.

Patet etiam, Chriſtum peccata noſtra abſtuliſſe, non vt vult Smalcius, annunciatione Euangelij, quod promiſſionem vitæ æternæ continet, ſed pœnas peccatorum noſtrorum perferendo, & per eam veniam nobis obtinendo, vt hactenus ex ſcripturis probatum eſt. Annunciatio verò Euangelij non remittit peccata, ſed indicat Chriſtum, cuius ſanguine & morte nobis obtenta eſt remiſſio peccatorũ. Neque enim Euangelium per ſe remittit peccata, ſed ſolùm docet modum remiſſionis. *Propoſuit enim Deus, Chriſtum propitiationem per fidem in*

Chriſtus quomodo peccata abſtulit.

 dem in

dem in ſanguine ipſius Rom: 3. 25. *& præcepit prædicari in nomine eius remiſſionem peccatorum.* Luc: 24. 47. Neque per fidem quamcunque nobis remittuntur peccata, ſed per eam duntaxat, qua credimus Chriſtum ſanguine ſuo nobis obtinuiſſe remiſſionem peccatorum, & eam debitis modis amplectimur, per veram pœnitentiam & conuerſionem ad Deum: ita vt remiſſio peccatorum noſtrorum, ſit quidam effectus & gratiæ Dei, & ſanguinis Chriſti. Deus enim eam gratiam nobis tribuit, propter ſanguinem & mortem Chriſti.

Per quam fidem remittuntur peccata.

Tandem & illius loci apud Paulum 2. Cor: 5.21. ſententia conſtat, *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt efficeremur iuſtitia Dei in illo:* ſiue enim nomine peccati, intelligamus hoſtiam pro peccato, phraſi cõſueta ſcripturæ, quę ea, quæ pro peccato offeruntur, peccata vocat; *peccata*, inquit, *populi tui comedet*, hoc eſt hoſtias pro peccatis oblatas, Oſeæ 4.8. ſiue intelligamus Chriſtum ſicut peccatorem malè habitum & tractatum, vt vult Socinus, ex vtraq; expoſitione ſequitur, Chriſtum pœnas peccatorum noſtrorum in ſe ſuſtinuiſſe. Fuit enim hoſtia pro peccato per paſſionem & mortem. Quod indicat illa antitheſis, *eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, ac ſi diceret, etſi Chriſtus peccatum non nouerat, ac proinde pœnas nullas peccatorum merebatur: nihilominus fecit illum Deus peccatum, & pœnas peccatorum illi inflixit, idque pro nobis: nos enim merebamur puniri, quia noueramus peccatum. Deus verò nobis relictis in ipſum innocentem deſæuiit, & in ipſum pœnas noſtras tranſtulit.

Chriſtus pro nobis peccatum factus.

Et ſanè ille modus loquendi indicat, Chriſtum etſi non nouerit peccatum, ita tamen tractatum eſſe, ac ſi nouiſſet peccatum, hoc eſt pœnis peccatorum affectum; ſicut is affici ſolet, qui peccatum nouit, idque pro nobis; quia ſcilicet nos non ſumus puniti, ſed ille pro nobis, quod eſt Chriſtum peccatorum noſtrorum pœnas vice noſtra ſuſtinuiſſe. Hoc enim etiam alibi inculcat ſcriptura, quòd cùm nos peccauiſſemus, ipſe tamen, non nos puniti ſimus. ſic Iſa: 53. 4. *Nos putauimus eum, quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum,* id eſt propter peccata ſua punitum. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina ſeu caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum.* Quibus verbis indicat Iſaias, Chriſtum vice noſtra punitũ, non propter ſua, ſed propter noſtra peccata, & pœnas noſtras in ipſum tranſ-

ſum tranſlatas eſſe. & infra ℣. 9. *eo quòd iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius, & Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Quod quid aliud eſt, quàm Chriſtum, etſi iniquitatem non fecerit, pœnas tamen iniquitatis luiſſe. Opponit enim innocentem peccatoribus quoad punitionem, quòd ea pœna illi inflicta fuerit, quæ peccatoribus debetur: etiamſi ille peccatum non fecerit. Quorſum enim cõmemoraret, eum peccatum non nouiſſe, niſi quia pœnas peccatorum ſubiit, quæ peccantibus debebantur. Et hoc illud eſt mirabile, quòd non cognoſcenti peccatum, peccatorum pœnæ ſint inflictæ.

At reſpondet Smalcius, poſſe aliquem, vt peccatorem tractari, etiamſi illas pœnas, quas peccator meritus erat, non perferat. At non intelligit Smalcius, vim oppoſitionis illius: quòd Chriſtus etiamſi non noſſet peccatum: tamen vt peccator tractatus ſit, id pœnas eas, quæ noſcenti peccatum debentur, ſuſtinuerit. Nam ſi non ageretur de pœnis peccatorum, nulla eſſet vis in eo, *quòd non nouerit peccatum.* in promptu enim eſſet reſponſio, Chriſtum non ea paſſum eſſe, quæ patiuntur ij, qui peccata nouerunt, hoc eſt pœnas peccatorum. Vt ſi quis pro Reipub. ſalute in bello occumberet, non rectè de eo diceretur, quod etſi nullum ſcelus admiſiſſet, occubuerit: Nõ enim in bello occũbunt propter ſcelera admiſſa, nec in pœnam ſcelerum, ſed ob defenſionem patriæ. Quare, & Chriſtus, ſi pœnas peccatorum non pertulit, non aptè fuiſſet de eo dictum, quòd etſi peccatum non nouerit, factus ſit pro nobis peccatum. Illæ enim afflictiones, quas pertulit, non eſſent tales, quales peccatoribus ob peccata debentur. At ſi pœnas peccatorum pertulit, aptè dictum eſt, eum qui peccatum non nouerat, factum eſſe pro nobis peccatum: hoc eſt, etſi pœnas illas peccatis ſuis non mereretur: ſiquidem peccatum non nouerat; tamen eas pro nobis & pro peccatis noſtris pertulit, factus pro nobis peccatum: ita vt neceſſarium planè ſit, Paulum de perpeſſione pœnarum peccatis debitarum locutum eſſe. *Vis argumenti.*

Porrò quẽadmodum is qui pro Repub. dimicans, in bello moritur, non dicitur mori vt ſceleratus, ſed vt miles: quia non in pœnam ſcelerum moritur; ſolumque is dicitur mori, vt ſceleratus, qui in pœnam ſcelerum ſuorum vel alienorum occiditur & moritur: ita & Chriſtus, ſi in pœnam peccatorum noſtrorum mortuus non eſt, non poteſt dici fuiſſe afflictus & occiſus, vt peccator: ſiquidem

nullas

nullas peccatorum pœnas ſuſtinuiſſet. Quocirca falſum eſt, quod aſſerit Smalcius, poſſe quem vt peccatorem tractari, etiamſi pœnas peccatorum non perferat, nec reſpectu peccatorum affligatur.

Pari modo intelligendum eſt & illud, Gal: 3. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt, maledictus omnis qui pendet in ligno.* Sicut igitur maledictio in lege peccatis præſcripta, erat execratio illa in pœnam peccatorum inflicta, propter quam execrabilis & deteſtabilis haberetur is, qui legem non ſeruabat. Deut: 27. 26. ita Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum, quia maledictionem & execrationem pendentis in patibulo ſponte in ſe ſuſcepit pro nobis, vt nos à maledicto legis redimeret, maledictum pro maledicto, mortem pro morte commutando.

Chriſtus pro nobis maledictum.

Socinus fol: 73. de Seruatore reſpondet, Chriſtum non ſuſcepiſſe eam maledictionem, quam lex minabatur, nempe mortem æternam. At errat Socinus. Nam legis maledictio, non ſolùm pœnā æternam continebat, ſed & execrationem temporalem apud homines, vt ſcilicet haberetur pro deteſtabili ab omnibus & periret de medio populi ſui, Leuit: 18. 29. Chriſtus igitur ſuſcipiendo maledictionem pendéntis in cruce, quæ habetur Deut: 21. 25. ſuſcepit maledictionem temporalem præſcriptam in lege. Neq; verò neceſſe eſt, vt putat Socinus, ad ſatisfactionem, eandem totam pœnam, quæ peccanti debebatur, pati: nam ſatis eſt, vt pœnam æquiualentem quis patiatur. poteſt enim pœna in pœnam commutari. Pœnam verò à Chriſto ſuſceptam fuiſſe valoris maximi, atque adeò ſufficientis ad peccata noſtra tollenda ſcriptura paſſim teſtatur. Cùm ſanguinem Chriſti pretioſum, magni pretij, ἀντίλυτρον, id eſt pretium pro nobis commutatum nominat, & maiorem vim habuiſſe ait, ad emundandas conſcientias à peccatis, quàm ſanguinem animalium ad emundandas immmunditias carnis.

Legis maledictio quæ?

Pœna Chriſti maximi valoris.

Chriſtum ſuo ſacrificio pro peccatis hominum Deo ſatisfeciſſe demonſtratur. Caput VIII.

NON eſt dubium, ſacrificium pro peccatis oblatum, ſi perfectū ſit & ſufficiens, vim habere ad ſatisfaciendum pro peccatis, tum ratione rei oblatæ, ſi res oblata ſit maximi valoris: tum ratione pœnæ,

pœnæ, ſi cum pœnis & cruciatibus offeratur. His enim duobus fieri ſatisfactionem pro iniuria omnes docent. Cùm enim tanta fit compenſatio, quanta fuit iniuria illata, ſatisfit iniuriæ ad æqualitatem. Si igitur vtrumq; concurrat in vnum ſacrificium, vt & res ſummi valoris pro peccato offeratur Deo tanquam pretium animæ, (ſic enim oblatio pro peccato appellatur pretium animæ, 4. Reg: 12. 4.) & inſuper pœnæ ac cruciatus adiungantur; ſacrificium illud duplicem vim ſatisfaciendi habebit, & ratione rei oblatæ, & ratione pœnarũ ac cruciatuum, cum quibus fit oblatio. *Satisfactio ſufficiens.*

Tale verò eſt ſacrificium Chriſti, in quo & res omnium maxima & pretioſiſſima eſt oblata Deo, corpus nimirum & ſanguis Filij Dei: & oblata eſt cum ſummis cruciatibus & pœnis Chriſti. Non igitur dubium eſſe poteſt, ſacrificium Chriſti ſummam vim habere ad ſatisfaciendum pro peccatis. quod etiam Paulus in epiſt: ad Hebr: multis capitibus probat, comparans ſacrificiũ Chriſti cum ſacrificiis legalibus, oſtendens hæc imperfecta & inſufficientia ad peccatorũ expiationem fuiſſe: impoſſibileque eſſe ſanguine taurorum aut vitulorum remitti peccata. Chriſti verò ſacrificium & perfectiſſimum in ſe eſſe, & ad expianda peccata ſufficientiſſimum: indeque eſſe, vt hoc vnum ſemel factum, ad omnia peccata ſufficiat: illa verò, quòd eam vim non haberent, toties repeti debuerint. aut igitur negare debent Ariani ſacrificium Chriſti perfectam vim habuiſſe ad tollenda peccata, quod eſt contra Paulum: aut concedere nobiſcum debent, habuiſſe vim ſatisfaciendi pro peccatis. Vis enim ad tollenda peccata in ſacrificio eſt per oblationem Deo, rei tanti valoris & pretij, quæ ad redimenda peccata ſufficiat. hoc autem quid aliud eſt, quàm ſatisfactio? cùm enim datur, res ſummi valoris pro damno vel debito, compenſatur damnum, & ſatisfit pro debito. Qui etiam ſuos cruciatus offert ad liberandum alium à peccatis, ſi cruciatus ſint ſuo modo æquales peccatis, non eſt dubium, quin pro illis ſatisfaciat. *Chriſti ſacrificium ſufficiens.*

Ab hoc argumento expedire ſe Smalcius nunquam potuit, cùm ad illud diſſoluendum plurima abſurda & blaſphema confingere ſit coactus. Primùm igitur aſſerit, ſacrificia pro peccato non eſſe compenſationes pro peccato, neç id vllo modo probari poſſe. At id negare nemo poteſt, niſi is, qui, quid ſit offerre pro peccato, prorſus nō intelligit. Cùm enim ſceleris reus offert dona aliqua ei, quem offendit, id-

dit, idque pro iniuria à ſe illata; quis non videt, dona illa in compenſationem ſceleris ſui & iniuriæ illatæ offerre? vt quantum iniuria alterum affecit, tantum donis & honoribus eundem placet. Et quidem ſi rem tanti valoris offerat, quæ cenſeatur damno vel iniuriæ illatæ par, erit compenſatio ſufficiens & perfecta. Si verò fuerit longè impar, erit compenſatio intenta magis, quàm perfecta; ex animo quidem compenſandi profecta, ſed re ipſa ad effectum non deducta; vt ſi pauperrimꝰ quis pro maximis debitis offerat illud modicum quod habet, verè quidem non compenſat, quia non reddit æquale, facit tamen quod poteſt ad compenſandum. Cùm igitur in ſacrificio offerantur Deo dona pro peccatis, eaq; in honorem ipſius inſumantur, dubium non eſt, in compenſationem offerri, idq; ex natura ſacrificij eſſe: neq; tamen in omni ſacrificio eſſe veram & perfectam compenſationem, niſi cùm ſacrificium eſt perfectum & ſufficiens, & ſuo modo par peccato. Quod cùm teſte Paulo non fuerit in ſacrificiis legalibus: quippe quæ fuerint imperfecta, infirma minimeque ſufficientia, idcirco & ſi in compenſationē quandam peccatorum offerrētur, nequaquam tamen per ea fiebat re ipſa compenſatio perfecta & ſufficiens pro peccatis, neque vnquam potuerunt ex ſe efficere remiſſionem peccatorum, ſed ea remiſſio peccatorum tota ex liberalitate & gratia Dei fiebat, non virtute ſacrificiorum illorum.

Sacrificia pro peccato fiunt in cōpenſationē.

Nec verò repugnat offerri in compenſationem id, quod non eſt ſufficiens ad compenſandum, nec eſt æquale ei, pro quo fit compenſatio. Nam & pretium paruum, ſi pro re magni valoris offeratur, offertur vt pretium; non tamen efficiet emptionem, niſi ex gratia & liberalitate venditoris, non autem ex vi pretij. Sic igitur offerebantur in lege veteri ſacrificia pro peccatis, non quòd paria eſſent peccatis, ſed vt modicum illud quod offerebatur, index eſſet animi ad cōpenſandum parati, ſi per vires & facultatem liceret. Chriſti verò ſacrificium perfectum fuit & ſufficiens, Paulo teſte, ad emundanda peccata: idcirco vim quoque perfectam & ſufficientem ad compēſandum & ſatisfaciendum pro peccatis habebat: cùm id natura ſacrificij & oblationis pro peccato poſtulet, vt ſit oblatio in compenſationem & ſatisfactionem pro peccato; ſiue abſolutè & ſimpliciter, cùm par & æquale offertur; ſiue ſecundùm quid, cùm aliquid,

quantum eſt ex nobis, in compenſationem offertur: re tamen vera non fit compenſatio, propter inæqualitatem. Neq; tamen in vanum offertur. illa ſiquidem oblatio ex animo humili profecta, prouocat Dei liberalitatem & gratiam.

Smalcius igitur communem ſenſum negat, cùm ſacrificia pro peccato, in compenſationem fieri negat: negaturus pariter, cùm quis damno alteri facto, offert eidem rem magni valoris pro damno, ad compenſationem damni rem illam offerri. Cùm verò homo hæreticus in Pontificios inuehitur, Satisfactionem, illorum eſſe propriũ dogma, aſſerens, nec ſeipſum, nec Pontificios, quid dicant, intelligit. Nam de Satisfactione Chriſti, non Pontificiorum, ſed omniũ Chriſtianorum, qui hucuſque fuerunt, eſt communiſſimum dogma. quod verò ad noſtram ſatisfactionem attinet, Pontificij nunquam aſſeruerunt, nos operibus noſtris ſatisfacere pro peccatis, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam æternam. Remiſſionem enim tam culpæ quàm pœnæ æternæ, eſſe ex gratia Dei per redemptionem Chriſti, libenter agnoſcunt & confitentur; oppoſitum verò errorem, hæreſim eſſe manifeſtam pronunciant. At quia remiſſa culpa & pœna æterna, manent in iuſtis pœnæ peccatorum temporales, quas ſæpe etiam in hac vita ab ipſis exigit Deus, quod ex ſcripturis clariſſimè demonſtratur: idcircò per pœnas temporales aiunt, iuſtos ſatisfacere pro pœnis temporalibus peccatis debitis. Neque verò pœnam temporalem alia pœna temporali compenſari, eſt tantas res, vt facultatẽ humanam ſuperet, præſertim Diuina gratia fultam. Finiti enim ad finitum eſt proportio; neque Diuina gratia in iuſtis eſt adeò infirma & inefficax, vt ne ad modicam quidem pœnam compenſandam ſufficiat.

Doctrina Catholica de ſatisfactione.

Pœna temporalis poteſt alia pœna temporali compenſari.

Verùm Ariani, quia culpa remiſſa remanere pœnam temporalem contra ſcripturas pernegant: idcircò & ſatisfactionem pro ea non admittunt. Ex quo patet, qua cenſura dignum ſit, quod ſcribit Smalcius, omnem veram ſatisfactionem pro peccatis vanam eſſe, nullamque dari prorſus. Etenim ſi ſatisfactionem Chriſti excludat, eſt turpiſſimus contra ſcripturas error Arianorum. Si verò de noſtra ſatisfactione loquatur, eam nos quoq; reſpectu culpæ & pœnæ æternæ, non admittimus: ſi verò de ſatisfactione, quæ fit pro pœna temporali poſt culpam iam remiſſam, agat, ſuum errorem prodit, cùm

Pœna temporalis culpa remiſſa manet.

negat in iuſtis, culpa remiſſa, remanere pœnam temporalē luendam: quem errorem eſſe, vel vnius Dauidis exemplo diſcere potuit, cui tranſlato peccato, fuit propoſita pœna temporalis pro peccato luenda. quod etiam plurimis alijs accidiſſe in ſcriptura legimus.

Smalciani errores de ſacrificio.

Aſſerit ſecundò, Chriſtum in cruce ſacrificium non obtuliſſe: illud verò quod in cœlis offert, ſatisfactorium non eſſe; cùm non fiat patiendo. Verùm hic error, quo contra manifeſtas ſcripturas negat, Chriſtum ſacrificium in cruce obtuliſſe, potentiſſimè à nobis refutatus eſt, 2. de erroribus Arianorum, cap: 11. & ſequentibus. Quod verò ad ſacrificium cœleſte attinet, illud Smalcius neq; verè & propriè eſſe ſacrificium, neque Chriſtum verum & proprium ſacerdotē fuiſſe, per ſummam impudentiam aſſerit: quem itidem errorem ibidem refutauimus. Vt vel ex hoc intelligere quiſque poſſit, homines iſtos ſacrificium nouæ legis, in quo tota redemptionis ratio poſita eſt, penitus ſuſtuliſſe: cùm nullum verum & propriè dictum ſacrificium agnoſcant, ſed improprium & metaphoricum; quomodo opera noſtra Dei cauſa facta, dicuntur in ſcriptura ſacrificia.

Et verò cùm ſacrificium Chriſti conſtitutum velint in illa interpellatione & aſſiſtentia vultui Dei pro nobis, ſeu in illa cura interpellandi; quis non videt, maiori ratione ſanguinis effuſionem pro nobis, dicendam eſſe ſacrificium: niſi fortè minor illa cura cenſenda ſit, quæ illi ſanguine proprio conſtitit, quàm ea cùm pro nobis interpellat. Quid verò mirum, ſi ſacrificium illud, quod in cœlo peragitur, vim ſatisfaciendi habere negent, cùm neq; ſacrificium verum eſſe concedant. At ita abſurda ex abſurdis nectit Smalcius, vt in maiora ſemper incidat.

Corporis Chriſti & ſanguinis oblatio.

Nam & illud quantum abſurdum cenſeri debet, nuſquam in ſcripturis legi, de oblatione corporis & ſanguinis Chriſti; nonne ſicut corpus Chriſti pro nobis traditum legitur: ita & ſanguis eius pro nobis fuſus. Luc: 22.19.20. Quid verò eſt, corporis Chriſti pro nobis traditio, & ſanguinis effuſio pro nobis, quàm oblatio corporis & ſanguinis Chriſti. Si enim caro hircorum & vitulorum pro peccatis mactata, & ſanguis eorum pro peccatis fuſus, erat oblatio vera, cur non itidem caro & ſanguis Chriſti? Quomodo verò Paulus Heb: 10. 10. aſſerit nos ſanctificatos eſſe *per oblationē corporis Chriſti ſemel?* quando enim ea oblatio facta eſt ſemel, niſi in cruce, cùm corpus Chriſti pro no-

pro nobis traditum legimus? in cœlo enim corpus Chriſti, tanquam iam in cruce pro nobis oblatum, repræſentatur Deo, & non ſemel offertur, ſed toties quoties pro nobis repetitur ea repræſentatio & interpellatio. Quod ſi corpus Chriſti oblatum legimus, an non ſanguinem quoq; oblatum eſſe intelligere debemus? ſiquidem corpus Chriſti, nonniſi per effuſionẽ ſanguinis oblatum eſt pro nobis. quare vtrumq; pro nobis in ea oblatione impẽſum eſt, & corpus & ſanguis.

Porrò cùm Paulus ad Eph: 5. 2. ait, *Chriſtum tradidiſſe ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*, an non de traditione in mortem loquitur? In morte verò quomodo ſemetipſum tradidit, niſi tradendo corpus ſuum mactandum, & ſanguinem ſuum fundendum? Hanc verò traditionem ibidem diſertis verbis vocat *oblationẽ & hoſtiam Deo*, & quidem veram oblationem & hoſtiam, non minus quàm carnem & ſanguinem animalium in ſacrificiis legalibus occiſorum: Sicut enim caro & ſanguis animalium per mactationem impenſus in cultum Dei, erat oblatio vera & hoſtia: ſic & caro Chriſti. *Locus ad Epheſ: de oblatione in cruce.*

Nihil verò valet, quod ait Smalcius, oblationem corporis Chriſti idem eſſe, quod oblationem Chriſti. Nam eadem ratione oblatio quoque ſanguinis Chriſti, erit oblatio Chriſti. Cùm enim Chriſtus ſeipſum obtulit, obtulit non ſolùm corpus, ſed & ſanguinem. Quod ſi in cœlo Chriſtus dicitur offerre ſeipſum interpellando pro nobis, quanto magis dicendus eſt, ſeipſum obtuliſſe in cruce patiendo pro nobis; aut ſi in cœlis offert ſe interpellando, quidni in terris obtulerit ſe orando? Verùm hic error loco citato pluribus à nobis profligatus eſt. Ex quo patet, non potuiſſe Smalcium ſatisfactionẽ Chriſti negare, niſi negaret & in cruce peractum ſacrificium, & omne omnino Chriſti ſacrificium verum, vt ex vno abſurdo aliud, ex quo id ſequitur, abſurdum intelligatur.

Tandem probamus contra Smalcium & Socinum: niſi ſanguis Chriſti vim ſatisfaciendi pro peccatis habeat, conſequi, non aliam vim ad peccata auferenda habere, quam habuerit ſanguis pecudum, cùm pro peccato offerretur. quod Paulo in Epiſtola ad Hebræos ita aduerſatur, vt in eo præcipuum diſcrimen inter ſacrificia legalia & ſacrificium Chriſti conſtituat, quòd illa nullam vim ad tollenda peccata habuerint, hoc verò maximam & perfectiſſimam. Probamus verò id conſequi ea ratione, vti & ante probatum eſt. Nam ſacrificia *Abſurdum ſequitur.*

crificia legalia ſecundùm Socinum, nullam ex ſe virtutem ad peccata tollenda habebant, ſed ſolùm interueniebant ex mandato Diuino: ipſa verò remiſſio peccatorum tota ex liberalitate & gratia Dei profluebat, eoq; ſenſu ſacrificia illa dicebantur expiatoria. Aſt hoc idem de ſanguine Chriſti dicendum eſſet, ſi ei vis ſatisfaciendi auferatur. Etenim ſolùm intercederet ſanguis Chriſti, tota verò remiſſio peccatorum oriretur ex gratia & liberalitate Dei. Non igitur ſanguis Chriſti aliam vim haberet ad auferenda peccata, quàm ſanguis animalium. Vterque enim ſanguis ſolùm interueniendo, non verò operando, eſſet cauſa remiſſionis peccatorum.

Hîc Smalcius, vt ſe ſuumque Socinum defendat, ait, ex ſua Socinique ſententia ſanguinem Chriſti maiorem vim habere ad expianda peccata, quàm ſanguinem animalium: quippe cùm non ſolùm interueniat, ſed etiam operetur remiſſionem peccatorum. Id porrò cùm explicant, aiunt, ſanguinem Chriſti operari remiſſionem peccatorum, quia commouet animos noſtros ad certam ſpem veniæ concipiendam.

Sanguis animalium non paruā ſed nullam vim habuit ad tollenda peccata.

At hac reſponſione inprimis non ſatisfaciunt Paulo, qui de ſacrificiis legalibus loquens ait, illa non minorem, ſed nullam prorſus vim habuiſſe ad remittenda peccata: ita vt impoſſibile eſſe dicat, *ſanguine taurorum aut vitulorum peccata auferri.* Heb: 10. Chriſti verò ſacrificium ait hanc vim perfectiſſimè habere. Atqui ſi vera eſſet Socini ſententia, ſanguis pecudum eandem vim haberet cum ſanguine Chriſti, tum interueniendi, tum commouendi, licet Chriſti ſanguis maiorem: quia vterque ſanguis vim haberet remittendi peccata ex liberalitate & gratia Dei, & interueniendo. Sicut enim interuenientibus ſacrificiis Deus remittebat peccata ex mera ſua liberalitate: ita interueniente ſanguine Chriſti Deus ſecundùm iſtos ex ſua mera liberalitate remittit nobis peccata. Hoc autem non eſt ſanguinem animalium, nullam vim habere ad tollenda peccata, ſed eſt, habere eandem, quam ſanguis Chriſti habet.

Vim commouēdi animos in ſpem habebat etiam ſanguis animalium.

Deinde cùm maiorem virtutem tribuunt ſanguini Chriſti: id nihil aliud eſt, vt ipſimet interpretantur, niſi vis commouendi animos hominum, maior ad certam ſpem veniæ. Atqui ſimilem vim debent etiam concedere ſacrificiis legalibus; Nam etiam illa commouebant ſuo modo ſpem veniæ in animis hominum, cùm idcirco

à Deo

à Deo eſſent inſtituta, vt Deus per illa placaretur, Leu: 1. 3. cumque ritè fiebant, erant odor ſuauiſſimus Domino: excitabant etiam memoriam promiſſionum Diuinarum, quòd Deus ritè ſe colentibus, peccata eſſet remiſſurus liberaliter. Quare quamuis hanc commotionem animorum magis præſtaret ſanguis Chriſti, quàm ſanguis animalium: tamen etiam ſanguis animalium eandem commotionem faciebat, ita vt vis illa commouendi ſit communis ſanguini Chriſti & animalium. Nam licet ea vis in ſanguine Chriſti dicatur eſſe perfectior: tamen eadem quoque eſt in ſanguine animalium, licet minus perfecta. Eadem enim virtus poteſt in vno eſſe perfectior, in altero minus perfecta: quocirca ſequetur eandem vim auferendi peccata habuiſſe ſanguinem animalium, quam habet ſanguis Chriſti, quod ſine blaſphemia dici nequit: nec aliter ea blaſphemia euaditur, niſi agnoſcatur in ſanguine Chriſti vis illa efficaciſſima ſatisfaciendi pro peccatis noſtris, quam ſanguis animalium nullo modo habebat.

Non igitur Smalcius dicat me calumniari Socinum, quaſi ille nullam virtutem ſanguini Chriſti tribuat, quam non habuerit ſanguis animalium: id enim etſi verbis ille non affirmet, re tamen vera affirmat. nihil enim ſanguini Chriſti tribuit, quod non conueniat ſanguini animalium: Nam duo illa, quæ tribuit ſanguini Chriſti, commouere videlicet in nobis ſpem veniæ & ſancire nouum fœdus, etiam in ſacrificiis legalibus inueniebatur: per ea enim & ſpes veniæ commouebatur, & veteris fœderis dedicatio facta eſt, vt Paulus teſtatur. Ex quo ſequitur, nihil circa expiationem peccatorum operatum eſſe ſanguinem Chriſti, quod non fuerit etiam operatus ſanguis animalium. Si igitur propter illam operationem ſanguis animalium non fuit potens & efficax, teſte Paulo, ad auferenda peccata; neque ſanguis Chriſti (ſi præter dictam operationem, nullam aliam virtutem dicitur habere) potens dici poterit ad auferenda peccata noſtra. *Refellitur Smalcius.*

At inquit Smalcius, ſanguinem Chriſti auferre peccata, efficiendo vt à peccatis ceſſemus & à pœna peccatorũ liberemur. Verùm doloſè verbis errorem ſuum contegit Smalcius: hoc enim totum, quod tribuit ſanguini Chriſti, nihil aliud eſt, quàm efficere commotionem in animis noſtris, vt à peccatis ceſſare velimus, & vt ſpem conci- *Doloſè agit Smalcius.*

Concipiamus nos à peccatorum pœna liberatum iri. Atqui idem faciebat ſanguis animalium in ſacrificiis legalibus: quæ etiam bene expenſa commouebant homines ad pœnitentiam, & ceſſationem à peccatis, & ad ſpem veniæ concipiendam, vt demonſtratum eſt. Re-uera igitur nullam aliam vim iſti blaſphemi tribuunt ſanguini Chriſti, licet illam fraudulenter verbis colorent ad decipiendos incautos.

Non de commotione animorum hîc res eſt, ô Smalci, ſed de vera efficientia remiſſionis peccatorum, quam cùm tu ſanguini Chriſti negas, veram & propriam vim effectricem negas: & verbis tantùm ludis ac deludis homines: re autem ipſa ſummam iniuriam ſanguini Chriſti irrogas, cùm eum ſanguini pecudum æquas; nec te ab hoc abſurdo expedire poteris vnquam, niſi vim veram ſatisfaciendi in ſanguine Chriſti agnoſcas. Satisfactione enim verè efficitur liberatio à peccatis.

Sacrificia vetera habebant vim commouẽdi ad fugã peccatorũ.

Verùm Smalcius obſtinatiſſimè negat, ſacrificia legalia potuiſſe commouere homines, vt ceſſarent à peccatis. At quis non videt, id temerè à Smalcio negari? etenim cùm ſacrificia illa imponerentur à Deo, vt pœnæ quædam peccatorum ad placandum Deum, & recognitiones culparum admiſſarum, an non eo ipſo homines ad pœnitentiam commouere poterant? quod ſi ad pœnitentiam, ergo & ad ceſſandum à peccatis. Deinde ſacrificia illa, nonnè homines ad Deum colendum conuertebant, & memoriam promiſſorum Diuinorum, quibus Deus promittebat ritè ſe colentibus remiſſurum peccata, in mentem reuocabant, ex quo ſpes Diuinæ gratiæ & veniæ peccatorũ conſequendæ oriebatur. Quomodo verò non deterrebantur à peccatis, quæ expiari tam multis ſacrificiis oportere videbant?

At inquit Smalcius, facilem illam expiationem fuiſſe: facilis enim eſt iactura pecudis: ac proinde vim efficiendi non habuiſſe, vt homines à peccatis ceſſarent. Verum ſiue illa expiatio facilis, ſiue difficilis eſſet: quia tamen ad placandum Deum referebatur, & homines pœnitentiæ & conuerſionis ad Deum admonebat, nullo modo negari poteſt, commouere homines potuiſſe ad pœnitentiam & à peccatis ceſſationem. Nam etiamſi non magna eſſet iactura pecudis, illa tamen occiſio pecudis, admonebat ſimul homines, & Deum peccatis offenſum eſſe, & placari ſacrificiis debere, & vt ritè illa ſacrificia peragantur, vera pœnitentia, quæ peccatorum deteſtationem

tionem continet, opus eſſe, denique Deum ritè ſe colentibus & verè pœnitentibus veniam peccatorum largiri. Hæc omnia cùm ex ſacrificiis illis, animo concipere potuerint homines, an non manifeſtum eſt, habuiſſe illa ſacrificia vim animos commouendi ad ceſſandum à peccatis? Quod ſi multi offerendo ſacrificia, nihil eiuſmodi animo concipiebant, id eueniebat ex malitia hominum & neglIgētia; non verò ex defectu ſacrificiorum, quæ ad eas res in animis hominum excitandas fuerant inſtituta.

Parum verò refert, quòd multò magis ſanguis Chriſti, iſta in nobis commoueat: non enim hîc quærimus de maiori vel minori commotione, ſed ſimpliciter de commotione. Etenim ſi ſanguis Chriſti, non niſi commouendo animos ad ſpem veniæ, dicitur auferre peccata, ſanguis quoque animalium dicetur illo modo auferre peccata contra Paulum, qui ait: *Impoßibile eſſe ſanguine taurorum & vitulorum auferri peccata*: ex eoque infertur, non eo ſenſu à Paulo dici, ſanguinem Chriſti habere vim auferendi peccata, quo aduerſarij volunt: hoc enim modo etiam ſanguis animalium haberet vim auferendi peccata, ſed alius modus longè præſtantiſſimus concedi debet, qui nullo modo ſanguini animalium conueniat, nempe ſatisfaciendo pro peccatis. *Status quæſtionis.*

At enim inquit Smalcius, Paulum non ſimpliciter negare ſacrificia legalia vim ad peccata auferenda habere: concedit enim illis *ſanctificationem ad emundationem carnis*. At id nimis friuolum eſſe ex eo perſpicitur, quòd cùm Paulus de auferendis peccatis loquitur, peccata animæ, non carnis intelligit; quæ videlicet animam & conſcientiam immundam reddunt; non verò immunditias carnales. De his igitur ſimpliciter pronunciat, ſanguinem Chriſti vim ad illa tollenda habuiſſe: ſanguinem verò animalium nullam. Illa verò peccata carnis, quæ immunditias carnis vocat, non ad animam ſed ad carnem ſpectabant, nec animam polluebant, ſed carnem, & expiabantur ſacrificiis illis, etiamſi anima in peccatis remaneret. Cùm igitur Paulus de peccatis animæ loquēs, negat ſacrificia legalia, vim vllam illa auferendi habuiſſe, an non manifeſtè Ariani cōtradicunt Paulo, cùm aſſerunt, eam vim habuiſſe Deo, illis ſacrificiis interuenientibus, ex gratia & liberalitate ſua veniam tribuente. quem etiam modum auferendi peccata, ſanguini quoque Chriſti tribuunt. Nam

cùm præterea aiunt, ſanguinem Chriſti, habere etiam aliam vim auferendi peccata, commouendo animos ad certam ſpem veniæ; hunc etiam modum auferendi peccata, ſanguinem animalium in ſacrificiis fuſum habuiſſe, abundè demonſtrauimus. Nullo igitur modo ſcripturas ſaluare poſſunt Ariani, niſi vim ſatisfaciendi concedant ſanguini Chriſti, ratione cuius efficit in nobis verè remiſſionem peccatorum, quod ſanguis animalium non poterat.

At verò Smalcius Socinum ſecutus, aliud diſcrimen aſſignat inter Chriſti ſacrificium & ſacrificia legalia, quòd illud non ſolùm præterita, ſed & futura peccata aufert: hæc verò ſolùm pro peccatis præteritis offerebantur. At nihil efficit Smalcius. Falſum enim eſt eo ſenſu, quo iſti volunt, peccata futura remitti per Chriſti ſacrificium. Aſſerit enim Socinus peccata futura, antequam fiant, remiſſa eſſe ex decreto Dei, qui ea non vult imputare ad pœnam: id verò neque de omnibus hominibus intelligi vult, ſed de piis & Deo fidelibus; neque de omnibus peccatis, ſed tantùm de incogitantiis quibuſdam & fragilitatibus, quæ piis quandoque accidunt: nec de remiſſione peccati, quoad culpam, ſed tantùm de remiſſione, quoad reatum & pœnam.

Peccata futura remitti Socinus docuit.

Hanc doctrinam dico eſſe falſam. Nam hæ fragilitates futuræ, vel ſunt peccata grauia digna æterna pœna, vel ſunt leuia, quæ pœnam æternam non merentur, ſed temporalem. Si ſint grauia, vt ſi quis ex fragilitate adulterium, furtum, homicidium admittat, primùm talia non poſſunt eſſe in piis, cùm ex piis impios faciant, ex filiis Dei filios perditionis: neq; dici poteſt illa non imputari ad pœnam, cùm pœna æterna ſit eis propoſita. De omnibus enim adulteris, furibus, homicidis vniuerſè dicitur ab Apoſtolo, quòd regnum Dei non poſſidebunt, 1. Cor: 6. 10. Epheſ: 5. 5. *omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Neque illa diſtinctio de adulteris piis & impiis habet locum apud ſanctum Paulum, cùm omnes adulteri ſint impij, & tanquam impij regnum Dei non poſſidebunt. Cùm igitur nulla peccata mortalia ſint, quæ piis non imputentur ad pœnam, ſequitur etiam fragilitates graues & mortales imputari iuſtis in pœnam.

Impugnatur. 1.

Si verò fragilitates illæ ſint peccata leuia, quæ ex ſe pœnam æternam non mereantur, talia poſſunt eſſe quidem in piis & Deo fidentibus

dentibus, at non ſine reatu pœnæ tẽporalis. Quod enim leuius peccatum fingi poteſt verbo otioſo: de quo tamen Chriſtus ait: *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationẽ in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis,* Matth: 12. 36. Neque verò id de impiis tantùm intelligendum eſt. Nam etiam pii loquũtur verba otioſa, & reddent de ijs rationem Deo in die iudicij: cùm vniuersè Chriſtus dicat, de omni verbo otioſo, & de omnibus hominibus. Deinde omnes pij in hac vita, non ſunt ſine peccatis leuibus, eaque ſibi ignoſci & remitti petunt. Non igitur eo ipſo, quòd pij ſunt, fuerunt illis remiſſa. Pſal: 31. *Pro hac* (id eſt remiſſione peccatorũ) *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Omnes etiam iuſtos docuit Chriſtus orare, *dimitte nobis debita noſtra.* Matth: 6. Adhæc etiam iuſtos & pios pro peccatis leuibus puniri docet ſcriptura, 1. Cor: 3. *ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe tamen ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Sanè qui ſalui erunt, pij ſunt & iuſti, habent tamen opera, Diuinæ vltionis igne digna, & detrimentum patientur, quaſi per ignem. Luc: 12. *Non exibis inde, donec etiam nouiſſimum minutum reddas.* Pſal: 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius, cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis: Domine Deus noſter tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Ergo & in iuſtis & cuſtodientibus præcepta Dei, non deſunt aliqua peccata, quæ propitiatione Dei indigent, & à Domino paternè caſtigantur. Apoc: 3. 19. *Ego quos amo, arguo & caſtigo: æmulare ergo & pænitentiam age.* quod de caſtigatione pro peccatis intelligi, demonſtrant illa verba, *æmulare ergo & pœnitentiam age,* nempe ne à Deo corripiaris & caſtigeris. Idem habet Paulus Hebr: 12. 5. Ex quibus & aliis innumeris locis patet, fragilitates & peccata parua non eſſe remiſſa iuſtis, eo ipſo quòd pij ſunt, ſed eſſe pœnæ obnoxia & imputari ad pœnam.

Peccata leuia puniuntur.

2\. *Culpa futura remitti nequit.*

Deinde hæ fragilitates futuræ, vel ideo dicuntur remiſſæ, quòd non imputantur ad culpam, vel quòd non imputentur ad pœnam, etiamſi ad culpam imputentur. Si primum concedatur, vti concedere videtur Socinus, ſequerentur illa omnia abſurda, quæ in monſtris Arianiſmi recenſuimus, nempe fore, vt illud peccatum, ſit peccatum & non peccatum: peccatum, quia eſt vera culpa & contra Diuinam legem: Non peccatum quia à Deo non imputaretur ad culpam.

Deus enim non aliter æſtimat res, quàm ſunt. Si ergo aliquid non imputat ad culpam, verè illud culpa non eſt: quia ſi eſſet, imputaretur. haberetur enim pro culpa. Ad hæc, omne peccatum remiſſione tollitur: ſi igitur peccata futura in iuſtis, antequam eſſent, eſſent à Deo remiſſa, non eſſent peccata tunc, cùm à iuſtis admitterentur: & ſic iuſti peccarent & non peccarent: peccarent, quia malè agerent: non peccarent, quia illud peccatum iam ante remiſſum eſſet.

Non remittitur pœna, niſi remiſſa culpa.

Quod ſi dicatur ſecundum, remitti peccata futura, ſolùm quoad pœnam, non autem quoad culpam, id inprimis nullo ſcripturæ exemplo vel teſtimonio probari ab Arianis poteſt, Deum remiſiſſe alicui pœnam peccati, cui non remiſerit culpam. quamdiu enim culpa eſt, meretur pœnam. & Deus, qui ſecundùm ſcripturas retribuit vnicuique ſecundùm opera eius, ſiue bonum, ſiue malum, quamdiu non remittit culpam, pro culpa retribuit pœnam. Deinde ſi id ex beneuolentia Dei erga pios proficiſcitur, vt illis peccata quoad pœnam non imputet, multo magis ad eandem beneuolentiam pertineret, non imputare ad culpam, & offenſam omnem condonare: quamdiu enim manet offenſa, pœnæ locus eſt. Cùm igitur neget Smalcius piorum peccata futura remitti quoad culpam, negare quoq; debet, remitti quoad pœnam: aut ſi hoc admittit, illud quoque neceſſe eſt vt admittat.

Nullũ malum impunitum.

Nam quod negat ad iuſtitiam Dei pertinere, vt nullum ſit malum impunitum: ſed ea tantùm mala puniri à Deo, in quibus homines hærent, conuinci erroris Smalcius poteſt ex iis ſcripturis, quibus vniuſcuiuſque opus igne (Diuini iudicij) probandum eſſe ſcriptura docet, & Deum retributurum vnicuique ſecundùm opera eius: & de peccatis etiam leuiſſimis, vt ſunt verba otioſa, dandam eſſe Deo rationem in die iudicij.

Peccata etiam leuia & breui durantia, puniri.

Deinde cùm ait ea tantùm peccata à Deo puniri, in quibus homines hærent, quid hoc aliud eſt, quàm hominibus ad omnia ſcelera portam aperire? etenim ſi ſemel ſibi perſuadeant homines, omnia peccata ſua in quibus non hærent, impunè tranſitura, ſine fræno illa admittent, & audaces ad illa perpetranda euadent. Si enim pius in adulteriũ cadat, vel in aliud ſcelus graue, ſi in illo non diu hæſerit, ſciet fore impunitum; ex quo quanta porta aperitur, non ad adulterium modò, ſed ad quælibet audenda & omnia vitia concipienda, dummodò in illis non hæreatur diu & perſiſtatur.

Fruſtra

Fruſtra autem veretur Smalcius, ne, ſi pœnam ſuis peccatis, ſine quibus eſſe non poſſunt, propoſitam videant, in deſperationẽ ruant: ſingula enim peccata liberè admittuntur; alioqui peccata nõ erunt: ne verò facilè admittantur, pœna propoſita facit. Quocirca pœna non in deſperationem agit homines, ſed à peccando deterret, vt quod liberè agitur, vel ipſo pœnæ metu non admittatur. *Pœna non eſt cauſa deſperationis.*

Sed iam videamus, vnde nam Smalcius cum ſuo Socino, hunc tam fœdum errorem de futurorum peccatorum remiſſione hauſerit, nempe ex epiſtola ad Hebr. in qua legitur, Chriſtũ æternam redemptionem inueniſſe, & in perpetuum conſummare ſanctificatos. Verùm ex hoc nonniſi ineptiſſimè colligi poteſt, peccata futura nobis non imputanda ad pœnam. Etenim Chriſti redemptio non minus pertinet ad culpam, quàm ad pœnam; quippe cùm & à culpa nos emundauerit, lauerit, ſanctificauerit, & à pœna pro peccatis debita liberauerit. Atqui ſecundùm Aduerſarios Chriſtus redemptione ſua æterna non liberat nos à culpis futuris; eæ ſiquidem piis imputantur verè ad culpam: ergo neque à pœnis futuris, eo ſenſu, vt non imputentur. Non igitur redemptio Chriſti idcirco dicitur æterna, quòd nunquam peccatores ſimus, aut quòd nunquam pro peccatis ſimus puniendi, ſed alijs ex cauſis: ita vt futile omnino argumentũ ex æternitate redemptionis Chriſti ad remiſſionem peccatorum futurorum ducatur. eſt enim alia ratio propter quam Chriſti redemptio dicitur æterna, tum ratione effectus, quòd per eam non aliquid temporale, ſed vitam & ſalutem æternam conſequamur: tùm quòd virtus ipſius non ad vnum tempus duntaxat, ſed ad omnia conſequentia tempora & peccata extẽdatur. Quæcunq; enim peccata vnquam futura ſunt in mundo, ea per redemptionem Chriſti tolluntur: ſed nonniſi poſtquam redemptio Chriſti per media à Deo inſtituta, fuerit eis applicata: & ſicut per redemptionem Chriſti peccata præterita non remittuntur, niſi redemptio Chriſti, per fidem & alia media, ipſis applicetur; ita & futura, non ſunt ipſo facto remiſſa, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, niſi, mediante fide & pœnitentia, eis applicetur redemptio Chriſti. Neq; enim peccata vlla, niſi credentibus & verè pœnitentibus remitti poſſunt ſecundùm ſcripturas, quæ tum fidem, tum pœnitentiam ad peccatorum remiſſionem paſſim requirunt.

Ineptè colligit Smalcius.

Quo ſenſu redemptio Chriſti dicitur æterna.

Falsò aſſerit Smalcius peccata futura iam remiſſa eſſe.

Hinc igitur apparet, quàm falſò aſſeratur ab iſtis, peccata futura per ſacrificium Chriſti remitti. hoc enim eſt, antequam peccata fiant, remitti, id eſt non imputari ad pœnam: antequam enim fiant, ſecundùm iſtos decreuit Deus, illa non imputare ad pœnam, in qua non imputatione remiſſio continetur. Quid autem abſurdius eſt, quàm Deum peccata remittere, antequam fiant? Id ſi quiſpiā Princeps in Republica faceret, vt lege caueret, peccata impunita eſſe debere, quis eum & inſipientem, & ſui officij oblitum, boniq; communis hoſtem non proclamaret? Quanto igitur minus talis abſurditas, Deo omnis boni auctori imputari debet? Vidit id abſurdum Smalcius, & ait Socinum id non aſſerere, ſed ſolùm ſi homines ea peccata deplorent, ſine alio ſacrificio, illa remitti à Deo. At tenebris rem inuoluit. Nam ſi Deus pœnitentiam & deplorationem peccatorum

Malè defēdit Smalcius Socinum.

expectat, ergo ante pœnitentiam peccata illa futura imputat ad pœnam, falſumque erit nullas fragilitates piis ex decreto Diuino imputari ad pœnam. Si enim vel nunquam illa deplorent pij, vel non niſi longo poſt tempore deplorent, proculdubio imputabuntur illis ad pœnam, toto illo interueniente tempore. Si verò eo ipſo, quòd fragilitates illæ ſunt in piis, decreuit Deus illas non imputare ad pœnam: ergo antequam fiant, remittit piis illa peccata, ſaltem quo ad pœnam. Hoc autem Socinum docuiſſe verba ipſius teſtantur in libro de Seruatore, folio 145. ſic enim ait: *In quibus*, hoc eſt, Chriſto fidentibus, *ſi quædam tamen adhuc remanent peccata, incogitantiæ ſcilicet & fragilitates aliquæ, ea licet futura, Diuino decreto expiata iam ſunt, & ipſis nunquam imputabantur.* Quid clarius? aut igitur Smalcius negligenter ſuum Socinum legit, aut nō verè loquitur, cùm ait Socinum nunquam id dixiſſe.

Senſus Catholicus.

Porrò in Catholico ſenſu rectè dicitur, virtute ſacrificij Chriſti ſemel in cruce oblati, omnia peccata etiam futura remitti, non quòd remittantur antequam ſint, ſed quòd virtute ſacrificij ſemel facti ſint remittenda. In hoc enim ponit Paulus diſcrimen inter ſacrificia legalia, & ſacrificium Chriſti; quòd illa cùm eſſent inſufficientia ad omnia peccata remittenda, repetebantur pro nouis peccatis. Chriſti verò ſacrificium ſemel factum eſt ex ſe ſufficiens ad tollenda omnia peccata, etiam futura. Quare non eſt opus nouo ſacrificio pro nouis peccatis, ſed ſatis eſt ſacrificium ſemel factum applicari per

media

media à Deo inſtituta, nempe per fidem, pœnitentiam, ſacramenta. Id quod iſti Ariani dicere non poſſunt. Cùm enim ſacrificium Chriſti in illa pro nobis interpellatione conſtituant, conſequenter fateri coguntur, ſacrificium Chriſti repeti, quoties interpellatio pro nobis repetitur; & tot eſſe repetita Chriſti ſacrificia, quot ſunt repetitæ pro nobis interpellationes. vti in 2. de erroribus Arianorum libro à nobis demonſtratum eſt, cap: 11.

Sacrificiũ Chriſti non eſt interpellatio.

Deinde negant eam virtutem paſſioni Chriſti & ſanguini, vt eius reſpectu Deus nobis peccata remittat, contra omnes ſcripturas, quæ valorem, pretium, efficacitatem ſanguinis Chriſti ad nos à peccatis liberandos prædicant. Quare dicere verè non poſſunt, ſanguine Chriſti nobis remitti peccata, ſiue futura, ſiue præſentia. Etenim ſi cùm Chriſtus ſanguinem pro nobis fudit, non potuit nobis obtinere remiſſionem peccatorum: multò minus obtinebit ſimplici pro nobis interpellatione. Quam etiam interpellationem falſò & ſine ſcripturæ vlla authoritate ſacrificium nominant. quid enim interpellationi eſt commune cum ſacrificio? aut ſi interpellatio eſt ſacrificium, quomodo ſanguinis interpellatio melius loquentis pro nobis, quàm ſanguis Abel, non erit ſacrificium?

Vrgentur Ariani.

Tres abſurdi & impij errores Smalcij, circa virtutem paſſionis & mortis Chriſti, refelluntur. Caput IX.

NON poſſum hoc loco tres blaſphemos Smalcij errores non notare. Primus eſt, dum aſſerit, Chriſtum vitam æternam per ſuam oblationem nobis non comparaſſe. Is enim, inquit, verè & propriè aliquid comparat, qui vt res aliqua exiſtat efficit. At antequam Chriſtus ſeipſum offerret, imò antequam exiſteret, iam erat parata vita æterna & deſtinata à Deo omnibus, qui eſſent habituri fidem Chriſti. Ex quo infert oblationem Chriſti, non eo fine factam eſſe, vt vita æterna nobis propriè loquendo compararetur, ſed vt ad eam amplectendam & conſequendam perfectum extaret adiumentum & adminiculum. Hæc ille.

Primum abſurdum Smalcianum.

Chriſtum vitam æternam nobis non comparaſſe.

Verùm hic error refellitur. Nimis enim manifeſtum eſt, Chriſtum non quacunq; ratione vitæ noſtræ authorem fuiſſe, ſed magno pretio pro ea re oblato. *Empti enim ſumus pretio magno, nõ corruptibilibus auro &*

Refellitur. *ro & argento, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati.* Qui autem pretio oblato & impenſo aliquam rem comparat, verè & propriè illam comparat: efficit enim vt res illa exiſtat. Actorum quoq; 20. dicitur: Deus, *Eccleſiam acquiſiuiſſe ſanguine ſuo.* quibus verbis oſtenditur modus, quo nos Deus ſibi acquiſiuit, nempe ſanguine ſuo: non igitur ſine ſanguine Chriſti, nec ante ſanguinem Chriſti, nos acquiſiuit ſibi, ſed per ſanguinem Chriſti, cùm pro nobis fuſus eſt. Porrò ſi nos acquiſiuit ſanguine ſuo, etiam vitam æternam nobis acquiſiuit ſanguine. Nos enim nõ aliter acquiſiuit, quàm quia vitam nobis acquiſiuit; & liberatos à morte, fecit vitæ æternæ hæredes. Quod ſi vitam æternã ſanguine ſuo nobis acquiſiuit, proculdubio etiam comparauit: idem enim iſta ſignificant: ſiquidem qui acquirit rem aliquam, facit vt illa res exiſtat.

Hanc igitur ob cauſam dicitur in ſcriptura Chriſtus *author vitæ,* Actor: 3.15. *author ſalutis,* Heb: 2. ἀρχηγος, Princeps, dux, anteſignanus. Neque verò vnquam vitam æternam Deus hominibus obtulit, niſi per ſanguinem Chriſti acquirẽdam & comparandam, neq; Chriſtus vitam æternam dat nobis, niſi comparatam pretio ſanguinis ſui; quocirca falſum omnino cenſeri debet, Deum obtuliſſe nobis vitam æternam ſine vllo reſpectu ad ſanguinem Chriſti. Obtulit enim, ſed tanquam ſanguine Chriſti acquirendam.

Indignè de Chriſto ſentiunt Ariani. Ex quo etiam patet, quàm indignè de Chriſti maieſtate ſentiant Ariani, cùm negant eum, nobis æternam vitam comparaſſe, ſed adiumentum tantùm & adminiculum ad eam amplectendam dediſſe. Adiumentum enim dare, etiam alij homines poſſunt, qui tamen nec auctores vitæ æternæ dici poſſunt, nec redemptores noſtri.

Summa redemptionis Chriſti ſecundùm Smalcium. Modus verò iuuandi nos ad vitam æternam amplectendam deſcribitur à Socino, quia nimirum ſalutis viam annunciauit, ſanguine & morte ſua confirmauit, & in ſeipſo, tum vitæ exemplo, tum ex mortuis reſurgendo manifeſtè oſtendit. Nihil itaque aliud ſecundùm iſtos ad ſalutem conſequendam nobis contulit Chriſtus, niſi verbo & exemplo oſtendit viam ſalutis, ita vt idem ſit, Chriſtum nos ſaluare, & ſalutem ac viam ſalutis oſtendere, tum verbo, tum exemplo. Atque huc recidunt illæ magnificæ laudes & præconia, quę tribuunt Chriſto ſeruatori, vt illum indicatorem tantùm & demonſtratorem ſalutis, non verò effectorem & auctorem agnoſcant; neque quid-

que quidquam aliud morte ſua pro nobis effeciſſe, niſi indicaſſe & demonſtraſſe viam ſalutis; neque redemiſſe nos niſi indicando; neque peccata abſtuliſſe, niſi indicando: ita vt tota ſalutis ratio à Chriſto profecta, nihil ſit niſi indicatio ſalutis, & Chriſtus non ſit verè ſaluator noſter, ſed indicator ſalutis.

Nec euadere poteſt Smalcius, ſi dicat Chriſtum dici poſſe ſeruatorem noſtrum, quia nobis vitam æternam donaturus eſt. Nos enim hoc loco, de eo ſeruatore loquimur, qui nos hîc in terra ſaluat à peccatis, & hæredes facit æternæ vitæ. Talis autem ſeruator Chriſtus non eſt, ſecundùm Smalcium, niſi indicatiuus, qui nobis ſalutem indicet tantùm, non efficiat. Deinde Chriſtus ſecundùm ſcripturas eſt ſeruator noſter propter redemptionem & mortẽ, qua nobis ſalutem acquiſiuit. Adhæc etſi verum eſt, Chriſtum daturum nobis æternam vitam, vt ipſe Ioannis 10. teſtatur: ea tamen poteſtas, eſt poteſtas redemptoris, ſeu poteſtas dandi vitam æternam titulo redemptionis & mortis; ita vt idcirco dicatur in cœlo nos ſaluare pro nobis interpellando & aſtando vultui Dei pro nobis, quia ius redemptionis exigit. Cùm igitur iſti poteſtatem titulo redemptionis nos ſaluandi non agnoſcant, (ſecundùm ipſos enim redemptio eſt tantùm indicatiua, non effectiua ſalutis) ex conſequenti nõ agnoſcunt talem poteſtatem in Chriſto ad nos ſaluandos, & vita æterna donandos, qualem ſcriptura agnoſcit. Nullibi enim ſcriptura docet Chriſtum abſoluta poteſtate nos ſaluare, ſed ſaluare per redemptionem & ſanguinem ſuum. Imò & Deus ipſe abſoluta ſua poteſtate, & independenti à redemptione Chriſti, in ſaluandis nobis non vtitur, ſed ſaluat nos & vita æterna donat per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Iesv, & tribuit tanquam redemptis ſeu titulo redemptionis ſalutem. Pro figmento igitur Ariano habendum eſt, Chriſtum poteſtate abſoluta & independenti à redemptione & ſanguine ſuo nos ſaluare, & vita æterna nos donare; veriſſimumq́; eſt Arianos, Chriſtum non agnoſcere talem ſeruatorem, qualem nobis ſcriptura proponit.

Seruator indicatiuus.

Porrò inepta prorſus habenda eſt, illa reſponſio Smalcij, cùm ait ſanguinem Chriſti pretioſum appellari, non quòd multum ex ſe valeat ad promerendam peccatorum remiſſionem, & compenſandam Deo iniuriam propter peccata illatam, ſed quòd æterni fœderis ſan-

Sanguis Christi pretioſus.

ris ſanguis ſit. Ait enim opponi eam vocem, voci corruptibili apud Petrum, cùm ait, nos non corruptibilibus auro & argento redemptos eſſe, ſed pretioſo ſanguine Agni. Quis hæc ineptè à Smalcio dici non videat? Res enim ipſa loquitur, ſanguinem Agni à Petro pretioſum reſpectu redemptionis appellari, quòd magnam vim & valorem habeat ad nos redimendos; non ſimilem corruptibilibus pretijs auro & argento, ſed longè maiorem, eo quòd ſit pretium incorruptibile, & nunquam deficiens. Cùm igitur ſanguis Chriſti in pretij magnitudine opponatur corruptibilibus auro & argento, hinc inferri debet, pretium ſanguinis Chriſti eſſe pretium longè maximũ & incorruptibile ac nunquam deficiens, ſed æterni valoris, quippe multò maius pretio quocunque corruptibili. Et ſanè nemo dubitare poteſt, Petrum comparare ſanguinem Chriſti cum alijs rebus pretioſis in mundo; in hoc quòd aliarum rerum pretium eſt corruptibile & inſufficiens ad res æternas comparandas: pretium verò ſanguinis Chriſti eſt incorruptibile & ſufficiens ad redemptionem & ſalutem æternam comparandam. Si igitur ſanguis Chriſti verè pretioſus fuit ad nos redimendos, habuit eam vim, quam pretium in redemptionem alicuius oblatum habuit, nempe vim ſatisfaciendi pro ea re, pro qua offertur, vt pretium.

Alterum abſurdum Smalcianum.

Alter error Smalcij eſt non minus blaſphemus, ſola morte Chriſti peccata hominum expiata non eſſe: quia, inquit, ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, adhuc in peccatis noſtris eſſemus teſte Paulo, 1. Cor. 15. 18. At & Pauli mentem non intelligit Smalcius, & omnibus ſcripturis, quæ peccatorum expiationem ſoli morti Chriſti tribuunt, contradicit. Nam quod ad Paulum attinet, is ita argumentatur, probans Chriſtum neceſſariò reſurrexiſſe. Si enim non reſurrexit, ſequitur adhuc nos in peccatis eſſe; quia ſcilicet à peccatis nos redimere non potuit, qui in morte manſit & à morte ſuperatus eſt: ita vt mors illius nihil nobis profuerit. At ſi reſurrexit, certò perſuadere nobis debemus, per Chriſti mortem nos à peccatis prorſus liberatos eſſe. Ex reſurrectione enim apparuit, morti illum non fuiſſe ſubiectum, ſed longè ſuperiorem morte; Dominumque non ſeruum mortis: ac proinde nos morte ſua à peccatis liberare potuiſſe: ſiquidem pro illis mortuus eſt.

Ex quo patet, ex loco Pauli inferri non poſſe, mortem Chriſti

ex reſurrectione, vim à peccatis nos liberandi accepiſſe, ſed quod ex reſurrectione Chriſti demonſtretur, mortem ipſius eiuſmodi fuiſſe, vt nos à peccatis liberare potuerit: eius enim mors, qui à mortuis reſurgere potuit, potens eſt ad nos à peccatis liberandos: ſi verò non reſurrexiſſet, neque mors eius talis valoris fuiſſet, vt nos à peccatis liberare potuerit. eſſet enim mortis ſubditus, non dominus.

Iam verò, ſcripturam nuſquam tribuere liberationem à peccatis reſurrectioni Chriſti, ſed tantùm morti, manifeſtius eſt, quàm vt probari debeat. *Traditus enim eſt propter delicta, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, Rom: 4. 25. vbi delictorum remiſſionem paſſioni & morti Chriſti accõmodat: iuſtificationẽ autem, quæ eſt veluti viuificatio noſtra, reſurrectioni. Et Rom: 6. ait nos vnà *cum Chriſto mortuos eſſe peccato, & veterem hominem noſtrum ſimul crucifixum eſſe cum Chriſto, vt deſtruatur corpus peccati: ſi autem mortui ſumus cum Chriſto, ſimul etiam viuemus cum Chriſto.* 2. Cor: 5. 14. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, id eſt peccato.* Ex quo euidens eſt etiam ſumma efficacitas mortis Chriſti, quæ occidit peccatum, & fecit nos eſſe peccato mortuos, veteremque hominem noſtrum vnà cum Chriſto crucifixum; quæ vis non alia eſt, niſi quòd morte Chriſti pro peccatis noſtris ſatisfactum eſt. Huc ſpectant illæ ſcripturæ loca, quæ nos à peccatis lotos, & mundatos eſſe Chriſti ſanguine, teſtantur.

Chriſtum non impetraſſe nobis veniã peccatorum.

Tertius error eſt, Chriſti ſacrificium & mortem nobis peccatorum remiſſionem non impetrare. quod à Socino hauſit, qui libro de Seruatore fol: 168. diſertè ait: neque Chriſtum precibus ſuis veniam nobis à Deo impetraſſe; neque Deum Chriſti precibus ad veniam concedendam motum fuiſſe. Quo quid magis blaſphemum & in Chriſtum iniurium dici potuit? & tamen in ſua tanta tamq; impudenti blaſphemia, tantùm ſibi placet Smalcius, vt aſſerere non vereatur, nihil rectius dici poſſe. Paulus ad Hebr: 12. 24. ait, *nos acceſſiſſe ad noui teſtamenti mediatorem, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem quàm Abel.* Etenim ſi ſanguis Abel clamans de terra Gen: 4. contra homicidam tantam vim habuit, vt exaudiretur à Deo, quanto magis ſanguis Chriſti pro nobis fuſus, & animabus noſtris aſperſus, meliùs pro nobis ad Deum loquitur, non vindictam peccatorum, ſed veniam & remiſſionem impetrans. dicitur enim meliùs loqui, tum quia efficacius, tum quia non contra nos, ſed pro nobis loquitur. Cer-

tè, ſi dum oramus, voces in aërem ſparſæ habent vim à Deo impetrandi, iuxta illud: *Petite, & accipietis. Qui petit accipit.* Et, *ei, qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, ſi oret pro eo*, *promittitur impetratio.* 1. Ioan: 5.16. & Chriſto, *quia pro tranſgreſſoribus orauit*, in præmiū promittitur noſtra redemptio & ſalus. Iſaiæ 53. 12. qui fieri poteſt, vt ſanguis Chriſti pro peccatis noſtris fuſus vim non habeat veniam peccatorum impetrandi, cùm & Chriſti dignitas ſit infinitè maior, & multò plus ſit ſanguinem fundere, quàm verba.

Orationum noſtrarum vis. Nam quod Smalcius, etiam noſtris orationibus vim impetrandi denegare videtur, ſed ſolùm ex Dei voluntate ait præcedere debere petitionem, quod ſtatuerit, nonniſi petentibus dona ſua daturū, an non egregiè impudentem ſe eſſe oſtendit. Etenim ſacræ literæ docent, noſtras orationes nō ſolùm præcedere, ſed etiam reſpici à Deo, & earum reſpectu Deum dona ſua nobis communicare. *Reſpexit*, inquit Dauid, *ad orationem humiliū, & non ſpreuit precem eorum.* 101. 18 quoties verò legimus in ſcriptura, *Deum exaudire orationes noſtras*, anné hoc non eſt impetrare? *voluntatem timentium ſe faciet.* Quid clarius? quo etiam modo Iſaias c. 53. 10. ait de Chriſto: *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, voluntas Domini in manu eius dirigetur.* hoc eſt, Deus volet, quod ipſe volet, quæ eſt vis efficaciſſima impetrandi. Et Martha id ipſum confeſſa eſt; *quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ioan: 11. 22. & ibidem Chriſtus de ſe ait, *ſciebam quia ſemper me audis.* Illa verò interpellatio, qua pro nobis interpellat apud Deum, anné vim impetrandi & obtinendi habere cenſenda non eſt? quod ſi interpellatio Chriſti vim habet impetrandi, quāto magis ſanguinis profuſio?

Chriſtus pro nobis interpellat. Ait Smalcius, Chriſtum vt aliquid nunc oret, nullo modo egere, ſed omnia quæcunque ad ſalutem noſtram pertinent, potentia Diuina ſibi data præſtare. Verùm ſcriptura nō ita loquitur. ait enim Chriſtum pro nobis interpellare. quod ſi interpellatione non eſſet opus, quorſum Chriſtus interpellaret? Et ſanè omnia præſtare potentia ſua abſoluta, & interpellando apud Patrem præſtare, ſunt pugnantia. Cùm igitur ſcriptura aſſerat, ipſum pro nobis interpellare, non poteſt dici abſolutâ ſuâ potentia præſtare, ea quæ ad ſalutē noſtram pertinent. Verùm de interpellatione Chriſti contra Smalcium alibi egimus.

Obiicit Smalcius, impetrationem cum liberalitate pugnare.

Cùm

Cùm igitur Deus ſpontè liberaliterque promiſerit, nobis ſe remiſſurum peccata, noſtræ impetrationi locus non erit. At in hac obiectione, quid non falſum? liberalitatem enim cum impetratione non pugnare omnes norunt; etenim cùm quis poſtulat aliquid ſibi donari, poſtulat ex gratia & liberalitate, non ex aliquibus ſuis meritis ſibi donari; cùmque impetrat, gratiam & liberalitatem agnoſcit. Neq; quiſquam tam bardus inuenitur, qui exiſtimet aut gratiam impetrari nō poſſe, aut eo ipſo quod impetratur, deſinere eſſe gratiam. Etenim cùm impetratur, impetratur tanquam indebita, ac proinde tanquam gratia.

Impetrationem cum liberalitate nō pugnare.

Falſum etiam eſt, Deum peccatorum remiſſionem abſolutè promiſiſſe: promiſit enim duplici conditione adiecta: vna eſt ex parte Christi, ſi pro peccatis mortuus fuerit: altera ex parte hominum, ſi per media à Deo inſtituta quærant & poſtulent à Deo peccatorum veniam. Non ſolùm igitur hæc promiſſio non pugnat cum impetratione, ſed potius veniam peccatorum ſubiicit impetrationi. Promittit enim Deus veniam precibus & vera pœnitentia, impetranda.

Promiſsio remiſsionis peccatorum cōditionata.

At inquit Smalcius, Chriſtus noui fœderis non acquiſitor & impetrator, ſed ſponſor tantùm & mediator eſt. Non igitur impetrauit remiſſionem peccatorum. Ineptè planè. quaſi verò nouum fœdus non ſanxerit Chriſtus ſanguine ſuo in remiſſionem peccatorum fuſo, qui ſanguis nullam vim habet, ne impetrandi quidem remiſſionem peccatorum, quomodo fuſus eſt in remiſſionem peccatorū? Nam ſi ſacrificia legalia habebant vim placandi Deum, & impetrandi ex quadam congruentia remiſſionem peccatorum: toties enim legimus placatum fuiſſe Deum ſacrificiis illis & permotum ad miſericordiam; quanto magis ſanguis & ſacrificium Chriſti habebit vim Deum placandi & permouendi ad miſericordiam & veniam peccatorum. Etſi ſanguis Abel iuſti habuit vim permouendi Deum ad vindictam, quomodo ſanguis Chriſti non habebit vim permouendi Deum ad miſericordiam? Deinde in nouo fœdere remiſſio peccatorum promittitur non abſolutè, ſed ſanguine Chriſti acquirenda, & vera pœnitentia obtinenda. Non igitur nouum fœdus excludit impetrationē veniæ, ſed eam potius ponit ac requirit. Quare & ſi Deus ſpontè & liberaliter promiſerit ſe remiſſurum peccata; eam tamen liberalitatem ſubiecit impetrationi. Nam & ſanguine Chriſti acquiri volu-

Obiectio Smalcij inepta.

Remiſsio peccatorum per ſanguinem Chriſti

ri voluit & verâ hominum pœnitentiâ. Et quamuis ad promittendum à nullo inductus ſit: ad exequendum tamen omnino induci voluit, nec niſi inductus beneficium promiſſum præſtare.

Applicãda ſatisfactio Chriſti.

Non eſt autem quod vereatur Smalcius, ſi Chriſtus ſanguine ſuo pro peccatis ſatisfecit, fore vt nullis mediis ſit opus ad applicandam ſatisfactionem Chriſti: ſicut ex ſoluto ſemel debito nomine alicuius, ſtatim ſine alia applicatione liberatio conſequitur. Nam hoc ipſum exemplum, contrarium quid indicat. Nam etſi cùm abſolutè ſoluitur debitum, nulla conditione appoſita, ſequatur abſolutè liberatio: tamen cùm ita ſoluitur debitum, vt in manu eius, cui ſoluitur, ſit applicare ad libitum, cui velit, illam ſolutionem, certè talem ſolutionem non ſequitur liberatio, ſed applicatione opus eſt, vel per voluntatem eius, cui id cõmiſſum eſt; vel per conditiones aliquas impoſitas debitori. Ita verò Deo ſolutum eſt à Chriſto pretiũ redemptionis noſtrę, vt ille, quibus velit, illud applicet propter Chriſtum, idque non niſi per certa media, nempe fidem in Chriſtum, veram pœnitentiam, Sacramenta, &c.

Chriſtum omnes omnino homines redemiſſe, quotquot ab orbe condito extiterunt, contra impium Smalcij dogma oſtenditur. Cap: X.

Admodum diminuunt redemptionem Chriſti Ariani.

NON ſatis fuit Arianis per ſummam impietatem vim veram & effectricem remiſſionis peccatorum ſanguini Chriſti auferre, niſi & innumera hominũ millia, quotquot ab orbe condito ad Chriſti aduentum extiterunt, pari impietate à redemptione Chriſti excluderent; quo & innumeri homines beneficio redemptionis Chriſti priuati exiſterent, & Chriſto debitus honor, qui ex tot hominum redemptione prouenit, denegetur. Vt verò fucum facerent, diſtinctionem Saluatoris & Redemptoris excogitarunt: ita vt eorum ſolùm hominum Chriſtus ſit Redemptor, qui poſt ipſum fuerunt; eorum verò, qui ipſum præceſſerunt, ſit ſolùm Saluator. quia his vitam æternam donaturus eſt: licet pro peccatis eorum mortuus non ſit: quod ad munus Redemptoris pertinet. Ita Smalcius hîc Socinũ ſecutus in lib: de Seruatore, parte 2. c. 26. At nihil agunt impij. clariſſimis enim ſcripturæ teſtimoniis coarguuntur & conuincuntur.

Primus

Primus locus eſt ad Heb: 9. 26. vbi probat Apoſtolus non eſſe neceſſe, vt Chriſtus ſæpè ſeipſum offerat, ſed vnica ſua oblatione ſemel facta, ſuſtuliſſe totius mundi peccata: *alioqui*, inquit, *oportebat eum pati frequenter ab origine mundi*. In qua ratiocinatione Paulus ſupponit, ſacrificia idcirco repeti: quia ſacrificium ſemel factum, non ſufficit ad omnia peccata tollenda, ſed pro nouis peccatis opus eſt nouis ſacrificiis, vti de legalibus ſacrificiis manifeſtũ eſt Quare & Chriſti ſacrificium, ſi ſemel factum, non eſſet ſufficiens ad omnia peccata tollenda, deberet frequenter repeti: & ex conſequenti oporteret Chriſtum pati frequenter ab origine mundi. *Chriſtũ pro omnibus ab origine mũdi paſſum eſſe Paulus probat.*

Cur autem Paulus non intulit, oportere illum frequenter pati, conſequentibus retro ſeculis, ſed ab origine mundi, ea ratio eſt: quia paſſio Chriſti & fructus ab ea dimanans, non ſolùm ad peccata ſequentium ſeculorum, ſed & antecedentium ſpectat: ſi enim ſolùm ad peccata ſequentium ſeculorum pertineret, dixiſſet Paulus, oportere illum frequenter pati ſeculis ipſum conſequentibus: ſiquidem peccata, pro quibus pateretur, ſolùm ad ſequentia ſecula pertinerēt. At quia infert oportere ipſum pati frequenter ab origine mundi, indicat ad omnia peccata, tam conſequentium, quàm antecedentium ſeculorum, paſſionem Chriſti ſpectare, & pro omnibus peccatis ab ipſa origine mundi admiſſis, & deinceps admittendis, Chriſtum paſſum eſſe. *Vis argumẽti Pauli.*

Hìc Smalcius cum ſuo Socino primùm negat ſequi, paſſionem & mortem Chriſti ad eos pertinuiſſe, qui ab origine mundi fuerunt, imo contrarium ex eo ſequi. Si enim paſſio Chriſti ad eos etiam pertineret, qui ſacrificium ipſum anteceſſerunt, & ante Chriſtum fuerunt, quid eſſet neceſſe, vt frequenter ab origine mundi pateretur. Siquidem paſſio ipſius, etiam peccatis ipſam antecedentibus, prodeſſet. At ſi dicatur non prodeſſe, niſi peccatis ſequentibus, bene infertur, quòd debuerit repeti frequenter ab origine mundi. *Inepta Smalcij & Socini reſponſio.*

Verùm hęc Socini reſponſio & inęptiſſima eſt, & fucum ſua obſcuritate facit. non enim Paulus dicit, opportuiſſe abſolutè cui pati ab origine mundi: ſed ex ſuppoſitione, ſi eius oblatio ſemel facta nõ eſſet ſufficiens, & repeti deberet. Ita enim argumentatur. Si neceſſe eſſet Chriſtum ſæpius ſe offerre, eſſet quoque neceſſe, ſæpius pati ab origine mundi. Oblatio ſiquidem Chriſti eſt per paſſionem & mortem.

mortem. Cûm verò dicit, ab origine mundi, indicat peccata ab origine mundi pertinuiſſe ad paſſionem Chriſti. Si enim non pertinerent, pro illis pati Chriſtum non oporteret, ſed ſolùm pro aliis ſequentium ſeculorum. Deinde cùm id tanquam abſurdum Paulus inferat, *oportere Chriſtum frequenter pati ab origine mundi,* hanc eius abſurditatis quaſi rationem adfert; quòd vnica oblatio Chriſti, eaque in fine ſeculorum facta ad deſtitutionẽ omnis peccati ſufficiat, alioqui illud abſurdum conſequeretur. Ex quo ſequitur ad deſtructionẽ omnium peccatorum ab origine mundi, vnicam Chriſti oblationem ſuffeciſſe. Nam ſi non ſuffeciſſet, niſi ad peccata ſeculorum conſequentium, non verò antecedentium, ſequeretur ſecundùm Paulum oportuiſſe *Chriſtum pati ab origine mundi,* vt peccata illorum ſeculorum ab origine mundi tolleret. Vult enim omnino Paulus paſſionem Chriſti & virtutem eius, ad ea etiam peccata, quæ fuerunt ab origine mundi, ſpectare. Quare ſi ad ea tollenda vnicum ſacrificium in fine mundi factum non ſuffecit, *oportebat Chriſtum pati frequenter ab origine mundi.* Falſum igitur eſt, quod ait Socinus, Deum aliis modis peccata ante Chriſtum remiſiſſe, non propter paſſionem Chriſti. Paulus enim oppoſitum vrget; nempe oblationem vnicam ſufficere, ad omnia peccata ab origine mundi tollenda: alioqui oporteret Chriſtum frequenter pati ab origine mundi, vt illa quoque peccata ab origine mundi admiſſa, repetita oblatione tolleret, ſi ea vnica oblatione ſemel facta tollere non potuiſſet. Vult enim omnino omnia peccata etiam ea quæ ab origine mundi admiſſa ſunt, ad Chriſti paſſionem vel oblationem pertinuiſſe.

Mentẽ Pauli Smalcius inuertit.

Ex quo patet ineptam prorſus illam argumentationem Socini cenſendam eſſe, ſi virtus paſſionis Chriſti ad peccata antecedentia pertineret, non fuiſſe neceſſe pati Chriſtum ab origine mundi. Non enim Paulus ex tali ſuppoſitione, ſed potius ex contraria argumentatur: Si enim neceſſe, inquit, eſſet, Chriſtum ſæpius ſe offerre, & vnica eius oblatio non ſufficeret ad omnia peccata tollenda, neceſſe quoque eſſet, ipſum frequenter pati ab origine mundi. Quod ſi ſtatuatur vnica oblatio ſufficere ad omnia peccata totius mundi & omnium ſeculorum tollenda, neceſſe non erit, aut Chriſtum ſæpius ſe offerre, aut frequenter pati ab origine mundi.

Secundò reſpondet Smalcius, etiamſi paſſio Chriſti pertineret ad pec-

ad peccata ab origine mundi: inde tamen ſatisfactionem elici non poſſe: cùm aliis modis abſque ſatisfactione potuerit pertinere, nempe quia illi homines per fidem apprehendendo, ſicut & nos, paſſionem Chriſti, fructum ex illa colligerent: vel quòd beneficio paſſionis Chriſti homines illi vita æterna eſſent donandi. Sed errat Smalcius. Etenim ſicut ad noſtra peccata tollēda, paſſio Chriſti per modum ſatisfactionis pertinet, vt probatum eſt: ita & ad peccata ſeculorum antecedentium ab origine mundi, eodem modo pertinere cenſenda eſt. eandem enim vim habet paſſio Chriſti ad noſtra & illorum peccata. & ſicut noſtra ſatisfaciendo tollit, ita & illorum. Nam & nobis cùm per fidem in Chriſtum dicuntur peccata remitti, non quæcunque fides intelligitur, ſed fides in ſanguine eius, ſeu fides redemptoris, quòd dederit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, & magno pretio ſanguinis ſui nos redemerit: per quam fidem ſatisfactio non excluditur, ſed includitur, vt ſuper demonſtratum eſt. Similiter non ſatis eſt dicere, Chriſtum illos primæuos fideles vita æterna donaturum, ſed neceſſe etiam eſt dicere, peccata quoque illorum ſua oblatione vnica abſtuliſſe. Paulus ſiquidem de oblatione ad deſtitutionem peccati loquitur, eamque ſufficere contendit ad omnia peccata ab origine mundi tollenda.

Alter locus eſt, Rom: 5. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit: multò magis gratia Dei & donū, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundauit.* & ℣. 18. *Sicut per vnius delictū in omnes homines in condēnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationē vitæ.* Quo etiam modo 1. Cor: 15. 21. ait, *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Quibus verbis clariſſimè docetur, gratiam & iuſtificationem Chriſti ad omnes homines pertinuiſſe, ſicut & peccatum ac mors Adami prorſus ad omnes pertinuit. Ex quo ſequitur illos quoque homines, qui Chriſtum anteceſſerunt, ab origine mūdi, gratiam & iuſtificationem per Chriſtum conſecutos eſſe. Ad eoſdem enim homines, ad quos peccatum Adami pertinet, gratia quoque Chriſti pertinet; & quos Adam peccatores conſtituit, Chriſtus gratia ſua iuſtificauit. alioqui potentius fuiſſet peccatum Adami, quàm gratia Chriſti: ſiquidem plures homines interfeciſſet, quàm Chriſti gratia iuſtificare potuiſſet.

Satisfactio colligitur. Gratia & iuſtificatio Chriſti ad omnes homines ab initio mundi pertinet.

Smalcius primùm negat, omnes homines ſimpliciter Chriſti gratia iuſtificandos, ſed tantùm eos omnes, *qui abundantiam gratiæ & donationis iuſtitiæ accipiunt*, id eſt grato animo tantum beneficium admittunt. hoc autem eos, qui ante Chriſtum fuerunt, præſtare non potuiſſe: ſiquidem iſta gratia & iuſtitia eis reuelata nondum fuit. At errat Smalcius. Paulus enim loquitur de iis omnibus hominibus, in quos per Adamum peccatum & mors pertranſiit. & ſicut certum omnino eſt, omnes ſimpliciter homines per Chriſtum à morte, per Adamum inuecta, liberatos eſſe: quia omnibus hominibus hoc beneficium morte ſua comparauit, vt à morte liberari poſſint: ita etiam certum eſſe debet, omnes ſimpliciter homines per Chriſtum à peccato liberatos eſſe. eodem enim modo loquitur de peccato & de morte. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.*

Gratia Chriſti etiam ad ingratos pertinet.

Quod verò Smalcius ait, gratiam Chriſti ad eos tantùm ſpectare, qui gratiam & iuſtitiam grato animo accipiunt, valde decipitur. Non ſolùm enim ad gratos, ſed etiam ad ingratos Chriſti gratia pertinet, ſi modò eam acceptare velint. Neq; ſolùm pro gratis, ſed & pro ingratis Chriſtus eſt mortuus, *& dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*: etiamſi nō omnes hoc beneficium redemptionis admittant, Hebr: 10. 29. Quocirca plures ſunt illi, ad quos Chriſti gratia pertinet, quàm illi, qui eam reipſa acceptant. Cùm verò addit Smalcius, eos, qui ante Chriſtum vixerunt, gratiam & iuſtitiam Chriſti accipere non potuiſſe, quòd ea reuelata nondum eſſet: primùm id falſum eſt de Patriarchis & aliis præcipuis fidelibus, quibus Meſſias fuit reuelatus, & gratia ac iuſtitia per ipſum futura. Hi igitur cùm grato animo Chriſti gratiam & iuſtitiam accipere potuerint, pertinent ad eos, in quos ſecundùm Paulum gratia Chriſti abundauit. Deinde certum eſt, gratiam animo grato acceptari poſſe, etiamſi ignoretur is, qui eam impetrauerit. Poteſt enim quis accipere grato animo eleemoſynam à diuite, etiamſi neſciat, eum qui illam ipſi impetrauit aut procurauit. Pari igitur ratione, poterant illi fideles accipere à Deo gratiam illam & iuſtitiam animo grato, per Chriſtum acquiſitam vel acquirendam: etiamſi neſcirent eſſe per Chriſtum acquiſitam vel acquirendam, nec Chriſti reſpectu eam

Chriſtus reuelatus ab initio mūdi

conferri à Deo. Qui enim grato animo accipit aliquod donum, virtute eſt gratus iis omnibus, quicunque eius doni authores fuerunt, ſiue illos nouerit, ſiue non. Tandem dico, fideles illos habuiſſe fidem in Chriſtum implicitam, licet non explicitam. Credendo enim Deum ſalutis ſuæ auctorem, crediderunt implicitè ea ratione ſalutis authorem, qua id promiſerat, hoc eſt per Meſſiam à ſe promiſſum. Quocirca eo ipſo, quòd crederent Deum, ſalutis ſuæ authorem, implicitè quoque credebant Chriſtum, per quem Deus ſtatuit ſalutem hominibus conferre. Nulla igitur poteſt afferri ratio, propter quam illi fideles, qui ante Chriſtum fuerunt, à gratia Chriſti excludi debeant.

Secundò Smalcius ait, etſi ad fideles illos gratia Chriſti pertineret, non idcircò tamen ſecuturum, Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe. Verùm nos id conſequi, aliunde probamus, nempe quòd eam gratiam Chriſtus pretio ſanguinis ſui comparauerit; quòd pro peccatis noſtris mortuus ſit, & peccata noſtra portauerit in corpore ſuo, quã fuiſſe veram ſatisfactionem abundè ſatis demonſtrauimus.

Tertius locus eſt, 1. Tim: 2. 4. *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominũ, Chriſtus Ieſus qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Sicut igitur nullus hominum fuit, eſt, vel erit, quem Deus non velit ſaluum fieri; ita nullus eſt, vel fuit, vel erit, cuius non ſit mediator & redemptor Chriſtus: illud enim probatur ex iſto. quia enim vnus eſt Deus omnium hominum, & vnus omnium mediator & redemptor, idcirco omnes homines vult Deus ſaluos fieri. *Chriſtus omnium mediator ac redemptor.*

Reſpondet Smalcius, Paulum non de omnibus vniuerſè loqui, ſed de eis tantùm, quicunque poſt Chriſtum fuerunt. Atqui iam à nobis oſtenſum eſt, de illis omnibus Paulum loqui, quos Deus vult ſaluos fieri, & quorum ipſe eſt Deus. Atqui non ſolùm eos, qui poſt Chriſtum fuerunt, vult ſaluos fieri, neque ſolùm eorum ipſe eſt Deus: ergo non de iis ſolùm, qui poſt Chriſtum fuerunt. loquitur Paulus, ſed vniuerſè de omnibus hominibus: omnes enim vniuerſè vult ſaluos fieri, & omnium vniuerſè ipſe eſt Deus, non aliquorum tantùm; ac proinde omnium quoque vniuerſè Chriſtus eſt mediator & redemptor.

At inquit, homo Chriſtus IESVS mediator eorum eſſe nequit, qui eum anteceſſerunt. Quaſi verò is mediator iure dicendus non ſit, qui *Etiam eorũ qui ãte Chri*

ſti aduentũ extiterunt.

qui aliquorum debita exſoluenda ſuſcepit. Poſſe verò quem & antecedentium & vita functorum debita ſoluere, nemo inficiari poteſt. Talem igitur mediatorem eſſe, Filium Dei ex ſcripturis credimus, qui idcirco homo fieri voluit, vt omnium hominum peccata in ſeipſo portaret, eorumque pœnas in fine ſeculorum exſolueret. Quo factum eſt, vt Deus futuri pretij & ſatisfactionis reſpectu, & omnium hominum ab origine mundi peccata remitteret, & Chriſtus in conſummatione ſeculorum, etiam pro iis, qui ante ipſum fuerunt, hominibus, mortuus ſit. Sicut igitur non repugnat, antecedentium debita exſolui ab aliquo, quando vel ſponſio, vel alia quæpiam certitudo futuræ ſolutionis præceſſit: ita non repugnat Chriſtum, eorũ qui ipſum anteceſſerunt, debita peccatorum exſoluere, & ex conſequenti eorum mediatorẽ eſſe, quandoquidẽ certitudo futuræ ſolutionis & redemptionis, Deo ita decernente, præceſſit.

Etiam eorũ qui ſub veteri Teſtamento fuerunt.

Inſtat Smalcius, Chriſtum noui tantùm Teſtamenti, non veteris eſſe mediatorem: quocirca eorum, qui ſub vetere teſtamento fuerũt, nõ poſſe dici mediatorẽ. At fallit & fallitur Smalcius. Etſi enim negari nequit, Chriſtum veteris Teſtamenti mediatorem non eſſe; neq; illorum hominum, quatenus veteri teſtamento ſeruiebant, mediatorem fuiſſe: Vetus enim teſtamentum carnale fuit, & in promiſſionibus non ſpiritualibus, ſed carnalibus fundatum: Chriſtus verò *melioris Teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt,* nempe in promiſſionibus remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, vt docet Paulus Hebr: 8. 6. tamen quia fideles illi, quatenus per fidẽ operantem per charitatem iuſtificabantur, promiſſiones noui teſtamenti de remiſſione peccatorum & vita æterna participabant, ad gratiam noui teſtamenti pertinebant, quæ illis anticipatè tum conferebatur; vt & ipſi gratiæ Chriſti, quæ in omnes homines, teſte Paulo, abundauit, eſſent participes. Quocirca non veteris teſtamẽti, nec hominũ, quatenus ad vetus teſtamẽtum ſpectabant, Chriſtus erat mediator, ſed quatenus ad gratiam noui teſtamenti, & ad promiſſiones noui teſtamenti proprias admittebantur, idque indicant illa omnia ſcripturæ loca, quæ redemptionem & gratiam Chriſti ad omnes homines pertinere teſtantur.

Poſſunt ijdẽ ad nouũ & vetus Teſta-

Neque verò repugnat, fideles illos ſecundùm diuerſas rationes ad vetus & nouum teſtamentum pertinuiſſe. Neque enim ex veteri teſtamento, ſed ex nouo remiſſionẽ peccatorum & ſpem hæreditatis vitæ

tis vitæ

tis vitæ æternæ accipiebant. Porrò hanc eandem diſtinctionẽ Paulus indicat, docens non omnes Iſraelitas eſſe Filios Dei, ſed illos ſolùm, qui ſunt Filij promiſſionũ. *Non qui filii carnis, hi Filii Dei, ſed qui Filii ſunt promiſſionis.* Rom: 9. 8. & Rom: 2. 29. diſtinguit *Iudæum carne, & Iudæum ſpiritu.* & 2. Cor: 3. 6. facit diſtinctionẽ *literæ occidentis, & ſpiritus viuificantis*: illam ad veterem legem, hanc ad nouam accommodat. Et ſanè cùm Paulus dicat vnum tantùm eſſe redemptorem hominũ; ſicut & vnum Deum; alterum ex duobus fatendum eſt, nempe eos, qui ante Chriſtum fuerunt, vel redemptore non eguiſſe, vel Chriſtũ redemptorem habuiſſe, cùm Paulus non agnoſcat, niſi vnum redẽptorem. Quare ſi illo vnico redemptore non eguerunt, abſolutè redemptore non eguerunt: cùm præter vnum non ſit alius. Si verò eguerunt, Chriſtum, qui vnicus redemptor à Paulo dicitur, redemptorem habuiſſe credendum eſt.

mentum diuerſa ratione pertinere

Smalcius ait, me miſcere redemptorem cum mediatore, cùm iſta ſint diſtincta, & eos, qui erant ante Chriſtum, habuiſſe Deum redemptorem, non mediatorem. Sed Smalcius falſò ait, me miſcere redemptorem cum mediatore, cùm non ſim ignarus, poſſe quem mediatorem eſſe, qui non ſit redemptor. qualis fuit Moyſes in lege veteri, qui dicitur *mediator*, Gal: 3. 19. cùm tamen redemptor non eſſet: poſſe etiam redemptorem eſſe, qui non ſit mediator. quo ſenſu ſæpè in ſcriptura dicitur Deus redemptor & liberator, quia liberat populum à multis malis. Verùm mediatorem talem, *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, dico eſſe etiam redemptorem, & redemptorem talem, *qui dedit ſeipſum redemptionem pro multis*, eſſe etiam mediatorem, ita vt pro eodem voces redẽptoris & mediatoris in hoc ſenſu, quo à Paulo hîc accipiuntur, ſint habendæ.

Redemptor & mediator quomodo idem.

Iam verò cùm dicit, eos qui ante Chriſtum erant, redemptorẽ habuiſſe Deum ipſum, qui per ſeipſum illos iuſtificabat & ſaluabat, non aduertit, nos quoque habere Deum redemptorem: ſed id quæritur, an ſicut nos homine eguimus redemptore, qui daret ſeipſum redemptionem pro omnibus; ita & ipſi. Paulus enim ita dicit, vnum eſſe omnium redemptorem, hominem Chriſtum Ieſum, ſicut & Deus eſt vnus. Quare ſicut Deus eſt vnus, omnium hominum, qui ſunt, fuerunt, & erunt: ita & Chriſtus homo dicitur vnus Mediator & Redemptor omnium hominum, qui ſunt, fuerunt, & erunt. Deinde dico,

Deus qui dicitur Redemptor.

de dico, etiam Deum in veteri lege dici redemptorem in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, ſed non niſi per Chriſtum; quia per Chriſtum ſtatuit omnes homines ſaluare, & ſerpentis caput, qui peccatũ & mortem inuexerat in mundum, conterere. Gen: 2.15. Contriuit autem ſerpentis caput, liberando nos omnes à peccato & morte, quam ſerpens in nos inuexerat.

Ex quo patet ineptè à Smalcio negari, Paulum dixiſſe, vnum eſſe redemptorem: per ſe enim manifeſtum eſt, Mediatorem, qui dedit ſemetipſum redemptionẽ pro omnibus, eſſe redemptorẽ. Dicẽdo igitur vnum eſſe Mediatorem, qui dedit ſeipſum redemptionem pro omnibus, dixit eſſe vnum redemptorem, & quidem talem redẽptorem, qui dedit ſeipſum redemptionem pro omnibus, quo modo Deus per ſeipſum non eſt redemptor, ſed ſolus Chriſtus.

αντιλυτρος.

Noto etiam in verbis Pauli: cùm ait Chriſtum dediſſe ſeipſum redemptionem, non dixiſſe λυτρον, quod pretium ſignificat, ſed αντιλυτρον, quo commutatio ſignificatur; qua caput capite, vita redimitur vita: vt vel ex hoc intelligatur, verum pretium Chriſtum obtuliſſe pro nobis, quo res pro re commutatur: quo etiam efficacitas ſanguinis Chriſti & ſatisfactio comprobatur contra Arianos.

Chriſtus eſt propitiatio pro toto mundo.

Quartus locus eſt, 1. Ioan: 2. 3. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Reſpondet Smalcius, id de toto mundo, qui poſt Chriſtum extitit, intelligi debere. Quid ita? quia Smalcio ſic videtur: etſi nulla particula verborum S. Ioan: talem reſtrictionem poſtulet. Et verò cùm Ioannes dicit, Chriſtũ eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi, an non ſatis indicat, nullum peccatum eſſe, aut fuiſſe in mundo, pro quo propitiatione per Chriſtum non fuerit opus. Etenim ſi pro peccatis mundi poſt Chriſtum exiſtentis propitiatione apud Deum fuit opus, an non eadem (ſi non maior) ratio poſtulat, pro peccatis quoque mundi ante Chriſtum exiſtentis propitiatione fuiſſe opus: alioqui Deus ante Chriſtum fuiſſet magis in homines miſericors, qui abſque vlla propitiatione ab aliquo facta, peccata hominibus ignoſceret: poſt Chriſtum verò non niſi propitiatus à Chriſto, ea ignoſcat; cùm oppoſitum potius ſcriptura indicet, Deum olim fuiſſe, Deum vltionũ, & ſeuerum in peccata hominum animaduerſorem: nunc autem *Patrem miſericordiæ, & Deum totius conſolationis.* nunc eſſe tempus gratiæ & liberta-

libertatis; olim fuiſſe tempus ſeueritatis & ſeruitutis. Cùm igitur dubitari non poſſit, toti mundo propitiatione & propitiatore opus fuiſſe, profectò neque dubitari debet, cùm à Ioanne Chriſtus dicitur eſſe propitiatio pro peccatis totius mundi, de toto mundo tam ante Chriſtum, quàm poſt Chriſtum exiſtente intelligendum eſſe: ita vt nulla peccata fuerint in mundo, pro quibus Chriſtus non ſit propitiatio, cùm pro peccatis totius mundi ſit propitiatio.

Quintus locus eſt, Apoc: 5. 9. vbi viginti quatuor ſeniores, nomine totius populi Dei, canunt Agno; *redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Porrò totus populus Dei, qui ſaluandus eſt, quique dicitur collectus ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, conficitur tam ex iis, qui poſt Chriſtum fuerunt, quàm ex iis qui ab orbe condito extiterunt. Omnes igitur iſti, qui ſaluabantur, dicuntur redēpti Deo in ſanguine Chriſti. Seniores etiam vigintiquatuor ſunt præcipui ex populo Dei, tam noui quàm veteris teſtamenti, & cæterorum tanquam capita. Hoc enim & nomen ipſum ſeniorum indicat, & throni in quibus ſedent, & coronæ aureæ, quæ prælationem & dignitatem præ aliis maiorē ſignificant. Dicuntur verò 24. qui numerus ex duobus duodenariis conficitur. Duodenarius autem numerus, perfectus habetur, & vniuerſalitatē deſignat: ita vt omnes ſeniores tam noui quàm veteris teſtamenti, 24. ſeniores dicantur.

Omnes qui ſaluantur fatentur ſe redemptos ab agno.

Seniores 24.

Smalcius ſuo more, hoc eſt ſine alia probatione ait, totum populum Dei, qui poſt Chriſtum extitit, hoc in loco deſignari. At reiicitur. de omnibus enim qui ſalutem conſecuti ſunt, ibi agitur; & omnium, qui ſaluati ſunt, nomine decantatur, *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu.* Atqui ad numerum ſaluandorum pertinent omnes ab orbe condito iuſti, tam qui Chriſtum præceſſerunt, quàm ij qui ſecuti ſunt. Quocirca & 24. ſeniores, Principes populi Dei, tam in nouo, quàm in veteri teſtamento accipiendi ſunt: cùm non in nouo ſolùm, ſed & in veteri teſtamento Principes populi Dei fuiſſe, nemo inficiari poſſit.

Equidem nimirū arrogans ac proteruus eſt Smalcius, cùm Doctores ita exponentes erroris damnare non erubeſcit. Errat potius ipſe, qui noua & inopinata, quæ confingit, pro oraculis haberi vult. Patres, inquit, antiqui, nihil de mortis Chriſti fructu ſciuerunt. At

Arrogantia Smalciana.

id fal-

id falſiſſimum eſt. Nam Meſſiam eſſe ſaluatorem à Deo promiſſum crediderunt, vt mox dicemus. Saluaturus autem erat, non niſi per ſanguinem & mortem ſuam.

Addit tandem Smalcius, Chriſtum dici poſſe redemiſſe omnes homines ab initio mundi non ſatisfaciendo pro illis, ſed potentia ſua, quam, morre interueniente, conſecutus eſt ſalutem illis conferendo. Verùm nihil agit Smalcius. nam hîc de redemptione à peccatis agimus, an ſcilicet Chriſtus illos, qui ante ipſum fuerunt, æquè vt nos à peccatis redemerit: hoc enim à Smalcio & Socino negatur. Quod ſi Smalcius ſuum errorem iam reuocare vult, & concedere omnes ab initio mundi eſſe redemptos à peccatis ſanguine Chriſti, & Chriſtum pro illis mortuum eſſe; tunc illud etiam conſequetur, ipſos æquè ac nos redemptos eſſe, ſatisfaciente Chriſto pro peccatis omnium.

Ab orbe condito Chriſtus pro Meſſia agnitus & creditus.

Sexto loco afferimus ea ſcripturæ loca, in quibus docetur Chriſtum ab orbe condito, ab hominibus pro Meſſia & ſaluatore ſuo agnitum & creditum, expectatumq; fuiſſe. Ex quo ſequitur, etiam eorum hominum, qui ab orbe eondito extiterunt, Chriſtum Saluatorem & Redemptorem fuiſſe, non minus quàm aliorum, qui poſt ipſum fuerunt. Etenim ſtatim poſt peccatum primorum parentum promiſſus eſt Chriſtus, qui contriturus erat caput ſerpentis, Gen: 3. 15. quæ contritio nihil aliud eſt, quàm libera[tio] noſtra à peccatis & à morte, ratione quorum in captiuite & ſeruitute ſerpentis fuimus omnes. Idem quoque, teſte Paulo, figuratum fuit in productione mulieris ex coſta Adami, Gen: 2. 22. fuit enim hoc ſacramentum & myſterium magnum in Chriſto & Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, de carne eius, & de oſſibus eius. Abrahamo deinde promiſſus eſt Chriſtus, Gen: 22. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Iacob moriens, ait, *Salutare tuum expectabo Domine,* Gen: 49.18. Balaam, Num: 24. 17. prædicit *ſtellam orituram ex Iacob.* Moyſes Deuter: 18. 15. *Prophetam,* inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus.* quod ipſum toti illi populo manifeſtauit. Anna, 1. Reg: 2. 10. de Meſſia loquens, ait: *Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.* 2. Reg: 7. 14. in typo Salomonis, Deus promittit Filiũ ſuum ex ſemine Dauid, exponẽte Paulo Heb: 1. In Pſalmis verò & Iſaia, aliiſque deinceps Prophetis,

phetis, ita clarè promittitur Chriſtus, eiuſque & ortus, & vita, & paſſio, ita euidenter & apertè proponitur, vt dubium non ſit, omnibus Iudæis id notum fuiſſe. Denique Chriſtus ipſe idem atteſtatur, cùm ait: *Multi Reges & Prophetæ deſiderárunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; audire, quæ vos auditis, & non audierunt. & Abraham*, inquit, *exultauit, vt videret diem meum.*

Ex quo ſequitur, quòd ſicut nobis per fidem redēptionis Chriſti fructus applicatur, ita & illis applicabatur. quamuis enim non tam explicitam & expreſſam fidem in Chriſtum haberent, vt nos habemus: habebant tamen fidem talem, qua ipſum tanquam auctorē ſalutis & redēptionis ſuæ ſuo modo agnoſcerent & crederent. quam fidem ad iuſtificationem ſufficere docet Paulus, Rom: 4. 5. *Credenti in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam.* *Fides implicita.*

Smalcius reſpondet primùm, non ſequi, ſi præcipui quidam talem fidem habuerunt, reliquos etiam omnes habuiſſe. At longè à vero aberrat Smalcius. ea enim quæ ad communem omnium ſalutē ſpectant, ſi viris præcipuis reuelata leguntur, indubitatum eſt ab illis in reliquos profluxiſſe. Fuerunt enim illi tanquam à Deo ad homines nuncij. & ſicut quæ Apoſtolis Spiritus S. reuelauit, ea illi in publicum protulerunt, omnibuſq; fidelibus communicauerunt; ita & de præcipuis in populo Dei ſentire par eſt. id quod etiam Moyſis exemplo paulò ante comprobatum eſt. Immeritò igitur Smalcius illos antiquos populi Dei Patriarchas inuidos, & nulla charitate præditos facit, vt ea quæ ad communem omnium ſalutem & bonum ſpectarent, populo communicare noluerint. Quanquam non eſt neceſſe reliquos de plebe fideles tam expreſſam de Meſſia ſaluatore notitiam & fidem habuiſſe, vti eam habuerunt præcipui Patres. Sat enim erat populo in communi, Meſſiam ſeu ſaluatorem venturum credere & expectare. *Fides in Meſſiam communis omnibus.*

Secundò reſpondet Smalcius, etiamſi daretur omnes ab orbe condito fideles, Chriſtum pro Meſſia & ſaluatore agnouiſſe, ex eo tamen non conſequi, pro peccatis eorum vel ſatisfeciſſe vel mortuū eſſe. Satis enim eſſe, inquit, quòd Chriſtus omnibus æternam vitam dabit, & omnes à morte æterna liberabit, etiamſi pro peccatis eorum nec mortuus ſit, nec ſatisfecerit. Quæ reſponſio eò planè recidit, vt Chriſtus omnium ſit ſaluator, quia omnibus vitam æternam eſt daturus:

turus:

turus: non omnium tamen redemptor: quia eos, qui ipſum præceſſerunt, nec redemit ſanguine ſuo, nec pro peccatis eorum mortuus eſt aut ſatisfecit.

Abſurda doctrina quòd Christus ſit Saluator eorum, quorum non fuit Redẽptor.

Verùm inprimis hæc diſtinctio eſt inaudita, vt Chriſtus aliquorum dicatur Saluator, quorũ non fuerit Redemptor. Chriſtus enim in ſcripturis non niſi propter redemptionem dicitur Saluator. redimendo enim nos à peccatis, cõſtituit filios Dei & hæredes vitæ æternæ: ita vt vita æterna non in cœlo primùm nobis donetur, ſed iure hæreditario, quod in terra facti filij acquiſiuimus, nobis redditur. *Si enim filii & hæredes.* Rom: 8. ſic & Angelus Matth: 1. annuncians Chriſtum, vocat eum Ieſum, id eſt Saluatorem. *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ioan: 10. 10. oſtendit ſe veniſſe in mundum, vt oues ſuæ *vitam habeant, & abundantius habeant*: & idcirco ait *ſe ponere animam pro ouibus.* Non confert igitur vitam ouibus ſuis Chriſtus, niſi per redemptionem & mortem. *Acquiſiuit enim Eccleſiam ſanguine ſuo,* Act: 20. & *eſt ſaluator corporis ſui,* id eſt Eccleſiæ, *ſeipſum tradendo pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam.* Eph: 5. 25. Paulus etiam ait, decuiſſe Chriſtum *authorem ſalutis hominum, per mortem conſummere, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperiũ, id eſt Diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam erant obnoxij ſeruituti* Nonniſi igitur per mortem ſuam nos à morte liberat, & vitam æternam largitur.

Deinde, quemadmodũ nos per fidem in Chriſtum Saluatorem, efficimur redemptionis eius participes, & à peccatis iuſtificamur, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, *quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Rom: 3. 24. ita & ij qui Chriſtum præceſſerunt, habentes fidem in Chriſtum Saluatorem, per eam fidem quidni iuſtificarentur à peccatis, & redemptionis Chriſti eſſent participes. Certè Iſaias c. 53. ſe à Chriſto redemptum non negat, cùm ait: *cuius liuore ſanati ſumus, & poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum, & languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* ita vt falſiſſima prorſus habenda ſit illa Smalcij doctrina, Chriſtum aliquorum eſſe Saluatorem, quorum Redemptor non ſit: propter redemptionem enim eius & fidem in redemptione ipſius ſaluamur. Porrò redemptionem Chriſti ſatisfa-

ctoriam

ctoriam eſſe, ſatis ſupra probauimus. Vnde, ſi ad eos, qui Chriſtum præceſſerunt, redemptio Chriſti pertinet, pertinet & ſatisfactio.

Obiicit Smalcius, fidem in Chriſtum ad iuſtificationem non ſemper requiſitam fuiſſe. Etſi enim nemo niſi per fidem iuſtificari vnquam potuerit, dicente Paulo Heb: 11.6. *Enoch placuiſſe Deo ex fide: ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.* ea tamen fides non fuit in Chriſtum fides, ſed in Deum. Nam ibidem explicans fidem, qua & Enoch placuit Deo, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ſubdit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit.*

Verùm nihil agit Smalcius. Dicimus enim fide in Deum, contineri implicitè fidem in Chriſtum. Etenim fides in Deum ad iuſtificationem talis eſt ſemper requiſita, vt eſſet fides in Deum vt Saluatorem, dicente Paulo: *Credenti in eum, qui iuſtificat impium, fides reputatur ad iuſtitiam.* Porrò Deus non alia ratione promiſit ſe fore Saluatorem, niſi per Chriſtum, promittendo Chriſtum, qui eſſet Meſſias & Saluator noſter. Quocirca ad eam fidem in Deum, quæ ad iuſtificationem ſemper requirebatur, pertinuit quoque fides in Chriſtum. tenebantur enim credere, Deum eſſe eo modo Saluatorem, quo promiſit. promiſit autem ſe fore Saluatorem per Chriſtum, quem ad ſalutem noſtram mittere decreuerat; tenebantur igitur fidem in Chriſtum habere ſiue explicitam, ſiue implicitè in fide Dei contentam, hoc eſt, vt crederent Deum, eſſe Saluatorem per eum, quem ipſe ad ſalutem mittere decreuit & hominibus promiſit ac declarauit. licet quis & quantus ille futurus eſſet, & quibus modis ſalutem nobis cõparatur⁹ eſſet, explicitè tum non intelligerent. Siquidẽ id illis explicitè reuelatum non fuit. Neque enim plùs de Chriſto Saluatore credere tenebantur, quàm illis reuelatum eſſet. Non fuerunt autem ſtatim de Chriſto reuelata omnia: non igitur omnia, ſed aliqua tantũ de Chriſto credere tenebantur. *Fides in Chriſtũ ſemper fuit ad iuſtificationem requiſita.*

Etſi verò ſine fide in Chriſtum, potuiſſet Deus homines iuſtificare, quia tamen de facto ſtatim poſt peccatum Chriſtum Saluatorem promiſit, voluit vt ſine fide in ipſum, ſiue explicita, ſiue implicita nemo iuſtificaretur. Etenim ſi fides in Saluatorem iuſtificat; Chriſtus autem ſtatim ab initio mundi propoſitus fuit Saluator, ſequitur fidem quoque iuſtificantem debuiſſe eſſe in Chriſtum Saluatorem. Quare & Paulus, cùm *accedentem ad Deum,* dixit, *oportere credere, quia eſt, & quòd*

eſt, & quòd inquirentibus ſe, remunerator ſit, complexus eſt in vtroque implicitè fidem Chriſti ſaluatoris. Qui enim credit Deum eſſe, credit etiam Deum ſaluatorem eſſe. Cùm autem Deus ſaluator eſſe voluit per Chriſtum, idipſum conſequenter ad iuſtificationem credi oportet. Cùm etiam dicit, inquirentibus ſe, remuneratorem eſſe, tales inquirentes intelligit, qui eo modo, quem Deus propoſuit ad ſalutem, quærunt Deum. Modus autem, quem Deus ad ſalutem propoſuit, eſt per Chriſtum Meſſiam & ſaluatorem, Denique cùm dicit, *Remuneratorem*, intelligit eo modo, quo ſe fore remuneratorem promiſit. promiſit autem per Chriſtum.

Ex quo patet, omnes ab orbe condito fideles, in eo quòd *credebant Deum eſſe, & inquirentibus ſe remuneratorem eſſe*, neceſſariò credidiſſe implicitè Chriſtum ſaluatorem. Nam & Deus ſe ſaluatorem futurum promiſit per Chriſtum, & inquiri ſe voluit per Chriſtum, & remunerator eſſe voluit per Chriſtum. Quare & Paulus ex Habacuc Propheta adducit, iuſtum ex fide Chriſti venturi vixiſſe & placuiſſe Deo. Heb: 10. 37. ait enim Habacuc c. 2. 3. *Si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſeipſo: iuſtus autem in fide ſua viuet*: in ea ſcilicet fide, quâ Meſſiam & ſaluatorem venturum expectabat, vitam animæ conſequetur, quam etiam Paulus *acquiſitionem animæ* appellat.

Fides implicita eſt verè fides & ad iuſtificationem cõfert.

Ait Smalcius, ſe fidem iſtam in Chriſtum implicitam non curare, quòd ea nihil ad remiſſionem peccatorum conferat. Sed errat; nam ſi fides implicita in Chriſtum, eſt verè fides in Chriſtum, non poteſt ad remiſſionem peccatorum non conferre. Sicut autem verè credimus, aliquem eſſe benefactorem noſtrum, etſi eum nondum, quis & qualis ſit, cognouerimus, ſi nobis dona aliqua vel ab alio impetret, vel per alium mittat, ipſe ſeipſum non manifeſtans: ita & à Chriſto beneficium remiſſionis peccatorum, homines illi ab initio mundi accipere poterant, & credere illum benefactorem & redemptorem ſuum, etiamſi quis & quantus eſſet, & quid pro nobis paſſurus eſſet, non cognoſcerent.

Errores varij Smalcij.

Similiter falſum & illud dictum Smalcij, non omnibus ab orbe condito Meſſiam promiſſum eſſe, ſed Abrahamo primùm, neq; eas promiſſiones de ſalute per Chriſtum afferenda, ſed de aliis rebus intelligendas eſſe. Quis enim neſciat, Meſſiam non vni alicui ex hominibus,

minibus, ſed toti hominum generi per Adamum in peccatum lapſo promiſſum eſſe? Nam licet Deus, cum quibuſdam tantùm ageret, iiſque promiſſionem ſuam hanc reuelaret: voluit eam tamẽ, & eius fructum ad omnes ſpectare. Sicut enim omnes erant in peccatum lapſi: ita Meſſia, in peccati deſtructionem, omnes indigebant. Fallitur verò cùm exiſtimat, promiſſionem Meſſiæ Abrahæ primùm factam eſſe. Abrahæ enim ſolùm promiſſum eſt, quòd ex eius ſemine naſciturus eſſet Meſſias: abſolutè verò ſtatim poſt peccatum promiſſus eſt, cùm per ipſum contritio capitis ſerpentis promiſſa eſt, Gen: 3. & ſicut ſerpens omnes in peccatum & mortem impulerat, ita promiſſio Meſſiæ conterentis caput ſerpentis ad omnes pertinuit, vt contrito ſerpente, à peccatis & morte liberarentur beneficio Meſſiæ. Denique errat, cùm promiſſionem Meſſiæ de aliis quibuſdam rebus, non de ſalute per ipſum afferenda, intelligi debere contendit. Nam contritio capitis ſerpentis promiſſa, ſalutem noſtram & liberationem continet; & Meſſiæ ipſius officium eſt, Saluatorem eſſe. Ex quo patet myſterium hoc, fuiſſe quidem abſconditum in Deo & tacitum ab initio mundi, quia explicitè non fuit reuelatũ, ſed tantùm in confuſo fuit propoſitum à Deo, & cognitum ab hominibus. vti explicat Paulus Eph: 3.5. *quod* inquit, *in aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc eſt reuelatum ſanctis Apoſtolis eius & Prophetis in ſpiritu.* vbi particula *ſicut*, oſtendit reuelatum quidem fuiſſe, ſed non ſicut Apoſtolis, hoc eſt non tam expreſſè & perſpicuè.

Denique contra Arianos ſic argumentamur. Si priſcis illis hominibus, per quatuor annorum millia, Chriſtus non fuiſſet neceſſarius ad iuſtificationem: ita vt ſine redemptione ipſius ac morte, remiſſionem peccatorum & gratiam Diuinam obtinere potuerint: profectò nec nobis fuiſſet neceſſaria Chriſti redemptio: poteramus enim ad eum modum, quo priſci illi perfectè iuſtificari, & peccatorum veniam obtinere. alioqui in lege noua longè difficilior eſſet remiſſio peccatorum, quàm fuit in lege veteri: Ibi enim ex abſoluta Dei liberalitate dimittebantur peccata: in lege autem noua pro remiſſione peccatorum, Chriſtus ſanguinem fundere & crudeliſſimè occidi debuit. quam eſſe longè difficiliorem rationem conſequendi remiſſionem peccatorum, nemo non videt: ſiquidem in veteri lege tam difficile medium ad veniam conſequendam non requirebatur. *Chriſtum omnibus ab orbe condito fuiſſe neceſſarium probatur.*

Quomodo igitur lex noua lex gratiæ dicetur, ſi longè difficiliùs remiſſionem peccatorum confert, cùm potius eade causa longè grauior cenſeri deberet.

Reſpondet Socinus, ſi abſoluta neceſſitas conſideretur, non fuiſſe Chriſtum neceſſarium ad ſalutem hominum. potuit enim Deus abſque Chriſti paſſione & morte omnes homines ſaluare: at ſi de neceſſitate ex hypoteſi ſermo ſit, certum eſt neminem poſſe ſaluari, niſi per Chriſtum. At non reſpondet ad rem Socinus. non enim hîc abſolutam neceſſitatẽ vrgemus, ſed eam, quæ eſt ex ſuppoſitione voluntatis Diuinæ ſaluandi homines per Chriſtum. Etenim ſi Deus per quatuor annorum millia non requiſiuit ad hominum ſalutem, Chriſtum; pari ratione non fuiſſet neceſſarium deinceps requirere Chriſtum ad ſequentium hominum peccata tollenda. Non enim voluit difficiliùs & grauiùs tolli peccata hominum in lege noua, quàm in veteri. Quare ſi in veteri voluiſſet tolli ſine morte Chriſti, idem voluiſſet & in noua: aut ſi in noua noluit, nec in veteri voluiſſe cenſendus eſt.

Neceſsitas redemptionis Chriſti quæ?

Porrò ſecundùm ſcripturas neceſſarium fuiſſe Chriſtum exurgere ad peccata hominum tollenda, Paulus Heb: 7.11. docet, cùm ſic argumentatur: *Si enim*, inquit, *per ſacerdotium Leuiticum conſummatio erat, quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem.* Quia enim alij ſacerdotes non erant ſufficientes ad tollenda hominum peccata, idcirco neceſſarium erat alium exurgere ſacerdotem Chriſtum, qui potens eſt ad auferenda ſanguine ſuo omnia mundi peccata. Ex quo patet, hîc Paulum loqui de neceſſitate ex ſuppoſitione. Suppoſito enim quòd Deus voluit auferri peccata per veram redemptionem, ſequitur neceſſarium fuiſſe, vt veniret Chriſtus, quia nullus alius præter ipſum ſanguine ſuo nos redimere potuit. alij enim ſacerdotes ſanguine animalium pro peccatis fuſo id præſtare non poterant. alioqui non ſolùm non fuiſſet neceſſariũ Chriſtum venire, ſed multò faciliùs ſine ipſo, ſicut & ante ipſum peccata fuiſſent remiſſa, quàm per ipſum: quia ſine tot difficultatibus torque duris mediis. Quare ex eo concludere oportet, ne priſcis quidem fidelibus ſine Chriſti paſſione & redemptione obtigiſſe peccatorum remiſſionem: alioqui fuiſſet facilior illis, quàm nobis, remiſſio peccatorum.

Reſpon-

Reſpondet ſecundò, etiamſi Chriſtus fuiſſet neceſſarius illis priſcis hominibus, non tamen ex eo ſequi, fidem in Chriſtum fuiſſe illis hominibus neceſſariam. Poteſt enim, inquit, Deus eum etiam per Chriſtum ſeruare, qui in Chriſtum non credidit, dummodò in Deum crederet: quod inquit, nos veriſſimum eſſe ſtatuimus. Verùm vbi perfidus iſte legit in ſcripturis, Chriſtum eſſe cauſam alicui ſalutis, qui in ipſum non credat. Oppoſitum certè damnant ſcripturæ omnes, fidem in Chriſtum requirentes ad ſalutem per Chriſtum conſequendam: *vt omnis,* inquit, *qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Qui autem non credit, iam iudicatus eſt. quia non credit in nomine vnigeniti Filii Dei.* Ioan: 3.16.18. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Mar: 16.16. *quem poſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Rom: 3.25. *concluſit omnia ſcriptura ſub peccato, vt promiſſio ex fide daretur credentibus.* Gal: 3.22. *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Qua fide igitur contra ſcripturas tam manifeſtas pronũciare audet, etiam non credentibus in Chriſtum, Chriſtum ſalutem conferre.

Abſurdus error Smalcianus.

Tandem ait, non ſequi, eum qui credit in Chriſtum, credere debere, eum pro peccatis ipſius ſatisfeciſſe: ſicut nec qui credit in Deum, credit Deum pro peccatis ſuis ſatisfeciſſe. At errat. Nam fides in Chriſtum, quæ requiritur à nobis ad iuſtificationem, eſt, vt credamus per redemptionem & ſanguinem ipſius, nos iuſtificari & ſaluari. Rom: 3.25. Talem autem fidem in Chriſtum, nemo habere poteſt, qui eum non credit ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, cùm (vti demonſtratum eſt) redemptio Chriſti in ſatisfactione pro peccatis tota poſita ſit. Quocirca meritò dicere poſſumus, Arianos Racouienſes non credere in Chriſtum, cùm neque illum verum Deum credant, nec verum redemptorem, qui ſanguine ſuo nos à peccatis redemerit, & pro illis Deo ſatisfecerit.

Fides de redemptione Chriſti neceſſaria ad iuſtificationem.

Concludit porrò Smalcius, Chriſtum idcirco noſtrum Redemptorem eſſe, quòd viam ſalutis annunciauerit, confirmauerit, & in ſeipſo oſtenderit, & ipſam ſalutem tandem ad exitum perducturus ſit, & quod ſanguine eius effectum ſit, vt ſalutem æternam tum amplecteremur, tum reipſa conſequeremur: verùm quid hoc aliud eſt, quàm redemptionem verbis tantùm aſſerere, re autem ipſa tollere? Nam annunciare viam ſalutis, etiam Apoſtolis conuenit; qui etiam eandem confirmârunt ſanguine ſuo, cùm pro Euangelij, quod annũciabant,

Doctrina Smalciana de redemptione Chriſti abſurda.

Refellitur. 1.

ciabant, veritate ſint mortui: eandem exemplo in ſeipſis, tam in vita quàm in morte oſtenderunt, tandemque id laboribus ſuis & ſanguine pro Euangelio fuſo effecerunt, permouendò nos, vt & ſalutẽ nunc amplectamur, & olim eam reipſa conſequamur. Neq; tamen quis dixerit Apoſtolos, noſtros redemptores eſſe, aut à peccatis nos redemiſſe: id enim Paulus ita horruit, vt tanquam rem abſurdiſſimam intulerit, *Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis?* Nam quod aiũt, perfectiori ratione, Chriſtum ea omnia præſtitiſſe: inde tamen non efficiunt, quominus Apoſtoli quoque & alij prædicatores & martyres, idem munus redemptionis, licet minus perfecta ratione impleant: ita vt noſtri redemptores dici poſſint, eadem, licet non æquè perfecta, ratione qua Chriſtus.

2. Adhæc Chriſtum Redemptorem ſolum indicatiuum remiſſionis peccatorum faciunt, non autem effectiuũ: quod eſt veram rationem redemptoris euertere. Is enim verè redemptor eſt, qui efficit redemptionem, non verò qui eam tantummodo indicat. Quid porrò aliud eſt, annunciare viam ſalutis verbo, confirmare ſanguine, oſtendere exemplo vitæ ſuæ, mortis & reſurrectionis, & permouere nos paſſione ſua vt amplectamur ſalutem, & tandem eam conſequamur, niſi indicare tantummodò remiſſionem peccatorum? is enim verè efficit redemptionem, qui verum pretium ſoluit, quo fit

3. iuſta compenſatio pro captiuo, vel pœnis peccatorũ, quod iſti Chriſto non tribuunt, ſanguinem Filij Dei tam vilem & parui pretij æſtimantes, vt ad ſoluendum debitum peccatorum noſtrorum, ipſorum ſententia minimè ſufficiat, cùm tamen eum ſcriptura pretioſum, & magnum pretium, & ἀντίλυτρον, hoc eſt pretium pro nobis permutatum, ac nobis redimendis par, nominet. alioqui ſi non eſſet par, non eſſet magnum, ſed nimis paruum redemptionis noſtræ reſpectu.

4. Quod ſi dicant, Chriſtum præterea ſalutem, id eſt vitam æternam, reipſa daturum nobis eſſe, primùm nos hic de redemptione agere, quam iſti communem faciunt Chriſto cum Apoſtolis & aliis prædicatoribus. Deinde quod ad vitam æternam donandam attinet, eam Chriſtus donat nobis vt redemptor. Per redemptionem enim Chriſti efficimur Filij in hac vita, & ex conſequenti hæredes, ſecundùm ſpem vitæ æternæ, ita vt ea nobis reddenda ſit in cælo, tanquam hæredibus & Filiis. Si igitur non fuit verè & propriè redemptor noſter,

ſter, conſequens eſt neq; verum ſaluatorem fore. Quod ſi verè ſaluator noſter eſt ſecundùm ſcripturas, profectò & verus redemptor dici debet: ſiquidem neminem ſaluat, niſi quem redemit, & iure redemptionis confert illi, tanquam Filio & hæredi, vitam æternam. Verùm hæc intelligere nolunt Ariani: *obſcuratum enim eſt inſipiens cor eorum*, & (quod de Iudæis Paulus dicit) *velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, donec* gratia Diuina tandē aliquando auferatur. 2. Cor: 3. 15.

Ex gratuita peccatorum remiſſione, quam ſcripturæ prædicant, ineptè inferunt Ariani, Chriſtum pro peccatis non ſatisfeciſſe. Cap: XI.

QVæ aduerſus ſatisfactionem Chriſti ab Arianis adferuntur, ad duo capita reuocari poſſunt. Alterum eſt, quòd ſatisfactionē Chriſti putant cum gratuita remiſſione peccatorum ſtare non poſſe. Alterum, quòd Chriſtum ſua paſſione & morte ſatisfacere prò peccatis ſit impoſſibile. Ad quæ duo capita referuntur ea omnia, quæ Socinus in tertia parte libri de Seruatore prolixè proſecutus eſt, quæ tamen dictis duobus capitibus declaratis, penitus concidant neceſſe eſt, ita vt immeritò quæratur Smalcius me tam pauca ad diſſoluendas Socini rationes attuliſſe, cùm ſubruto vno vel altero fundamēto, totam in eo fundatam fabricam, quanta quanta ſit, corruere oporteat. In hoc igitur capite primùm in genere oſtendam, quàm fœdè ac turpiter hallucinatus ſit Socinus in gratuita remiſſione peccatorum aſſerenda; deinde ad rationes eius in particulari gradum faciam.

Aio igitur Socinum cum ſuis in hoc hallucinatum eſſe, quòd non ſatis intellexerit, quo ſenſu in ſcriptura gratuita peccatorū remiſſio dicatur. Etenim id ſcriptura non aliter aſſerit, niſi reſpectu noſtri: quia ſcilicet non ex operibus aut meritis noſtris, ad Tit: 3. 5. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* & ad Rom: 11. 6. *In hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ factæ ſunt: ſi autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia.* Rom: 4. 4. probat Paulus nos ex gratia, non ex operibus iuſtificari. *Ei,* inquit, *qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtifi-*

Quo ſenſu gratuita remiſſio peccatorum dicatur in ſcriptura.

 cat im-

cat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundùm propoſitum gratiæ Dei. Quocirca ſcriptura gratuitam remiſſionem ſolùm opponit operibus noſtris, eaque excludit; & idcirco docet, nobis gratis peccata remitti: quia ex nullis operibus iuſtitiæ, quæ fecimus, remittuntur.

Porrò eadem ſcriptura non vult ita gratis eſſe remiſſionem peccatorum, vt non ſit ex operibus Chriſti, ſed tantùm vt non ſit ex operibus noſtris. Requirit enim redemptionem, ſanguinem, & mortem Chriſti. Etenim Rom: 3. 24. poſtquam dixit Paulus, *nos eſſe iuſtificatos gratis per gratiam ipſius,* mox addit, *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Eph: 1. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius in remiſſione.. peccatorum.* Act: 20 *quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Certè quod ſanguine acquiritur, operibus acquiritur. quo etiam ſanguine dicimur loti, mundati, purgati à peccatis.

Gratuita remiſſio non excludit redemptionē Chriſti.

Sicut igitur gratuita remiſſio non excludit redemptionem per ſanguinem & mortem Chriſti, ita nō excludit ſatisfactionē Chriſti, cùm redēptio (vt ſupra efficaciſſimè demōſtratum eſt) per ſanguinē & mortem Chriſti, ſit ipſiſſima pro peccatis ſatisfactio. Ex quo ſequitur remiſſionem peccatorum reſpectu noſtri eſſe gratuitam; reſpectu verò Chriſti eſſe debitam: reſpectu noſtri non eſſe ex operibus; reſpectu Chriſti eſſe ex operibus: reſpectu noſtri eſſe gratiam; reſpectu Chriſti eſſe iuſtitiam. Eſt enim merces operibus Chriſti ex pacto & iuſtitia debita: neque enim propter opera iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed propter opera iuſtitiæ, quæ pro nobis Chriſtus fecit, remittuntur nobis peccata à Deo. Nobis remiſſio peccatorum nihil conſtitit: at Chriſto conſtitit magno pretio ſanguinis ſui pro nobis oblato: ideò quod nobis gratis, Chriſto non fuit gratis

Ineptè verò Smalcius ait, me petere principium ſupponendo ſatisfactionem Chriſti. Nam in primis non ſuppono quomodocunque, ſed probatam efficaciſſimè oſtendo. Deinde cùm hîc quæratur, an ſi Chriſtus ſatisfeciſſe aſſeratur, ſequi oporteat, non eſſe gratuitam remiſſionem peccatorum; quis non videt ad eam quæſtionem, ſatisfactionem debere ſupponi, & ea ſuppoſita quæri, an conſequens ſit tolli gratuitam remiſſionem. Dicimus igitur non tolli Nam ſcriptura dicit, gratuitam remiſſionem ſolùm reſpectu noſtri, quia non ſit ex operibus noſtris: reſpectu verò Chriſti eſſe ex meritis eius, paſ-

ſione & morte: ita vt diuerſo reſpectu ſit ex gratia & ex iuſtitia, coniunganturque in ea, gratia Dei ſimul & iuſtitia.

Ex quo patet, remiſſionem peccatorum eſſe gratis, quatenus ex nulla ſatisfactione noſtra & merito fit: non verò eſſe gratis, quatenus eſt ex ſatisfactione & meritis Chriſti. Neque ſcriptura dicit, omni reſpectu eſſe gratis, ſed ſolùm reſpectu noſtri. Reſpectu verò Chriſti, non dicit eſſe gratis, ſed per redemptionem & ſanguinem & mortem Chriſti. Redimi enim pretio magno, non eſt gratis redimi. Sanguine etiam alicuius acquiri, non eſt gratis acquiri. Multò enim conſtant, quæ ſanguine conſtant. Morte denique alicuius redimi, eſt re maxima redimi. Si remiſſio peccatorum eſſet omni reſpectu gratis, non poſſet vllam ſatisfactionem admittere, ſiue eius propriam, cui remittitur peccatum, ſiue alienam. At quia non omni reſpectu dicitur in ſcriptura remiſſio peccatorum gratis, ſed tantùm reſpectu noſtri, idcirco non repugnat alio reſpectu ſatisfactioni locũ eſſe. Solùm enim ſequitur, ſecundùm eam rationẽ, ſecundùm quam eſt gratis, non eſſe ex ſatisfactione; ſecundùm aliam verò rationem, ſecundùm quam non eſt gratis, nil repugnat ſatisfactionem includere. Talem porrò remiſſionem nobis proponit ſcriptura, quæ & ſit gratis & per redemptionem. *Remiſſio peccatorum gratis.*

Sed iam in particulari ad argumenta Socini veniamus. Primum eiuſmodi eſt, Deus ſemper remiſit hominibus peccata, nulla ab iis ſatisfactione requiſita, ſed ſola pœnitentia & conuerſione ad Deum, vti ex ſacris literis conſtat. Non igitur vlla vera ſatisfactione opus eſt ad conſequendam remiſſionem peccatorum. Hoc argumentum aio eſſe ineptiſſimum ad ſatisfactionẽ Chriſti tollendam. Nam etſi à nobis ſatisfactionem nullam requirat Deus, non illico ſequitur, à Chriſto ſatisfactionem exigere noluiſſe. Nullius igitur momenti eſt illa argumentatio, cùm à nobis nullam vnquam ſatisfactionem requiſiuerit Deus, ſed tantùm pœnitentiam & conuerſionem ad ipſum, nec à Chriſto requiſiuiſſe. Idcirco enim à nobis non requiſiuit, quia non ad nos pertinebat ſatisfacere, ſed ad Chriſtum; & quia ſatisfactione Chriſti contentus erat, idcircò à nobis ſolùm pœnitentiam & conuerſionem requirebat. *Primũ Socini argumentum.* *Diſſoluitur.*

Hic Smalcius reſpondet primùm, me pro conceſſo ſumere, veram ſatisfactionem dari. At multùm fallitur. Non enim hoc pro

 conceſſo

cōceſſo ſumo, ſed oſtendo, eo argumento Socini, minimè tolli; nam etiamſi verum ſit, à nobis non requiri ſatisfactionem, ſed pœnitentiam, non idcirco ſequitur eam à Chriſto requiri non potuiſſe, aut non debuiſſe. Poſſunt enim iſta duo ſimul conſiſtere, ac proinde vnum, non tollit alterum.

Meſſiam omnes futurum redemptorem crediderunt.

Ait, moneri ſaltem à Deo debuiſſe homines, vt eam ſcirent & crederent. Cùm igitur non ſint moniti, ſequitur illam non fuiſſe requiſitam. Verùm Meſſiam redemptorem futurum omnes ſciuiſſe & credidiſſe, fidemq; in Chriſtum ſiue explicitam ſiue implicitam fuiſſe ad iuſtificationem neceſſariam, ſupra demonſtrauimus. *Elegit enim nos in Chriſto à conſtitutione mundi, & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum.* Eph: 1. 4.5. Addo, neque id abſolutè neceſſarium fuiſſe. Potuit enim Deus abſolutè loquendo, etiam hominibus inſciis ſatisfactionem accipere à Chriſto, & propter illam remittere peccata hominibus.

Satisfactio Christi non excludit pœnitentiam.

At ſi, inquit, ſatisfactionem pro peccatorum remiſſione accepit à Chriſto, quorſum pœnitentiam & conuerſionem ab hominibus requireret. Quaſi verò ſatisfactio excludat conditiones & diſpoſitionem conuenientem eius, pro quo offertur ſatisfactio. quis enim pro iniuria ſatisfactionem acceptet, ſi is, qui offendit, pergit animo eſſe contumaci. Adhæc ſatisfactio Chriſti pro noſtris peccatis, eſt cum reconciliatione coniuncta. At quomodo reconciliari Deo poſſumus ſine pœnitentia & deteſtatione peccatorum, & conuerſione vera ad Deum. Quocirca non ſolùm falſum eſt, quod Smalcius ait, reſipiſcentiam fruſtra eſſe, vbi pro omnibus peccatis ſatisfactum eſt; ſed etiam oppoſitum verum eſt, ad ſatisfactionem perfectam, requiri bonam & conuenientem diſpoſitionem eius, qui offendit, erga eum, qui offenſus eſt: alioqui nec ſatisfactio acceptabitur: cùm is pro quo offertur, ea ſit indignus, nec reconciliatio conſequetur, vbi animus eſt, vt ante, hoſtilis & auerſus.

Pœnitentia neceſſariò fundatur in fide redemptoris.

Reſpondet ſecundò Smalcius, pœnitentiam veterum fidelium non fuiſſe neceſſariò fundatam in fide promiſſi redemptoris. Nam neque ante tempora Abrahami fuiſſe promiſſum redemptorem exiſtimat, neque vllum præceptum extitiſſe de fide promiſſi redemptoris, nec deniq; fidem promiſſi redemptoris hoc requirere, vt credatur ſatisfactio aliqua à Meſſia ſperanda. At Smalcius labitur multis modis.

tis modis. Primò cùm putat Abrahamo primùm promiſſionẽ Meſſiæ factam. Facta enim ea eſt ſtatim poſt peccatum illis verbis: *ſemẽ mulieris conteret caput tuum.* Abrahamo verò ſolùm hoc promiſſum eſt, quòd ille Meſſias, qui venturus eſt in mundum, ex ſemine eius naſciturus erat. Secundò errat, cùm negat fidem in Meſſiam redemptorem fuiſſe præceptam. Sicut enim fides in Deum, vt Saluatorem, erat ſemper neceſſaria ad iuſtificationem & remiſſionem peccatorum conſequendam: ita & fides in Meſſiam. Siquidẽ Deus per Meſſiam à ſe promiſſum, & per redemptionem eius, ſtatuit eſſe Saluator hominum, vt ſupra dictum eſt.

Errat denique, cùm negat in fide Meſſiæ redemptoris ſatisfactionem contineri: cùm redemptio vera per pretij veri ſolutionem, ſit ipſiſſima pro debito ſatisfactio: vti clariſſimè à nobis probatum eſt Nam quòd alium modum redemptionis Smalcius fingit, qui non ſit per veri pretij ſolutionem, in eo ſcripturis omnibus contradicit, quæ nos non ſolùm redemptos, ſed magno pretio redemptos, & pretioſo ſanguine agni (quod eſt pretium longè maius omnibus corruptibilibus pretiis auro & argento) redemptos eſſe aſſerunt. idque per veram permutationẽ pretij pro nobis, quam vox Græca deſignat ἀντίλυτρον.

Explicatur locus Petri de gratia noui Teſtamenti.

Addo, quod ſi per ſolam pœnitentiam ſine redemptionem Chriſti, priſcos illos in gratiam recipere Deus voluiſſet, quorſum illis redemptorem promiſiſſet: quippe qui eo non indigerent. Reſpondet Smalcius, promiſſionem de redemptore ipſis quidem factam eſſe; non tamen ad ipſos, ſed ad nos pertinuiſſe. nam *non ſibi, ſed nobis Prophetæ miniſtrarunt*, 1. Petr: 1. 12. Verùm iam ſupra ſatis eſt demonſtratum ex ſcripturis, Redemptionem Chriſti & eius fructum ad omnes omnino pertinuiſſe: alioqui (vt ait Paulus) *oportebat illum pati frequenter ab origine mundi*, vt illorum ſeculorum hominibus prodeſſe poſſet.

Prophetæ verò de futura in nobis gratia prophetantes, nobis, non ſibi ſeruiuiſſe, dicuntur quidẽ, ſed id ita accipiendum eſt, quòd gratia illa, propria noui teſtamenti, quam prophetabant, non ipſorum temporibus, ſed noſtris reipſa exhibenda eſſet. vt ex ℣. 11. patet. Cuius illi ſola fide participes erant; nobis tamen reipſa fuit exhibita. Talis gratia erat videre Filium Dei fontem gratiarum omnium, in

um, in carne, & ex ore ipſius verba vitæ æternæ audire, de qua Chri-ſtus ipſe; *Beati*, inquit, *oculi, qui vident, quæ vos videtis*; *multi Reges & Prophetæ deſiderauerunt videre*, *& non viderunt*. Similiter perfecta rerum Diuinarum notitia, eſt propria gratia noui teſtamenti, de qua Paulus ait, Iudæos ſub velamine, *nos autem reuelata facie gloriam Dei ſpeculari*. Plenitudo etiam gratiæ Diuinæ effuſa in Apoſtolos Spiritu ſancto miſſo de cælo, & ſacramenta admiranda à Chriſto in lege noua inſtituta, ſunt gratiæ propriæ noui teſtamenti, quæ ad priſcos illos prophetas non pertinebant. Denique redemptio ipſa generis humani per ſanguinem Chriſti, & ſi quatenus eſt tempore noui teſtamenti facta, dici poſſit propria noui teſtamenti: tamen quatenus eſt pro omnium hominum, ab orbe condito, ſalute ſuſcepta, ad omnia tempora pertinet, quoad fructum ex ea prouenientem, vt probat Apoſtolus ex eo, quod, niſi ſemel facta oblatio Chriſti, toti mundo & omnium ſeculorum hominibus profuiſſet, *oporteret Chriſtum frequenter pati ab origine mundi*.

Inſtat Smalcius, ſi eadem ratione Deus priſcos illos per redemptorem ſeruaret, ſicut & nos per eum ſeruat, non poſſet dici, Tempus noui teſtamenti, tempus gratiæ: ſiquidem gratia redemptionis ad homines ſub lege ſpectaret. Verùm contrarium potiùs ex eo ſequitur, nempe tempus noui teſtamenti, eſſe tempus gratiæ: quia ea gratia non ex lege, ſed ex nouo teſtamento in eos deriuabatur, qui ſub lege viuebant: nouum enim teſtamentum continet in ſeipſum fontem gratiarum omnium, nempe Chriſtum, ex cuius redemptione omnes gratiæ in vniuerſum genus hominum profluxerunt.

Tempus noui Teſtamēti, tempus gratiæ.

Dicitur igitur tempus noui teſtamenti, tempus gratiæ. 1. quia ſummam illam Dei gratiam, fontem gratiarum omnium, nimirum Chriſtum, pro ſalute hominum morientem continet: cuius gratiæ fructus, etſi ad omnia mundi tempora pertineret; ipſa tamen originalis gratia, eſt noui teſtamenti propria. 2. quia in nouo teſtamento, & perfecta Diuinæ voluntatis cognitio, & maior copia Diuinarum gratiarum hominibus communicata eſt. 3. quia admiranda Sacramenta ad homines iuſtificandos in lege noua inſtituta. Denique quia redemptio generis humani, aliis temporibus promiſſa tantùm: tempore verò noui teſtamēti perfectè completa & conſummata eſt; & quæ in lege veteri per varias figuras adumbrabantur, in lege gratiæ reipſa exhibita ſunt.

Et quam-

Et quamuis redemptio Chriſti *in conſummatione ſeculorum*, vt ait Paulus, exhibita ſit; ab orbe tamen condito à Deo præuiſa & acceptata eſt, eiuſque reſpectu, voluit Deus omnibus hominibus, ante Chriſtum gratiam & remiſſionem peccatorum conferre. quod etſi pro ſolemni & vſitata ſua impudentia Smalcius fabulam putidam & monſtroſam appellare non reformidat; re tamen vera eſt ipſa Fidei veritas in ſcripturis expreſſa, & à Paulo duplici ratione confirmata: tum quòd, niſi oblatio Chriſti vnica omnium ſeculorum hominibus prodeſſet, *oportuiſſet Chriſtum frequenter pati ab origine mundi*: tum quòd, ſicut per Adamum omnes homines in peccatum & mortẽ ruerunt: ita per Chriſtum nouum hominem, à peccato & morte omnes liberari debuerunt, vti in capite præcedenti monſtratum eſt. Longè magis putidum monſtroſumque eſt, omnes homines à Chriſto redemptos negare, eiuſque ſanguinem fuiſſe inſufficientem ad innumeras hominũ myriades per quatuor annorum millia redimendas, affirmare, contra id, quod hucuſque totus mundus ſecundùm ſcripturæ doctrinam firmiſſimè conſtantiſſimeque credidit. *Redemptio Chriſti ab orbe condito præuiſa & accepta.*

Alterum Socini argumentum eſt. Deus promiſit ſe futurum propitium in nouo teſtamento iniquitati populi ſui, & peccatorum eorum non recordaturum amplius: vti ex Hieremia probat Paulus. Hebr: 8. 12. Ergo nullam pro peccatis ſatisfactionem requiſiuit. quomodo enim propitius eſſet iniquitatibus, ſi cùm eas nulla ſatisfactione interueniente remittere poſſet, pro ipſis ſibi pleniſſimè ſatisfieri curaſſet? quomodo peccatorum noſtrorum non recordatus fuiſſet, ſi ab humana natura in Chriſto, ipſorum omnium tam rigidè & exactè pœnas repetiuiſſet? vel potiùs quid mirum eſſet, eum iniquitates non imputare & peccatorum amplius non recordari, ſi iam illi vberrimè pro eis ſatisfactum eſt, & ne minimum quidẽ impunitum reliquit? Quænam hæc eſt ipſius, quam tantopere prædicat, munificentia ac liberalitas, ſi de iure ſuo, ne tantillum relinquere voluit. Hoc argumentũ Smalcius ita validum eſſe pronunciat, vt nulla ratione moueri loco poſſit, ne dicam euerti. *Alterum Socini argumentum.*

Verùm adeò debile ac infirmum eſt, vt vnico verbo ex ſcripturis difflari queat. Deus enim non alia ratione promiſit in ſcripturis, ſe propitium futurum iniquitatibus, peccataq; hominum non recordaturum, niſi per redemptionem, quæ eſt in Chriſto IESV: ita *Deus propitius peccatis ſed propter ſanguinem Chriſti.*

vt ſuam

vt ſuam clementiam non extra redemptionem conſiderari voluerit, ſed in ipſa redemptione, & peccatorum, propter redemptionē Chriſti, remiſſione. Cùm enim duplici modo Deus clementiam ſuam in peccatis remittēdis nobis declarare potuerit: altero quidem, ſi abſque illa redemptione, condonare nobis omnia voluiſſet, nulla tam à nobis quàm à Chriſto ſatisfactione requiſita: altero verò, ſi propter redemptionem quidem & ſatisfactionem Chriſti nobis peccata remitteret, ſed in ea redemptione infinitam quandam charitatē & gratiam demonſtraret, placuit Deo non illum priorem clementiæ modum, ſed hunc poſteriorem adhibere, & coniungere iſta duo in vnum, vt & peccata noſtra per veram redemptionem & ſatisfactionem tollantur, & cum ſumma clementiæ gratiæque Diuinæ teſtificatione: ita vt quemadmodum alia opera Dei, ſunt opera miſericordiæ ſimul & iuſtitiæ: ita & in remiſſione peccatorum hæc duo coniungantur.

Miſericordia & iuſtitia in redēptione noſtra coniuncta.

Socinus alium modum clementiæ fingit.

Socinus igitur priorem clementiæ modum vrget, eumque per ſatisfactionem obſcurari, immò & tolli prædicat: ſcriptura verò poſteriorem clementiæ modum indicat, qui per ſatisfactionem non ſolùm non obſcuratur aut tollitur, ſed mirificè illuſtratur atq; ſplēdeſcit. Cum vmbra igitur ſua pugnat Socinus, cùm illum clementiæ modum per ſatisfactionem euerti ſuis argumentis contendit, quem nec Deus de facto adhibere voluit, neque nos admittimus: ita vt cùm tot argumenta ad eam rem probandam coaceruet, nihil tamen aliud conficiat, quàm vt extra oleas vagari & vires effundere in auras cenſeri ab omnibus meritò debeat. Etenim non eſt vnus Diuinæ clementiæ modus, neque ſi vnum clementiæ modum Deus nō adhibeat, illico omnem clementiam depoſuiſſe credendus eſt. Etenim ſatis clementer egiſſet Deus cum hominibus, ſi Chriſtum ad nos non miſiſſet, nec eum pro peccatis mori mandaſſet, ſed vno verbo remiſiſſet hominibus omnem offenſam ſuam. At de facto tali clementia vſus non eſt; ſed alia multò diuiniori, quæ in Chriſto pro peccatis noſtris tradito, admirando ſanè modo eluxit. Hanc enim non ſolùm charitatem, ſed *nimiam charitatem Dei* vocat Apoſtolus, Epheſ: 2. 4. Rom: 4. 8. & c. 8. Rom: ℣. 32. illam emphaſim adhibet; *qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit eum* Illa enim vox, *Etiam*, indicat, Deum rei omnium maximæ & ſibi chariſ-

Non vnius modi Dei clementia.

ſimæ

ſimæ non peperciſſe, ſed eam in noſtros vſus impendiſſe. Deinde & illud addit, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* donando enim nobis gratiarum fontem, omnes quoque gratias in ipſo donaſſe exiſtimandus eſt. Quis igitur negare poſſit immenſam clementiam, nobis demonſtraſſe Deum, cùm nobis per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Iesv, voluit remittere peccata; quæ quidem clementia, etſi non ſit eiuſdem generis cum illa, qua ſine redemptione nobis peccata remiſiſſet, ſed alterius generis: tamen eſt talis ac tanta, vt multò maiorem & nobiliorem clementiæ ſpeciem contineat. Quis enim neſciat, non ſolùm tunc clementiam eſſe, cùm abſque vllo noſtro incommodo debitum verbo remittitur, ſed & cùm ad debiti redemptionem, res maximi pretij impenditur & deſtruitur. Cum tanto enim ſuo damno clementem eſſe, nimis pretioſa eſt clementia. Summa igitur rei eſt, poſita ſatisfactione Chriſti, licet non oſtendatur illa clementia, quæ fit abſque vlla redemptione & ſatisfactione; oſtenditur tamen longè maior & diuinior, ſed diuerſi generis à priori: eamq; & Deus re ipſa adhibuit, non illam: & ſcripturæ mirificè deprædicant ac extollunt. *Clementia in redempsione demonſtrata.*

Quare cùm Smalcius ex Socino ait, ad veram clementiam requiri duo; tum vt debitum remittatur, tum vt nihil pro debito accipiatur: quid aliud facit, quàm vnum tantùm clementiæ modum & ſpeciem recenſet, quaſi non ſit præterea alius clementiæ in debito remittendo modus, nempe cùm quis non vult quidem abſque ſolutione debitum remittere, verùm ſolutionis illius faciendæ cauſa rem ſibi cariſſimam, & maximi pretij impendit & inſumit. In quo etiam ſummam Dei charitatẽ enituiſſe ſacræ literæ teſtantur. Nam quod Smalcius ait, eam non clementiam eſſe, ſed nouam tantùm damna ſua compenſandi rationem, vehementer fallitur. Eſt enim non minus vnum, quàm alterum, nempe compenſatio ſuorum damnorum cum ſumma in debitorem clementia in eo ipſo oſtenſa, quòd eius compenſationis gratia, rem ſibi cariſſimam & pretioſiſſimam impendit, in quo ſicut charitas magna apparet, ita & clementia & gratia. *Erroris Smalciani cauſa.*

Poterat, inquit, Deus ſine tot ambagibus præſtare, vt ſimpliciter debitũ & offenſa remitteretur. At impius homuncio vocat ambages, redẽptionem Chriſti, ſine qua Deus peccata nobis remittere noluit.

Poterat quidē Deus nobis clemētiam ſuam alia ratione, hoc eſt ſine vlla redemptione oſtendere; at ſtatuit, eam potiùs in redemptione exhibere; tali inquam redemptione, quæ eſſet Diuinæ in nos charitatis & gratiæ pleniſſima. *Commendauit enim charitatem ſuam in nobis Deus, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Rom: 5.9. Et *Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiā charitatem, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.* Eph: 2.4. Quocirca & ad Heb: 2. 9. Paulus ait: *Chriſtum gratia Dei pro omnibus guſtaſſe mortem.* Eſt igitur redemptio & ſatisfactio Chriſti plena charitate, gratia, clementia Dei. Vnde propter talem redemptionem & ſatisfactionem peccata remittere, eſt ſummam clementiam demōſtrare: cùm illa ipſa ſatisfactio, ſit Dei clementia ſumma, à charitate Dei ſumma in nos profecta.

Obligatio remittendi clementer ſuſcepta.

Similiter cùm ait Smalcius, eum cui perfectè ſatisfit, teneri remittere. At vbi eſt obligatio remittendi, nulla eſt clementia. dico illam ipſam obligationem in Deo, ortam eſſe ex maxima Dei clemētia, *qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit eum,* vt ex ſanguine eius ac morte ſatisfactio noſtra conficeretur. Niſi enim ſummam ſuam charitatem in Filio pro nobis dando demonſtraſſet, nullo modo redemptio & ſatisfactio noſtra conſtitiſſet: vnde hæc obligatio remittendi non eſt ſine ſumma clementia, eamq; mirum in modum illuſtrat atque commendat; quippe cùm eam ipſemet ſpōtè ſibi ob ſummam in nos charitatem impoſuerit. Alia ratio eſt de eo: qui ita ſatisfactionem expoſcit, vt in ea charitatis & miſericordiæ rationem non habeat: nec in ea procuranda vllam miſericordiam præſtet.

Sine crudelitate Deus à Chriſto pœnas exegit.

Crudelem potiùs, quàm clementem habendum eſſe ait Smalcius, qui iniurias ſuas in alio innocente vlciſcitur. Verùm non ita ſcriptura loquitur. In eo enim quòd *Deus Filio ſuo non pepercit, ſed eum percuſſit propter ſcelus populi ſui, & in mortem tradidit pro nobis,* non crudelitatem, ſed ſummam in nos charitatem commendat atq; prædicat. Is enim propriè crudelis eſt, qui iniuſtè alium affligit & excruciat, non qui pœnas ex iuſtitia debitas ab alio exigit, etiamſi is innocens ſit, dummodo nocentis partes ſuſceperit, & pro eo, vt pœnas lueret, ſe obtulerit. Quod ſi ea crudelitas cenſenda eſſet, non eſſet in nos crudelitas, ſed in Chriſtum. Vt enim nobis parceret, Chriſto non pepercit;

percit; in quo clemētiæ magnum ſpecimen eſt. Iſta enim in Chriſtū (ſi ita loqui fas eſt) crudelitas, eſt magna in nos eximiaque clementia.

At inquit, poterat Deus talem ſatisfactionem à Chriſto non exigere. Reſpondeo, vtrumque Deum potuiſſe & abſq; vlla ſatisfactione, & cum ſatisfactione peccata nobis remittere. De facto tamen elegiſſe hoc poſterius, vt non niſi accepta ſatisfactione peccata hominibus remitteret: vt ea ratione & iuſtitiam ſuam in peccatis vindicandis, & charitatem in remittendis per tale medium (quod immenſam Dei charitatem continet) declararet.

Maioris, inquit, clementiæ fuiſſet, ſine ſatisfactione remittere. At non minoris clementiæ erat talem redemptionem ſumma charitate plenam procurare, & ſimul iuſtitiam clementiamq; demonſtrare. Etſi enim in Deo, talis iuſtitia non ſit, qua teneatur abſolutè peccata vindicare; poteſt enim tanquam Dominus, iure ſuo cedere, & offenſas voluntate ſimplici remittere: tamen ſi ius ſuum, vt poteſt, exigere velit, certum eſt talem iuſtitiam in Deo eſſe, qua poſſit peccatis reddere pœnam, quæ illis iuſtè debetur. Huic iuſtitiæ ſatisfieri, nonniſi ſanguine Chriſti potuit, cùm nullus alius ſanguis vim habuerit vllam ad tollenda peccata & emundandas conſciētias noſtras, vt probat Paulus in epiſtola ad Hebræos. Vt igitur intelligerent homines peccati grauitatem, eſſe tantam, vt non poſſit, niſi ſanguine Filij Dei redimi; nec vlla ſatisfactio alia, par ei eſſe poſſit, exegit à Chriſto ſatisfactionem, vt ita & peccata impunita non eſſent, & homines à peccatis tantò magis deterrerentur. *Vira clemētia maior.*

Nec audiendus eſt Smalcius cùm ait; magis homines à peccato deterreri, ſi ea ſibi clementer remitti audiant, additis tamen minis, ſi in poſterum peccent. Nullus enim vnquam à peccato deterritus eſt, ſpe veniæ facilè conſequendæ; quin potius multi ea cogitatione in peccatū liberiùs ruunt. Et quamuis pœnæ inferni peccatis propoſitæ nos à peccato deterreant, negari tamen nequit, ſummā quandam vim in paſſione Chriſti ineſſe ad nos à peccatis potentiſſimè deterrendos. quam vim explicat Paulus 2. Cor: 5.14. *Charitas*, inquit, *Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Et Hebr: 6. 6. *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei & oſtentui habentes.* Heb: 10. 29. *Paſſio Chriſti deterret nos à peccato.*

Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Deterret igitur nos paſſio Chriſti à peccato, tum ob magnitudinem Diuinæ charitatis, quæ in ea elucet, & quam contemnere, immenſa quædam atque incredibilis ingratitudo eſt: tum quòd peccare poſt talem tantamque redemptionem, ſit ſanguinem Chriſti conculcare, & Chriſtum iterum crucifigere: tum denique quòd peccata noſtra Filium Dei cruci affixerunt, vt ad ea redimenda mori ipſum oportuerit; neque alia vlla re Deo pro peccatis ſatisfieri potuit, præterquam ſanguine Chriſti. An non hæc eſt æquiſſima nos à peccatis deterrendi ratio?

Sine ſatisfactione vera redemptio non fuiſſet.

At inquit, etiamſi paſſione ſua Chriſtus pro peccatis non ſatisfeciſſet, eadem tamen omnia bona in nos ex ea redundarent. Sed id longè falſiſſimum eſt. Nam ſine ſatisfactione non eſſet vera redẽptio noſtra: neque enim magno illo pretio, quod ſcriptura teſtatur, fuiſſemus redempti, niſi pretium illud verè pro nobis ſolutum fuiſſet & commutatum. Emptio autem vera quid aliud eſt quàm ſatisfactio. Pretio enim ſoluto ſatisfit pro re illa, quæ emitur. Neque verò ſublata ſatisfactione, fuiſſet vlla neceſſitas, vel magna vtilitas Chriſtum occidendi. Nam nos meritò dicimus, neceſſarium fuiſſe Chriſtum occidi: quia ſatisfieri pro peccatis mundi aliter non potuit, niſi ſanguine Filij Dei. Quare ſi Deo pro peccatis ſatisfaciendum erat, & iuſtitiæ ratio habenda, mori Chriſtus neceſſariò debuit.

Ariani nullam poſſunt aßignare ſufficientem cauſã mortis Chriſti. Prima.

Aſt Ariani nullam talem neceſſitatem, imò nec cauſam ſufficientẽ mortis Chriſti aſſignare poſſunt, vt ſupra oſtenſum eſt. Nam ad demonſtrandam Dei & Chriſti in nos charitatẽ, Filius Dei occidi minimè debuit, niſi eius mors nobis ex ſe vtilis & fructuoſa eſſet: alioqui non demonſtratio charitatis, ſed profuſio quædam eſſet. Non enim charitas, ſed crudelitas eſſet, ſi Pater ad oſtendendam in alium charitatem, Filium innocentem crudeliter mactaret vel mactari permitteret, nulla alia talis mortis neceſſitate vel vtilitate exigente: alioqui cùm in bello parentes occidi filios permittunt, ad Rempublicam ab hoſtibus vindicandam, ſiquidem illa mors ſit neceſſaria ad Rempublicam tuendam, dicuntur ea ratione charitatem in patriam demonſtrare.

Secunda.

Similiter neque pro ſola confirmatione pactorum, occidere filium,

lium, cenſeri poſſet cauſa iuſta & ſufficiens occiſionis: confirmari enim pacta, citra vllius, præſertim innocentium, detrimentum & iniuriam debent.

Adhæc cùm dicitur, Chriſtum idcirco mori debuiſſe, vt per mortem ſuam, poteſtatem, qua nos ſaluare poſſit, acquireret: primùm id falſum eſt in eo ſenſu, quo ab Arianis aſſeritur, quaſi Chriſtus ante mortem, poteſtatem nos ſaluandi & vita æterna donandi non habuerit; quod omnibus ſcripturis repugnare 2. de erroribus libro ſatis demonſtrauimus. Quod ſi omnem poteſtatem ſuam ante mortem habuit, quis exiſtimet neceſſarium eſſe, vitam pro ea re habenda ponere, quam reipſa iam ante habuit. Non igitur poteſt ea ſufficiens cauſa dici mortis Chriſti. Quocirca & ſcripturæ, quæ de poteſtate Chriſti poſt reſurrectionem loquuntur, non ita accipi debent, vt poteſtas tunc primùm, de nouo data intelligatur, ſed vel quòd ea tunc primùm ad effectum deducta & manifeſtata mundo fuerit, eo loquendi modo, quo in ſcripturis dici ſolet, facta res aliqua tunc, cùm manifeſtatur, & ad actum deducitur: vel quòd redemptionis nouo quaſi iure & titulo, eadem poteſtas Chriſto conuenire cæperit. Quod ſi vera redemptio negetur, negari etiam debebit & nouus titulus poteſtatis, ſed ſolùm dicetur poteſtas tunc data: quia tunc manifeſtata. Tertia.

Deinde cùm dicunt, morte ſua Chriſtum acquiſiuiſſe poteſtatem nos ſaluandi, an non verbis ludunt & fucum faciunt. morti enim Chriſti nullum meritum, nullam virtutem effectricem attribuunt ad cauſandam talem poteſtatem, ſed tantùm intercedere mortem Chriſti volunt. Poteſtatem verò non virtute mortis Chriſti, ſed ex mera Dei voluntate conferri. Hoc verò quid aliud eſt, quàm otioſè mortẽ Chriſti requirere ad id, ad quod illa neceſſaria non eſt, neque illud cauſandi vim vllam habet. Etenim perdere hominem innocentem, eius rei conſequendæ cauſa, ad quam efficiendam occiſio illa nullam ex ſe vim habet, eſt ſine cauſa perdere hominem. Vt ſi princeps ad conferandam alicui dignitatem, vellet crudeli morte tolli filium eius innocentẽ, nemo eſſet qui eam mortis cauſam non vanam modo & inſufficientem, ſed & iniuſtam & crudelem non diceret. Pari ergo ratione, crudele quid eſſet & à moribus Dei alienũ, exigere mortẽ Filij innocentis, ad conferendam illi po-

 teſtatem,

teſtatem, ad quam Chriſti mors nihil ex ſe conduceret.

Ex quibus patet, nullam poſſe aſſignari cauſam mortis Chriſti, niſi ei virtus ad nos redimendos, & omnia bona obtinenda concedatur. Quæ etiam res eò impulit Smalciũ, vt impiè aſſerere non dubitaret, nihil nobis per Chriſtum propriè comparatum eſſe. eius verba ſunt: *Error*, inquit, *craſſus, aliquid nobis per Chriſtũ propriè comparatum eſſe*. Nam Deus eſt, qui nobis omnia parata obtulit; Chriſtus verò, vt à Deo oblata acciperemus, variis tandem mediis procurauit.

Execranda Smalcij blaſphemia.

At quid eſt hoc aliud, quàm Chriſtum fruſtra pro nobis mortuũ eſſe, cùm nihil nobis morte ſua acquiſiuerit. quippe cùm omnia citra mortem Chriſti eſſent nobis à Deo parata & oblata. Nam ad procurandum, vt nos acceptemus dona Dei, Chriſtum mori non oportuit; cùm verbo ſuo & vitæ exemplo, abundè id perfecerit, & alij prædicatores, cùm idem procurant verbo, exemplo, morte denique, non dicuntur noſtri redemptores, neque ſanguine ſuo nos redemiſſe. Gloria enim hæc eſt Chriſti ſolius. En quò tandem reducũt iſti, omnia Chriſti in nos beneficia, nempe vt ſolùm nos ad acceptanda ea, quæ nobis à Deo offerũtur, excitet & permoueat. Scilicet hoc eſt dignè de Chriſti redemptione, eiuſque in nos eximiis immortalibuſque promeritis ſentire.

Nihil nobis per Chriſtũ propriè comparatum eſſe.

Tertium Socini argumentum. Nihil magis remiſſioni contrarium eſt, quàm ſatisfactio. Cùm igitur ſcriptura teſtetur, Deum nobis peccata remittere, ex eo ſequitur ſine vlla ſatisfactione accepta remittere. At falſum Socinus aſſumit, omni remiſſioni ſatisfactionem eſſe contrariam. Solùm enim id verum eſt de remiſſione liberali, quæ ex pura liberalitate oritur: non verò de ea, quæ fit, ſatisfactione accepta. Quis enim negare poteſt, ſatisfactionem pro iniuria ad hũc finẽ ordinari & dirigi, vt remiſſio iniuriæ obtineatur. Etenim etſi debita realia, reſtitutione facta tollantur, ac eſſe debita deſinant, nec alia remiſſione indigeant: iniuriæ tamen & offenſæ perſonales, non tolluntur, niſi voluntate eius, qui offenſus eſt. Quocirca præter ſatisfactionem remiſſione opus habent, & ad hanc remiſſionem obtinendam ſatisfactio inſtituitur. Poteſt enim offenſus, ſatisfactionẽ omnem reſpuere. Quod ſi admittat, ratione illius deſinit eſſe offenſus, quod eſt remittere offenſam. Quamobrem etſi ſatisfactio, quæ fit pro debitis realibus, remiſſioni locum non relinquat, cùm ipſamet debitum

Tertiũ Socini argumẽtum.

Non omni remiſſioni ſatisfactio eſt contraria.

debitum diſcutiat: debito autem ſublato, nulla remiſſione opus eſt: ea tamen ſatisfactio, quæ fit pro iniuriis & offenſis, ex ſe ad remiſſionem impetrandam ordinatur; neque ſolùm illi contraria non eſt, ſed etiam eſt ſubſeruiens, ad eamque tanquam ad finem ordinatur. Iniuriam enim remiſſione tolli neceſſe eſt, ſiue illa remiſſio oriatur ex mera liberalitate remittentis, ſiue cauſetur ex ſatisfactione accepta. Ideo enim accipitur ſatisfactio, vt remittatur offenſa.

Duplex remittẽdi modus, liberalis & cum ſatisfactione.

Vnde patet ineptiſſimè Socinum argumentari, cùm ex eo, quòd nobis à Deo remittantur peccata, infert abſq; ſatisfactione remitti. quaſi non ſit duplex modus remittendi, alter liberalis, alter propter ſatisfactionem acceptam. quando enim alicui ſatisfit pro iniuria, tenetur is vel ex lege, vel ex pacto remittere iniuriam, & deſinere eſſe offenſus. Porrò hac ratione in ſcriptura legimus nobis peccata remitti, videlicet per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & propter ſanguinis Chriſti pretium ad id oblatum. Nam nugatorium effugium eſt, cùm ait Smalcius, ſanguinem Chriſti non eſſe verè ſed metaphoricè pretium: nempe quod ſicut poſito pretio, liberatio cõſequitur: ita fuſo Chriſti ſanguine, liberatio noſtra conſecuta eſt. Nemo enim non videt in ſcriptura dici, nos eſſe redemptos ſanguine Chriſti tanquam pretioſo, & pretioſiori quàm ſit aurum & argentũ, & tanquam pretio magno pro nobis permutato ἀντιλύτρῳ. Quod ſi ſimilitudo inter pretium & ſanguinem admittenda eſt, tunc ſicut poſito pretio temporali, non conſequitur liberatio, niſi pretium vim pretij habeat, eamq; exerat: ita & poſito ſanguine Chriſti tanquam pretio, debet ſanguis, pretij vim habere ad nos à captiuitate peccati liberandos: ſicut pretiũ corporale vim pretij habet ad aliquẽ à captiuitate tẽporali liberandũ: alioqui haud conueniet illi vera ſimilitudo pretij, ſi non per modũ pretij liberat. Pretium enim non aliter liberatio conſequitur, niſi modo, pretio conuenienti. Non enim quia ponitur quomodocunque, ſed quia per modum pretij, & cum valore ſuo ponitur, liberatio conſequitur. Cùm ergo per modum pretij nos ſanguine Chriſti liberatos ſcriptura dicit, veram pretij vim ſanguini Chriſti attribuit.

Sanguis Chriſti verũ pretium.

Iam verò liberalitatem Dei in peccatis remittendis elucere nõ diffiteor, ſicut & charitatem, gratiam, miſericordiam: ſed eam non in eo conſiſtere contendo, quòd ſine vlla ſatisfactione nobis remittantur

tantur

tantur peccata. remittuntur enim per redemptionem Chriſti, & ſatisfactionē, ſed ſumma charitate ac liberalitate Dei procuratam ad peccatorum remiſſionem. Dedit enim nobis liberaliſſimè & abſque vllis meritis noſtris Chriſtum, vt eius ſanguine redimeremur, remiſſionemque peccatorum conſequeremur. Atque hanc liberalitatem in pretio redemptionis procurato ſcriptura ſemper agnoſcit, & nobis commendat, non illam, quam Smalcius cum ſuo Socino confinxerunt.

Ex ſatisfactiõe oritur remiſsio offenſæ.

Ex his iam patet, quàm futilia ſint omnia Socini argumenta, quæ ad hunc finem ab illo corraſa ſunt in lib: de Seruatore, p. 3. c. 3. Supponit enim quod falſiſſimum eſt, remiſſionem eſſe nõ poſſe, vbi eſt ſatisfactio: cùm potiùs ex ſatisfactione pro iniuriis concludendum ſit, ſequi debere remiſſionem ſatisfactione accepta. Hic enim eſt finis, ad quem ordinatur ſatisfactio. Neque dici poteſt, impoſſibile eſſe, remittere ſatisfactione accepta. Nam etiam accepta ſatisfactione opus eſt, vt offenſus deponat ex animo offenſam, & deſinat eſſe offenſus propter ſatisfactionem acceptam. Deponere autem offenſam, & deſinere eſſe offenſum, eſt actus voluntatis à ſatisfactione diſtinctus, in eoque poſita eſt remiſſio peccati.

Erroris Socini cauſa.

At Socinum in errorem impulit, quòd remiſſionem confundit cum liberali remiſſione, genus ſcilicet cum ſpecie; cùm tamen manifeſtum ſit, latiùs patere remiſſionem, quàm liberalem remiſſionem; poteſtque eſſe remiſſio non ex liberalitate, ſed ex oblata ſatisfactione. Non igitur erat neceſſe me hîc ſingula Socini argumenta percenſere, cùm vno communi vitio cuncta laborent; quo detecto, per ſe ipſa corruunt vniuerſa.

Debita quî remittẽda.

Vrget nihilominus Smalcius ex Socino in parabola illa Matth: 18. id à Domino vrgeri, nos debere remittere aliis offenſas gratis: quia Deus etiam nobis remiſit peccata noſtra gratis, nulla pro nobis ſatisfactione accepta; quia nimirum dum ſatisfactio accipitur, nulla fit remiſſio. At fallitur Smalcius. Non enim hoc Chriſtus vrget, vt remittantur debita gratis, nulla ſatisfactione accepta, ſed ne crudeliter & ſine miſericordia exigantur, cùm ij qui debent, ſoluendo non ſunt: vti conſeruus ille nequam ſuffocabat ſuum debitorem. alioqui cùm ſatisfactio eſt poſſibilis, non prohibet Chriſtus exigi ſatisfactionem, cùm alibi dixerit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; quæ*

ſunt

ſunt Dei, Deo. Quod verò adducitur exemplum Patris cœleſtis; id eſt verum, quia nec vllam ſatisfactionem à nobis exegit, cui non eramus pares; nec in nos vllo modo deſæuijt, ſed potiùs (quod eximiæ & ſingularis miſericordiæ genus eſt) ipſe redemptorem nobis procurauit. Quo factum eſt, vt ſine vlla ſeueritate in nos exercita, inuenerit modum nobis remittendi peccata: idque gratis, quia non ex meritis noſtris, *neque ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus.* Nam etſi ſatisfactionem à Chriſto accepit, ea tamen ſatisfactio nihili nobis conſtitit, & pro maxima Dei gratia habenda eſt, quòd eam ipſe tanto ſuo detrimento procurauerit, vt Filij ſui iacturam facere voluerit, ſolùm vt nobis redemptio ac ſatisfactio pararetur. Talem autem ſatisfactionem accipere, non ſolùm non eſt vlla crudelitas, ſed ſingularis gratia & miſericordia. In hoc ergo eſt comparatio Patris cæleſtis, quòd ſicut ille cùm ſoluendo non eſſemus, in nos non deſæuiit, ſed nobis peccata remiſit, à nobis nihil exigendo: ita & nos cùm fratribus noſtris benigni & miſericordes eſſe debemus in remittendis culpis eorum. Nam quòd Deus acceperit ſatisfactionem à Chriſto, id ipſum magis commendat in nos miſericordiam, ita vt duplici nomine miſericors in nos eſſe voluerit, & quòd à nobis nullam ſatisfactionem ſeuerè exegerit, & quòd ipſe inuenit modum ſummæ gratiæ plenũ, quo pro nobis ſatisfieret à Chriſto. Quo etiam modo, ſi nos remitteremus offenſam fratribus, ſatisfactionẽ illis cum magna charitate procurando, ſicut Deus eam procurauit nobis, proculdubio eſſet, quo de tali remiſſione gloriari poſſemus.

Quod verò commemorat Smalcius, tunc cùm ſatisfactio accipitur, nullam remiſſionem eſſe poſſe: falſiſſimum eſſe paulò ante oſtendimus, cùm ſatisfactio quæ fit pro iniuriis eo fine offeratur, vt eam conſequatur remiſſio offenſæ & reconciliatio partium: ſolumque ſatisfactio liberali remiſſioni repugnat, non vero ei, quæ fit ſatisfactionis acceptæ reſpectu.

At inſtat adhuc Socinus: Condonare & ſatisfactionem accipere, ſunt oppoſita. Cùm ergo ſcriptura dicat Deum nobis condonare peccata, conſequens eſt, quòd nullam ſatisfactionem accipiat. Condonatio enim ad liberalitatem, ſatisfactio ad iuſtitiam pertinet. Epheſ. 4. 32. *Sicut & Deus in Chriſto donauit nobis.* Sed reſpondendum eſt, diuerſo reſpectu dici condonationem & ſatisfactionem.

Condonatio cum redemptione coniuncta.

Condonatio enim reſpectu noſtri dicitur: quia ſine vllis meritis noſtris & ſatisfactione noſtra. Satisfactio verò dicitur reſpectu Chriſti, qui nos ſanguine ſuo redemit. Pulchrè vero iſta duo in ſcriptura coniunguntur. Deus enim in Chriſto dicitur donaſſe nobis: vt intelligamus hanc donationem eſſe redemptioni coniunctam; & nobis quidem condonatum eſſe ex parte noſtra; à Chriſto verò ſatisfactionem acceptam. Itaq; ſecundùm ſcripturas non eſt iſta pura condonatio excludens omnem ſatisfactionem, tam noſtram, quàm alienam, ſed noſtram ſolùm excludit, non Chriſti; idcircoque Deus dicitur donaſſe nobis, ſed in Chriſto, id eſt per redemptionem Chriſti, quæ ſatisfactionem in ſe continet: ita vt vtrumque in remiſſione peccatorum coniungi ſit neceſſe: vt ſit opus miſericordiæ ſimul & iuſtitiæ. Quare cùm dicitur tam condonationem quàm remiſſionem liberalitatem ſonare, id etiam in præſenti verum eſt; nobiſcum enim liberaliter agit Deus, cùm, à nobis nulla ſatisfactione recepta, peccata remittit: quamuis reſpectu Chriſti ea remiſſio, non liberalitas ſed iuſtitia ſit, vti dictumeſt.

Debito ſoluto remiſſioni locus eſſe poteſt.

Pergit Socinus. Cùm quis pro altero ſatisfacit, non dicitur remiſſum debitum, ſed in alterum tranſlatum atque debitorem cõmutatum: Alter enim loco alterius conſtituitur debitor, debito in ſe tranſlato. Dicimus nos, vtrumque dici poſſe & debere, nempe & commutatum debitorem & priori debitori parcitum eſſe, ne ipſe per ſe ſatisfaceret: atque ſic reſpectu ipſius dicitur remiſſio, quia ab illo nulla ſatisfactio exacta; maximè cùm Deus omnem ſatisfactionem, quæ ab altero præſeruatur, reſpuere potuerit, & in nos, qui ſoluendo non eramus, deſæuire. Adhæc ſupra oſtenſum eſt, remiſſionis iniuriarum locum eſſe, & poſita ſatisfactione, quidquid ſit de debitis realibus.

Liberatio à debito (inquit) hæc eſt, non remiſſio: Conſtat enim poſſe quem liberare ſeipſum à debito, ſi ſoluat illud; neque tamen dicetur ipſe ſibi remittere debitum. Verùm dicendum eſt, Deum nos à debito liberare, non quomodocunque ſed parcendo. cùm enim potuerit in nos, qui ei ſatisfacere non poteramus, deſæuire, & alienam ſatisfactionem non admittere, pepercit nobis, & alienam ſatisfactionem ſuſcepit. quatenus igitur parcendo nobis, nos à peccato liberauit, ſic meritò dici debet, nobis remiſiſſe peccatum. Si enim re-

nim remiſſio includere debet liberalitatem remittentis, magna hæc eſt in nos liberalitas, quòd nobis pepercerit, vt & nobis parceret, proprio Filio non pepercit.

Satisfactio Christi non minuit Dei liberalitatē.

Tandem aiunt, ſatisfactione Chriſti minui liberalitatē Dei in remittendis peccatis: ſiquidem ex ſatisfactione, non ex liberalitate remittit. At iam dictum eſt, liberalitatem Dei, quam ſcriptura cōmendat in peccatis noſtris remittendis,non eam eſſe, quâ ſine vlla ſatisfactione & redemptione nobis remittat peccata, ſed qua per redemptionem & ſatisfactionem Chriſti ea nobis remittit. Quæ liberalitas in eo cernitur, quòd proprio Filio ſuo non pepercit, vt nobis parceret; ita vt liberalitas illa in Filio pro nobis dando, ad eam liberalitatem, qua nobis parcere voluit, dirigatur. Non enim propterea Deus Filium in mortem tradidit (vt fingit Socinus) vt nos paratam à Deo remiſſionem per Chriſtum acceptaremus, ſed vt nos Chriſtus pretio ſanguinis ſui redimeret, & Redemptionem apud Deum ipſemet nobis morte ſua pararet. vt ſatis ante comprobauimus. Itaque in hoc Dei opere & liberalitas Dei & ſatisfactio mirabiliter coniunguntur; immò ipſa ſatisfactio Chriſti, eſt ſumma in nos Dei liberalitas.

Redemptionis noſtræ modus admirandus.

At inquit; Non magnam liberalitatem oſtendi, ſi Deus ſua recuperat: immò verò dicamus, Deum ſua repetere, ſed tali modo, qui ſit miræ ac ſtupendæ in nos charitatis plenus. Quare in eo non minus iuſtitiam quàm liberalitatem demonſtrat.

Soluuntur Socini rationes, quibus Chriſti ſatisfactionem, impoſſibilem eſſe, oſtendere conatur. Cap. XII.

NOn ſolùm de facto Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe negat Socinus, ſed nec potuiſſe ſatisfacere, ſophiſticis aliquot rationibus docere conatur. Ait enim, ſi citra ſatisfactionem Deus noluiſſet nobis ignoſcere, nos ipſi ſatisfacere deberemus, mortem æternam ſuſtinēdo: non verò quiſpiam alius, qui ſicut non deliquit; ita pœna illius, non eſſet pœna iuſtitiæ Dei debita.

Primum Socini argumētum ipſa falſitate nititur.

Primum igitur argumentum eſt Socini. Pœna corporalis peccato debita, à nemine, præterquam ab eo qui deliquit, præſtari poteſt. Cùm igitur Chriſtus non deliquerit, non potuit pœnas peccatorum noſtrorum exſoluere.

 Hoc

Hoc argumentum ipſa falſitate nititur. Communis enim omnium ſenſus docet, pœnam peccatis debitam redimi poſſe, & redemptione in aliud æquiualens commutari. Sic pœna capitis redimi pecunia, vel diuturno carcere, vel perpetua ſeruitute ſolet; ſic Dan: 4. 24. dicitur: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum forſitan ignoſcet delictis tuis.* quidni igitur peccata noſtra, ſanguine Chriſti redimi poſſint? cùm & pretium eius longè ſit maximum, & ſufficiens ad omnia mundi peccata auferenda. Quare etſi nemo pœnam alterius corporalem prorſus eandem in ſe tranſferre poſſit, ſicut transferri ſolet pœna pecuniaria: Pœna enim quam ſentit vnus, non poteſt ſentiri ab alio; neq; pœna peccatis debita poteſt in alio eſſe propriè, præterquam in eo, qui peccauit. eius enim qui non peccauit, afflictio, non eſt propriè pœna debita peccatis: tamen poteſt pœna illa corporalis alia quapiam re, vel pœna redimi: & redemptione ſatisfieri pro pœna peccatis debita. Duplex enim eſt ſatisfaciendi modus: alter pœnam illam peccatis debitam perferendo, quæ cùm eius peccatis, qui deliquit, ſit debita, ab alio quàm ab ipſo ſuſtineri nequit: cùm in alio non habeat rationẽ pœnæ peccatis debitæ. Alter modus ſatisfaciendi eſt, debitam ſatisfactionem, alia quapiam re vel pœna redimendo; & hæc redemptio, quo minus ab eo etiam fieri poſſit, qui innocens eſt, nil repugnat. Talem igitur ſatisfactionem Chriſti fuiſſe cùm dicamus, nihil repugnans aut rationi contrarium dicimus. neque enim neceſſarium eſt ad omnem ſatisfactionẽ, illam ipſam pœnam peccatis debitam ferre (hoc enim ſolùm ad ſatisfactionem debitam ſpectat) ſed ſatis eſt, ſi ſatisfactio debita, alia re æquiualenti redimatur. in omni enim emptione, pretio æquiualenti, pro re quæ emitur, ſoluto, ſatisfit venditori.

Pœnam pœna redimi poſſe.

Iniuſtum, inquit, & plane crudele eſſe, omninoque legi Dei repugnans, innocentem pro nocente puniri. Lex enim Dei eſt, vt *Anima quæ peccauerit, ipſa moriatur.* Ezech: 18. Deut: 24. 16. 2. Reg: 14. quam legem Deus ipſe proculdubio ſeruat. Verùm Socinus non aduertit, innocenti inuito & nolenti, pœnam nocentis attribui & irrogari non poſſe. idque lege etiam Diuina cautum eſt. At ſi quis ex charitate, pœnæ alterius peccatis debitæ, ſponte ſe ſubiiciat, non ſolùm id iniuſtum & turpe non eſt, ſed & maximè honeſtum ac laudabile.

Innocentem puniri poſſe ſine iniuſtitia.

dabile. Ita verò in noſtra per Chriſtum redemptione factũ eſt. Quare nil in ea crudele, iniuſtum, aut legi Diuinæ contrarium oſtendi poteſt.

Pœna Chriſti fuit æqualis pœnis peccatorum noſtrorum, in valore, non in magnitudine.

At inquit Smalcius, pœnam Chriſti temporalem, non fuiſſe æqualem pœnæ æternæ, quæ erat peccatis noſtris debita. Sed facilè refellitur. Etſi enim paſſio Chriſti nec duratione, nec dolorum magnitudine, aut qualitate par æternæ illi pœnæ, quæ in inferno luitur, eſſet: fuit nihilominus valore longè maior; imò infinita. Atq; hoc eſt, quod in ſanguine Chriſti conſiderandum proponit ſcriptura, pretij nimirum immenſam magnitudinem, qua omne pretium corruptibile, aurum & argentum ſuperat. 1. Petr: 1. & ratione cuius eſt ſufficiens ad omnia mundi peccata auferenda. Quam vim, nullum alium ſanguinem habuiſſe docet Paulus. Hebr: 10.

Valor ſanguinis Chriſti Vnde?

Porrò hunc tantum valorem ſanguis non aliunde habuit, niſi quia fuit ſanguis Filij Dei: ex cuius perſona, ſicut ſummam dignitatem: ita & valorem, æſtimationem, pretiumque habebat. Nec enim ſanguis Chriſti, quoad naturam ſanguinis, à ſanguine aliorum hominum diſcrepabat: ſed hoc ſolùm præ aliis habuit, quòd eſſet ſanguis vnigeniti Filij Dei. Et hunc valorem ſanguinis Chriſti ſæpè inculcat ſcriptura. Hebr: 9. 14. *Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram.* 1. Ioan: 1. 7. *& ſanguis Ieſu Chriſti Filii eius, emundat nos ab omni peccato*, quia nimirum eſt ſanguis Filij Dei.

Verùm Ariani, cùm Chriſtum, eſſe verum & naturalem Dei Filium pertinaciſſimè & cum ſumma temeritate negent: quid mirũ ſi & valorem infinitum ſanguinis Chriſti non agnoſcant, & monſtroſam Chriſti ſatisfactionem per ſummam impietatem appellare non vereantur. Nam quòd inſulſè & ineptè obiiciunt, Deum ſatisfacere non potuiſſe, niſi in ſeipſo pateretur, quòd à Dei natura quàm alieniſſimum eſt, id nullo negotio diluitur. Etſi enim Deus in natura Diuina ſatisfacere & pati non potuerit; in humana tamen natura, quam eo fine ſuſcepit, & paſſus eſt, & mortuus, & nos à peccatis redemit. Deus enim erat ille, qui nos *acquiſiuit ſanguine ſuo* Act: 20. *Deus homo factus eſt & habitauit in nobis.* Ioan: 1. 14 *Dominus gloriæ crucifixus*, 1. Cor: 2. *& transfixus*, Ioan: 19. Ad quam lucem Teſtimoniorum licet excœcentur Ariani; veri tamen Dei fideles ea colluſtrantur, & conſtan-

Deus in humana natura paſſus eſt.

conſtantiſſimè piiſſimeque credunt, velut ſacroſanctum fidei Chriſtianæ myſterium, & cum ſumma veneratione amplectendum.

Ex persona dignitate ſumi plerumque valorẽ actionum.

Neque minus abſurdè Socinus pernegat, ex perſonæ dignitate ſumi valorem & pretium actionum. Hoc enim Theologi ex eo demonſtrant, quòd tametſi actiones noſtræ phyſicam ſuam qualitatẽ, eandem, in perſona digniori ac minus digna retineant; tamen cùm illæ actiones in gratiam alicuius fiunt à perſona digniori, eo ipſo perſona, ſe & ſuam dignitatem illi alteri ſubijcit, & facit vt actiones eo ipſo maiorem valorem æſtimationemque habeant: ſiquidem vnà cum illis, perſona quoque ipſa, ſeipſam alteri quodammodo ſubiicit. quod ad moralem æſtimationem plurimùm valet.

Acceptio perſonarum quid?

Ineptius verò multò illud addit: Non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum: quaſi verò ob dignitatem, quam quis habet, æſtimatio, poſſit acceptio perſonarum appellari. Tunc enim perſonarum acceptio eſt, cùm pari dignitate exiſtente, vna alteri ob mundanos & ad rem non pertinentes reſpectus, immeritò præfertur. At cùm maior ſit perſonæ & actionum eius æſtimatio, ob maiorem ipſius & veram dignitatem; minimè id acceptio perſonarum vocandum eſt.

Vis infinita in ſanguine Chriſti.

Saltem, inquit, non ſequitur ex perſonæ dignitate, vis infinita. At certè ſcripturæ tantam vim ſanguini Chriſti tribuunt, quanta ad abolenda totius mundi peccata ſufficiat. Hebr: 9. 14. 1. Ioan: 2. 2. Hanc verò vim eſſe infinitam ex eo patet, quòd ad infinitos homines redimendos ſufficeret. Nunquam enim etiamſi plures homines eſſent, atque adeò infiniti, oporteret ſæpius pro illis Chriſtum pati. vti Paulus ratiocinatur. Hebr: 9. 26. Quin vna gutta ſanguinis Chriſti, omnibus peccatis mundi, & mille mundorum, par eſſet. Vnde verò hanc dignitatem infinitam Chriſti ſanguis habeat, non poteſt oſtendi, niſi ex eo, quòd ſit ſanguis veri Filij Dei. Vt enim Diuina dignitas omnes alias infinitè ſuperat: ita dignitas ſanguinis Chriſti, eò quòd ſit ſanguis Diuinus, infinitam habet præſtantiam & æſtimationem.

Inſtantia Socini.

Inſtat adhuc Socinus, minimè verum eſſe Principis viri pœnam leuem, eiuſdem pretij eſſe, cuius grauiſſima hominis plebeij; iniuſtamq; legem futuram, quæ idem delictum in vno Principe leuiter
1. puniat; in plebeio verò grauiſſimè. Sed fallitur. Non enim dicimus, in iis,

in iis, qui delinquunt, id habere locum, ſed cùm quis innocens ſponte ſe ad ſatisfaciendum ſubijcit in gratiam alterius, vt eius honori & iniuriæ illatæ ſatisfiat: ſic enim ſeipſum & dignitatem ſuam alteri ſubiicit, & pœnis, quas ſubit, dat ſua perſona dignitatem quandam & valorem moralem.

Si, inquit, quis ob delictum oneri alicui propriis humeris vehendo, condemnatus eſſet, haud ſatisfaceret legi, ſi vel alieno auxilio id præſtaret, vel viribus potione aliqua mirifica confortatis: ita neque natura humana, ſi ex Diuina ſatisfaciat, Diuinæ ſatisfiet iuſtitiæ. Sed & hîc Socinus decipitur. eſt enim magnum in hac comparatione diſcrimen: Nam qui aliena ope vtitur, facit ſibi leuiorem pœnam, & non tantam ſuſcipit, quantam ex iuſtitia debet. At natura Diuina in Chriſto, non ſolùm non minuit pœnam, ſed etiam facit illam infinitè plus valere, quàm ſit pœna peccatis debita. Vnde nequit inferri ex natura Diuina minui ſatisfactionem, ſed potius augeri, idque infinitè. a.

Alterum Socini argumentum: Nemo ſibiipſi ſoluit, aut ſatisfacit: ſi ergo Chriſtus Deo ſatisfeciſſe dicatur, conſequetur aut Chriſtum non eſſe Deum, aut ſi Deus ſit, ſibi ſatisfeciſſe, quod eſt abſurdum. Hoc argumentum nihil omnino concludit. Etenim, vbi diuerſæ naturæ, & voluntates in vnam perſonam coëunt, ibi diuerſarum naturarũ reſpectu, idem ſibi ipſi ſatisfacere poſſe, vel ipſum hominis exemplum abundè docet: in quo ſicut cernitur duarum naturarum inter ſe pugna, carnis inquam & ſpiritus, ob duos appetitus ſibi repugnantes: ita & ſatisfactio. Etenim quia *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, idcirco Paulus ait, *caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Quemadmodum igitur in homine propter diuerſitatem naturarum & appetituum inter ſe pugnantium, id accidit pro inobedientia: ita & in Chriſto quid ſimile contingere, nullum eſt abſurdum.

Alterum Socini argumentum.

Soluitur.

Hanc ſolutionem Smalcius euertere cerebelli ſui omnibus neruis cùm non valeat, ait vnionem duarum naturarum in Chriſto nos probare non poſſe. At ſtultiſſimè. Non enim id hoc loco probandum eſt, ſed an argumentũ Socini noſtram de Chriſti natura & ſatisfactione ſententiam euertat. Illud enim principium, quòd nemo ſibiipſi ſatisfacere poſſit, ſi reſpectu diuerſarum naturarum intelligatur, eſt falſum.

Inepta reſpõſio Smalcij.

falſum. Quare ex eo contra nos, qui duas naturas in Chriſto ſanctiſſimè credimus, concludi nihil poterit. Alibi verò plures naturas in Chriſto eſſe, ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

Inſtantia Smalcij diuerſitate naturarum in Chriſto, diſſoluuntur.

Pergit Smalcius, admiſſis duabus naturis in Chriſto, non poſſe tantam diuerſitatem voluntatum oſtendi, quanta ad ſatisfaciendum ſufficit. Nam, inquit, natura humana in Chriſto, cùm perſona careat, inhæret in perſona Diuina, vt accidens, quomodo igitur diuerſū quid à perſona velle poteſt? Verùm hoc quid aliud eſt, Smalci, quàm nugari, inſcitiam ruditatemq; ſuam prodere, neque res, vti ſunt, inintelligere? Quis enim neſciat naturam humanam in Chriſto eſſe, vt conſtituentem ipſam Chriſti hominis ſubſtantiam & eſſentiam: quod quàm ſit à natura accidentis diuerſum, nemo non videt. Etenim eo ipſo, quòd accidens eſt, ad ſubſtantiam rei conſtituendam minimè pertinere poteſt; aut ſi pertinet, nullo modo accidens dici poteſt. Accidens enim rei eſſentiam non conſtituit. Porrò ſi natura humana in Chriſto, confert perſonæ Diuinæ diuerſam naturam à Diuina, ex conſequenti confert etiam diuerſam voluntatem; vbi autem ſunt diuerſæ voluntates, ſunt diuerſa iura & dominia: atque ita datur locus ſatisfactioni. Impenditur enim id, quod eſt vnius naturæ, in gratiam alterius naturæ.

Inſtat Socinus, nullam eſſe ſolutionem, cùm is, qui ſoluit, idipſum quod ſoluit, recipit. At inſtantia nulla eſt, admiſſis duabus naturis in Chriſto. Nam natura humana ſoluit, non recipit. Natura verò Diuina recipit, non ſoluit. Quocirca ratione diuerſarum naturarum, poteſt eſſe idem ſoluens & recipiens abſq; vllo abſurdo. Solùm enim abſurdum eſſet, ſi idem ſecundùm idem eſſet ſoluens & recipiens.

Deo dari aliquid poteſt

Filius, inquit, Patri nihil dare poteſt, cùm omnia, quæ ſunt Filij, ſint etiam Patris. Verùm ſicut non obſtante eo, quòd omnia ſunt ſub dominio Dei, poſſunt homines aliquid donare Deo, eique offerre dona & ſacrificia: vti ſacræ literæ teſtantur. Deus ſiquidem donat ea nobis, vt ea ſpontè & liberè Deo donare poſſimus: ſicut & ſeruo Dominus ſi donet ſuos labores, poterit ſeruus aliquid donare Domino: ita & Chriſto homini ex hoc capite non repugnat, quo minus Deo donare aliquid poſſit.

Ad quem etiam modum & illud ſoluitur, cùm dicitur paſſionē

Chriſti

Per operâ debita, dum modo ex iuſtitia debita non ſint, ſatis fieri poteſt.

Chriſti fuiſſe mandatam à Deo, ac proinde Deo debitam. Per opera verò aliâs debita ſatisfieri non poſſe. Etenim mandatum Diuinum faciebat quidem paſſionem Chriſti debitam, ſed tantùm ex obedientia. Debitum autem ex obedientia non impedit ſatisfactionem. Quilibet enim debitor ex præcepto Diuino debet reſtituere creditori quod debet: nemo tamen dixerit hoc debitum impedire, ne ille ex iuſtitia ſatisfaciat creditori. Solùm igitur, ſi quis ex iuſtitia, rem illam ante debeat, non poteſt per eandem iterum ſatisfacere ex iuſtitia: vt ſi quis ante debebat centum, & iterum alio contractu debet iterum centum, is nummis centum non poteſt vtrique debito ſatisfacere. Denique non refert, quòd paſſio Chriſti fuerit ordinata ad præmium illud exaltationis conſequendum. Nam cùm fuerit valoris infiniti, non ſolùm præmium illud promereri potuit, ſed etiam pro omnibus peccatis ſatisfacere.

Præmium paſſionis Chriſti non impedit ſatisfactionē.

Socino reſponſum.

Abeat igitur Smalcius cum ſuo Socino, & dicat rationibus illius non eſſe reſponſum; quatenus his, quæ nos de ſatisfactione Chriſti aſſerimus, opponuntur: & aduertant tandem miſeri Ariani, ſe dum Socinum ſuum, cœca quadam animi perſuaſione, ſequuntur, in grauiſſimis erroribus verſari. Non enim oracula ſunt Spiritus S. quæ Socinus docet, ſed turpiſſimi in fide errores. in quos ille ſophiſticis quibuſdam ratiunculis incautus incidit, & alios minus cautos pertraxit. Porrò Chriſti Diuina gloria, quam iſti euertere conantur, eminebit ſemper, & ſicut conatibus primorum Arianorum euerti non potuit; ita multò minus horum poſteriorum, qui illis ſunt longè abſurdiores, concidet vnquam. Ipſi potius more communi Hæreticorum concident, pereunte eorum memoria cum ſonitu, & æternis ſuppliciis impietatis ſuæ (ni reſipiſcant) pœnas dabunt.

Caliſſ: 17. April. 1615.

AD LECTOREM.

DEtectis Smalcij erroribus, qui ſupra ducentos quinquaginta ex toto hoc ipſius libro collecti ſunt, libet de modo, quem Smalcius in reſpondendo tenet, aliqua adnotare, vt ingenio hominis perſpecto, quod robur eius reſponſio habeat, videatur. Primùm igitur, quæ nos errorum monſtra, et obiecimus, ea in nos ipſe regerit, monſtra vocans illa præcipua fidei dogmata, quæ Chriſtianus orbis vniuerſus ſanctiſſimè ſemper coluit & veneratus eſt, nempe, Deum eſſe trinum in perſonis, vnum eſſentia; Chriſtum habere duas naturas, Diuinam & humanam; Spiritum ſanctum eſſe eundem Deum cum eo, à quo ſpiratur. Hæc & ſimilia, monſtra, ſola calumniandi libidine, appellare non veretur. Neq; enim quid monſtrum ſit, intelligit. Etenim non id, quod legem communem ſequitur & ſemper euenit, ſed quod à communi lege recedit, monſtrum Philoſophis dicitur. Ariani errores cùm à communi Chriſtianorum fide diſſentiant, iure monſtra dici queunt: At ſanctiſſima fidei dogmata, ab omnibus Chriſtianis ſemper credita, monſtrorum nomine inſigniri, non niſi per impudentiam & calumniam poſſunt.

Adhæc margines conuitijs ita referſit, vt vix folium ſit, quod obiectione erroris, ignorantiæ, ineptiæ, malitiæ, & ſimilibus non ſcateat. quamuis contextus ipſe marginalibus notis non conſentiat, nec aliud vitio vertatur, quàm quòd Smalcij erroribus non congruat. Quod quàm puerile ſit, & exigui iudicij indicium, nemo non videt. Non enim ex marginibus apud imperitum lectorem gloriola & victoriæ opinio captanda, quod ſtultum eſt; ſed rebus & argumentis agendum, quod ſapientes faciunt.

Iam verò ſanctiſſimos Patres, ſapientiſſimos Eccleſiæ Doctores, atq; doctiſſimos omnium ſeculorum Theologos, ita Smalcius præ ſe contemnit, vt illis & ignorantiam, & turpiſſimos errores, & abſurda quæq; inurere, pro ſua ſingulari modeſtia non reformidet, Sus Mineruam, vt vetus prouerbium eſt, docens. Scilicet ſentit, ſe cauſa caſurum, ſi ſemel ſanctis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus ſe iudicandum permiſerit. Sua verò, tanta arrogantia deprædicat, vt nec ea redargui à quoquam exiſtimet poſſe; quamuis præter cauillos & fallacias contineant nihil; & mirari ſe dicat, quòd tam firmis (vti apud ſe ſtatuit) rationibus, totus mundus ab inueterata opinione non recedat; cùm eæ, quas iactat, rationes indoctiſſimorum hominum, libris iam pridem proſtratæ & ſepultæ iaceant. Ea verò, quæ omnium ſeculorum fide in Eccleſia creduntur, non dubitat effrons homuncio, conuiciorum plenis nominibus inſignire. quale inter cætera eſt illud, quod folio 299. ſcribit. Errorem craſſum eſſe, aliquid nobis per Chriſtum propriè comparatum eſſe;

tum eſſe; *& alibi,* vnionem duarum naturarum in Chriſto anile ſomnium eſſe; *quo quid impudentiùs & arrogantiùs dici aut cogitari potuit? Quod ad præcipua argumentorum Smalcij firmamenta attinet, ea is non in reuelatione Diuina, nec in Scripturis fundat, ſed in humana ratione & Philoſophia falſa; videlicet, perſonam & naturam non diſtingui; vnam numero naturam eſſe in pluribus perſonis implicare contradictionem; vnam perſonam in duplici natura ſubſiſtere prorſus impoſsibile eſſe. Quæ omnia cùm à tot ſapientiſsimis viris pridem libris conſcriptis abundè refutata ſint, tanquam non ſolùm Diuinis literis, ſed & rationi ipſi & Philoſophiæ contraria, facilè apparet, quàm ſtramineo fundamento præcipuum religionis Arianæ robur ſubſiſtat.*

Porrò noſtra cùm Smalcius impugnat, ægrè fert eas diſtinctiones à nobis adhiberi, quæ ex noſtris principijs petuntur, vt eſt diſtinctio naturarum in Chriſto; diſtinctio item naturæ & perſonæ; vocareq́ id non ſemel ſolet petitionē principij. Imperitè ſanè. Non enim reſpondens petere principium cenſendus eſt, cùm ex ſuis principijs conſequenter pro ſuo officio reſpondet; & argumentum vim contra ſuam doctrinam non habere oſtendit; ſed is, qui argumentatur, oſtendit ſe argumenta inefficacia adducere: quippe quæ aduerſus doctrinam & principia reſpondentis nullam vim habeant. Quid dicam de ſcripturis, in quibus exponendis non ſolùm nullam antiquitatis rationem habet, & communem omnium fidelium ſenſum contemnit, ſed & verba ipſa ſcripturæ ſumma temeritate peruertit, ea præcipuè, quæ ipſius errorem iugulant. Nam & quod antiquitas tota apud Ioannem legit, Verbum Caro factum eſt, *ille legendum contendit, Verbum Caro fuit: illa etiam Chriſti verba,* antequā Abraham fieret, ego ſum; *aliter vertenda abſurdiſsimè docet, Antequā Abraham fiat, ego ſum. Deniq́ egerrimè fert, ſe ſuoſq́, Hæreticos à nobis cenſeri; quaſi nos id noſtro & non totius orbis Chriſtiani iudicio faciamus. à quo Ariani in tot generalibus ex toto mundo concilijs tanquam Hæretici condemnati, & anathemati iuſtiſsimè ſubiecti ſunt. Nec id alienum à ratione & Spiritu Chriſti cenſeri debet; cùm ſcripturæ plenæ ſint contra falſos Prophetas grauiſsimis decretis: eoſq́ appellant Antichriſtos, mendaces, fures & latrones, plenos omni dolo & fallacia, filios Diaboli, ex patre Diabolo natos, inimicos omnis iuſtitiæ. & quid non?*

Hæc ſi obſeruabis, Lector beneuole, totam Smalcianæ ſcriptionis animam tenebis, & præterea nihil in ea contineri reipſa deprehendes. Vale.

Reſponſio ad examinationem centum errorum à Smalcio obiectorum, ab eodem Smalcio editam.

EX libro Smalcij, quem aduerſus Noua Monſtra noui Arianiſmi ſcripſit, collecti à me ſunt pluſquàm ducenti & quinquaginta turpes ac fœdi errores, cum ſacris literis & fide Chriſtiana pugnantes. Ex quibus centum, in duobus de erroribus Arianorum libris, à me ſunt refutati; reliqui in duos alios hoſce de Chriſto libros reiecti. Irritatus hoc ſtudio meo Smalcius, edidit libellum, quem falſò Examinationem centum errorum inſcripſit. Nihil enim in eo præſtitit, quod examinatio iure vocari poſſit. Etenim cùm crimen obiectum examinandum ſuſcipitur, rationes vtriuſque partis producuntur, vt ex earum inter ſe mutua atq; reciproca collatione appareat, quàm verè ſit obiectum, id quod obiectum eſt. Smalcius verò, prætermiſſis omnibus iis rationibus, quibus errorum ſuorum euidenter à me conuictus eſt, ſuam tantùm ſententiam, ne dicam dementiam, vaniſſimè iterum atque iterum repetit, nec adfert quidquam, quod à me ſufficientiſſimè refutatum non ſit. Nihil igitur egit, quod examinatio iure appellari poſſit, cùm potius examinationis ipſiſſima declinatio ſit, & inaniſſima rerum à me confutatarum iteratio. Quid enim hîc commemorat, quod efficaciſſimis rationibus proſtratum, atque adeò obrutum non ſit. Fucum fortaſſe facere volebat imperitis ea ſcriptione, vt ſic aduerſarium ſuis ſaltē refeliſſe videretur. At norunt has fraudes periti, qui refutationem non ex nudis verbis, ſed ex momentis rationum, quibus aduerſarij argumenta expugnantur, diligenter expendunt.

Examinatio errorum falſò inſcripta.

Fucus Smalcij.

Primum igitur peccatum Smalcij eſt hoc, quòd cùm examinationem promiſerit, nullam tamen exhibuerit, cùm illa ſine obiectorum dilutione fieri neutiquam poſſit. Ex quo conſequitur hanc Smalcij ſcriptionem vanam eſſe, atque adeò reſponſione prorſus indignam. Quæcunque enim hîc Smalcius adducit, diligentiſſimè refutata habet, ita vt neque alia refutatione opus ſit, neque priuſquam propoſita concoxerit, alia vt illi apponantur promeritus eſt. Nec aliam tam breuis meæ reſponſionis cauſam fuiſſe intelligat: præſertim cùm

Primum peccatum Smalcij.

Smalcius ad obiecta

tim cùm nihil hoc in libello Smalcius attulerit, ad quod à me reſponſum accuratè non ſit. Actum autem agere, indecens & ingratum eſt. *non reſpondet.*

Alterum peccatum Smalcij eſt, quòd numerum centum errorũ iniquè criminatur, affectationem neſcio quam obiiciens: in qua re & iudicium ſuum puerile temerariumque prodit, & fallitur peregregiè. Neq; enim errores ipſius, vt centenarium numerum implerent, numerati ſunt; ſed cùm pluſquam ducenti & quinquaginta eſſent, prius centum refutati, quo mnes ad priorem libri ipſius partem pertinebant; alij ad refutationem partis poſterioris repoſiti. *Alterũ peccatũ Smalcij.*

Contrahi, inquit, in pauciores potuiſſe. Verùm cùm ſinguli per ſe errores ſint, & ſingularem quandam abſurditatem contineant, ſinguli expreſſè recenſeri debuerunt; & quamuis aliqui ita inter ſe connexi ſint, vt alter ex altero ſequatur; tamen is etiam error, qui ex altero ſequitur, per ſe error eſt, & propriam abſurditatem habet, quæ multò magis apparet, ſi expreſſè aſſeratur, quàm ſi in alio incluſa ſeu inuoluta proponatur. Cùm verò ait, multò plura talia colligi potuiſſe, vel id indicio eſt, nos magna modeſtia vſos in erroribus ipſius colligendis, ſiquidem multos reliquerimus, ex quibus ingens errorum numerus confici poterat. *Criminationes Smalcij iniqua.* 1. 2.

Iam quòd bis adſcriptus ſit numerus 41. in quo nos etiam erraſſe, Deo ſic volente ait, bene habet, quòd non ipſis erroribus recenſendis, ſed in eorum numero erratum ſit à ſcriptore, gratiæque habendæ ſcriptori, quòd ſuo errore Smalcij errores imminuerit, eumque vno errore liberârit, qui illi ſupra centum alios meritò adſcribendus erat. 3.

Tertium Smalcij peccatum eſt, quòd veriſſimas obiectiones cauillos vocat; cauillum eſſe ait, id obiicere alteri, quod ille ſentire ſe negat. At nihil eiuſmodi obiecimus Smalcio, quod ipſe vel non agnoſcat ſe ſentire, vel ex verbis ipſius conuinci non poſſit, quod ſentiat. Sæpè enim Smalcius, dum rem admittit, modum loquendi rei couenientem negat, aſſerens ſe non ita conſueuiſſe loqui. Quod ſanè imprudenter facit. Non enim hîc attendendum eſt, quid placeat loqui Arianis, ſed quid loqui oporteat, ſi eorum ſententia admittatur. *Tertium peccatum Smalcij.*

Exempli cauſa, cùm 24. errorem Smalcio obiicimus, Chriſtum

Re admiſſa verba negat.

tota vita ſua fuiſſe ſemideum, & ſemidominum, ait ea verba eſſe petulantia: eorumque loco reponendum eſſe, Chriſtum non fuiſſe perfectum Deum & perfectum Dominum: quaſi verò ea petulantia, qua illis liberum eſt, Chriſtum imperfectum Deum & Dominum pronunciare, nobis non liceat, nominibus ſemidei & ſemidomini, eam petulantiam ſignificantibus, rem ipſam exprimere, cùm ea nomina nil niſi imperfectum Deum & Dominum denotent.

Similis error eſt 41. Chriſtum tota vita ſua imperfectam ſapientiam habuiſſe, multaque verè ignoraſſe. Hunc enim errorem ſic excuſat Smalcius, quòd ipſi ita loqui non ſoleant. Agnoſcimus enim inquit, eum omnia ſciuiſſe, quæcunque ad Chriſtum conſtituendum & ſalutem noſtram procurandam pertinebant. Verùm parum refert ad rem, qualiter Smalcius loqui ſoleat, dummodo res ipſa quam tenet, poſtulet talem modum loquendi. Etenim cùm Smalcius in ſapientia Chriſtum verè creuiſſe affirmet, eo ipſo imperfectam ſapiētiam illi tribuit: cùm etiam ea ſolùm Chriſtum non ignoraſſe aſſerat, quæ pertinebant ad Chriſtum conſtituendum & ſalutem procurandam, fateatur oportet, cætera omnia vel ignoraſſe, vel ignorare potuiſſe, qualia proculdubio plurima eſſe nemo inficiari poteſt. Rem igitur cùm concedat Smalcius, cur verba negat?

Error 54. eſt, Chriſtum tota vita ſua non fuiſſe dignum ſedere ad dexteram Dei, quem Smalcius non aliter defendit, quàm dicendo huiuſmodi locutionem inſolentem, & ſcripturæ ſacræ incognitam eſſe. Fateor ſanè, ſicut rem, ita & modum talem loquendi ſcripturæ incognitum eſſe. At Smalcius cùm rem admittat, modum loquendi reſpuere non poteſt. Admittit enim Chriſtum, nō niſi propter obedientiam Deo præſtitam, ad dexteram Dei ſedere potuiſſe. Ex quo ſequitur, ante obedientiam præſtitam, eam dignitatem non habuiſſe, vt ſedere ad dexteram Dei poſſet, quod dicit error 54.

Error 22. eſt, Chriſtum eſſe Deum minorem; Smalcius ait ſe ita non loqui, etiamſi id ex ipſius ſententia conſequatur, vt ipſemet deducit ex Ioan: 14.28. At quis non videt, ſi id ex ipſorum ſententia conſequitur, verè iis & meritò obiici poſſe.

Calumniatur Smalcius,

Iam verò grauem quoque calumniam mihi imponit Smalcius, cùm ait me aliter, quàm ipſe ſentiat, errores ipſius referre & refellere. Id enim vti falſiſſimum eſt, ita ne vno quidem exemplo ab ipſo

probar

probari poteſt. Ad ſcripta mea prouoco, ea legantur, me ab hac calumnia facilè vindicabunt, proferam aliquot exempla.

Error 42. eſt, Chriſtum non omnium prouidentiam habere. Ait Smalcius, id à ſe aſſeri, non quomodocunque, ſed propriè loquendo. At idipſum ego in refutatione mea exprimo, verbaq; Smalcij adduco, nempe, *Chriſti prouidentiam propriè loquendo ad neminem ſpectare, niſi qui eius ſit*; in eoque grauiſſimũ eius errorem pono, quòd neget Chriſtum propriè loquendo omnium hominum prouidentiam habere; etenim ex parte Diuinæ prouidentiæ, nihil deeſſe hominibus, oſtendo quo minus ſaluari poſſint: & cùm non ſaluantur, vitio ſuo, non vitio prouidentiæ Diuinæ non ſaluantur. l. 1. de error: Arian. cap: 2. Ex quo ſequitur tam circa pios, quàm circa impios, Dei prouidentiam eſſe & perfectam & propriam.

Error 57. eſt, Chriſtum non eſſe verè & propriè ſacerdotem, ſed metaphoricè & impropriè. Ait Smalcius, ſe non negare, Chriſtum eſſe verè ſacerdotem, licet ſit impropriè ſacerdos. At hoc ipſum in dicto errore vrgeo, quòd cùm Chriſtum eſſe impropriè ſacerdotem aſſerat, eo ipſo dicere neceſſario debeat, non eſſe verè ſacerdotem. quod enim eſt impropriè tale, nõ eſt verè tale, ſed ſimilitudine tale; & veluti tale, non autem abſolutè tale. Sic Chriſtus quia impropriè dicitur leo & lapis, non dicitur eſſe verè leo & verè lapis; cùm ea, ex quibus ducuntur hæ ſimilitudines, ſint vera; ipſæ autem ſimilitudines non ſint res ipſa verè.

Ridicula verò ſunt & cõtra omnem ſenſum, quæ hîc Smalcius ſcribit, verè & impropriè non opponi inter ſe; & id quod impropriè eſt tale, verè eſſe tale; & aliud eſſe impropriè appellari ſacerdotem, aliud eſſe improprium ſacerdotem.

Nam vt ab hoc vltimo ordiar, quàm id abſurdum eſt, Chriſtum non eſſe improprium ſacerdotem, etiamſi impropriè ſacerdos ſit, numquid à proprio ſacerdotio poteſt quis vocari impropriè ſacerdos? Quis, niſi abſurdus & ſtupidus concedat à propria forma impropriè rem denominari? alioqui Smalcius quoque dicetur homo impropriè, licet propriam hominis formam habeat. Si igitur Chriſtus impropriè ſacerdos eſt, ab improprio ſacerdotio dicetur impropriè ſacerdos. Nam à proprio ſacerdotio nequit dici, impropriè ſacerdos, cùm forma propria non denominet rem impropriè. Quod ſi

Nugæ Smalcianæ.

De improprio & vero

ſacer-

ſacerdotium improprium habet, dicetur proculdubio improprius ſacerdos, cùm ab improprio ſacerdotio improprius ſacerdos rectè dicatur. Quare falſa eſt illa diſtinctio Smalcij, improprij & impropriè ſacerdotis.

Similiter & illud abſurdum eſt, eſſe impropriè & tamen verè. Nullus enim iudicij integri dicet rem impropriè talem, eſſe verè talem: panem v.g. chartaceum vel pictum, nemo dicet verè eſſe panẽ: quia eſt impropriè panis; nec pratum quis dicet verè ridere, quia impropriè dicitur ridere. Nec Christum quis dicet eſſe verè lapidem, cùm impropriè dicatur lapis. Quocirca Smalcius errat, cùm ait, verum, non opponi etiam improprio & metaphorico. vti 1. de erroribus Arian: c. 4. à nobis probatum eſt. Nullus enim improprium aurum, vocabit verum aurum; nec improprium leonem, verum leonẽ; cuius eam rationẽ ibi reddidimus, quòd ſimilitudo rei veræ, non dicatur res ipſa vera. Res enim dicitur vera à ſua natura & eſſentia, vt verus homo, verum aurum ab ipſa hominis & auri eſſentia: à ſimilitudine autem non dicitur res vera, ſed ſimilis rei veræ, & tanquam vera, non autem abſolutè vera.

At, inquit Smalcius, etiam id, quod impropriè & metaphoricè aliquid eſt, verè aliquid eſt. Reſpondeo, id eo loquendi modo verum eſſe, quo ipſum falſum, dicimus verè falſum. Nihil enim verius de falſo dici poteſt, quàm quòd ſit falſum: Sicut igitur id quod falſum eſt, abſolutè dicimus non eſſe verum, licet verum ſit, falſum eſſe falſum: ita & improprium abſolutè dicimus nõ eſſe verum, quia veram & propriam eius rei naturam non habet. Licet verum ſit eſſe aliquid improprium. Nam hoc ipſum eſſe aliquid improprium, eſt eſſe aliquid non verum, ſed vero tantùm ſimile, & eſt eſſe aliquid non ſecundùm veritatem naturæ, ſed ſecundùm ſimilitudinem. Et ſanè cùm aliud ſit verum, aliud ſimile vero, improprium autem ſit ſimile vero, ſequitur improprium non eſſe verum, niſi eo improprio loquendi modo, quo etiam falſa & impoſſibilia dicimus ſuo modo vera, id eſt verè falſa, verè impoſſibilia; ſed non eſt nouum Smalcio tales nugas ſophiſticas ad offundendas tenebras excitare.

Ioannes idololatra. Error 80. eſt, Ioannem Apoſtolum idololatram fuiſſe, cum Angelum adoraret. Negat id Smalcius ex verbis ipſius colligi. At verba manifeſtiſſima ſunt. ait enim: ſi Ioannes adorationem illam ab

Angelo,

Angelo, tanquam idololatricam prohibitam Apoc: 19.10. iterum facere voluiſſet, crimen idololatriæ admiſſurum fuiſſe. Cùm igitur conſtet ex ſcriptura Apoc: 22. 10. iterum illam adorationem facere voluiſſe & feciſſe, conſequens eſt ſecundùm Smalcium, Ioannem in crimen idololatriæ prolapſum eſſe. Non igitur per calumniam id Smalcio imponitur, quod tam euidenter ex verbis eius deducitur: ſed Smalcius falſò & impudenter negat, quod imprudenter ſcripſit.

Error 81. & 88. eſt, Sanctos vita functos nullo modo exiſtere, & animas hominum vnà cum corporibus per mortem interire. Negat Smalcius animas prorſus perire, cùm ſcriptum ſit, ſpiritum redire ad Deum, qui fecit eum: ita tamen exiſtere, vt nihil ſentiant, nulla re fruantur, ſintque veluti trunci ac ſtipites, ſenſu omni carentes. Verùm cum ſuam ſententiam ita explicat Smalcius, primùm ſibi contradicit, in ſua reſponſione ad Caput tertium, cùm ait: Falſiſſimum eſſe, Sanctos reuera nunc eſſe, nec id vllo pacto probari poſſe. Ex eo enim ſequitur, Sanctos poſt mortẽ non exiſtere quoad animas. Nam ſi quoad animas exiſterent, verum eſſet Sanctos exiſtere; Nam & in inferno homines damnati nunc actu exiſtunt, etiamſi ſolùm ſecundùm animam exiſtant; & Chriſtus illo ipſo die, quo mortuus eſt, erat in paradiſo, & latro cum ipſo; licet vterque non niſi ſecundùm animam exiſteret. Rectè igitur error ille Smalcio inſcriptus eſt; ſiquidem ex ipſius verbis neceſſariò ſequebatur.

Deinde cùm nunc errorem ſuum corrigit, in alios non minus craſſos ac fœdos errores impingit. Nam dicere, animam nihil ſentire, velle, intelligere poſſe, nullaque re frui, quid aliud eſt quàm eam, truncum & ſtipitem, atq; ex viuente mortuam facere? Sicut enim corpus cùm vitam amittit, ita vt ſentire & alias vitæ actiones exercere non poſſit, dicitur verè mortuum; ita ſi anima vitam amittit, & nullas vitæ actiones exercere poſſit, dicetur verè mortua. Deinde omnes Philoſophi hucuſque de animæ immortalitate ita ſtatuerunt cum Ariſtotele in libris de Anima: ſi anima hominis nullam habeat operationem independentem à corpore, hoc eſt talẽ, quam extra corpus nullam actionem animæ exercere poſſit, non fore immortalem, neque ſeparatam à corpore exiſtere poſſe, ſed perire inſtar animarum brutorum. Cùm igitur Smalcius animam hominis eiuſmodi ſtatuat, quæ ſine corpore nullam vitæ actionem exercere poſſit, conſequenter ſtatuit animam eſſe mortalem, neq; extra *Anima ſine ſenſu.*

corpus exiſtere poſſe; pugnantiaque & contra communem omnium ſapientum ſenſum loquitur, cùm ait, animam extra corpus nullam actionẽ animæ exercere poſſe; & tamen extra corpus ſubſiſtere poſſe. Denique cùm negare non poſſit Smalcius & animas damnatorũ nunc in inferno pænas ignis ſentire, & latronis ac Chriſti animam poſt mortem gaudia paradiſi ſenſiſſe (quod etiam de anima epulonis & Lazari, parabola à Chriſto recẽſita, teſtatur) quomodo dicere audet, animas nullo ſenſu affici extra corpus, nullaque re frui poſſe?

Anima hominis non creatur.

Nec minor ille error eſt, cùm animas nunc creari à Deo abſurdè negat. Ita enim in 31. errore ait, creationi rerum nullus hodie locus eſt. Semel enim omnia Deus creauit, & poſtea ab operibus ſuis quieuit. Et quæ nunc fiunt variarum rerum productiones, eæ non niſi impropriè nomine creationis inſigniri poſſunt. Ex his verbis Smalcij, quid aliud colligitur, quàm animas rationales in generatione hominum non creari à Deo. Educuntur igitur ex potentia materiæ, & fiunt ex corpore, ſicut & animæ brutorũ. Quocirca, vti & animæ brutorũ, extra corpus non exiſtunt, ſed intereunt; quæ enim ex corpore fiunt, à corpore dependent, atq; cum corpore intereunt.

At lõgè aliter rem habere, ipſa primi hominis productio indicat. Nam omnes alias res Deus fieri voluit ex certis materiis. Producant, inquit, aquæ reptile animæ viuentis & volatile ſuper terram. Ad hominem autem vbi ventum eſt, Deus ipſe dicitur inſpiraſſe ſpiraculum vitæ, vt intelligeretur ſpiritum hominis non ex terra prodire & naſci, ſed cælitus à Deo inſpirari. hocque illud eſt, quod apud Eccleſiaſtem 12. 7. dicitur, & *reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui fecit eũ.* Ex eo enim colligitur ſpiritũ hominis non ex terra eſſe productum; alioqui in terram rediret, ſed à ſolo Deo factum ex nihilo, id eſt nulla ſuppoſita materia, eſſe.

Falſa fides non impedit ſalutem.

Error 78. eſt, cum fide falſa poſſe homines Deo placere & ſaluari. Ait Smalcius id eſſe calumniam. At iniuria. Id enim ex verbis Smalcij, & Socini eius magiſtri, & cuiuſdam Theophili, qui nuper pro Arianis ſcripſit, clariſſimè probaui. Cur igitur ad meam probationem non reſpondet? cur me calumniari improbè calumniatur? Et ſanè Smalcius cum folio 5. ſuæ Refutationis ait, errorem circa eſſentiam Chriſti non tollere fidem in Chriſtum, ſed obſcurare duntaxat, quid hoc aliud eſt, quàm dicere, poſſe quidem habere rectam fidem in Chriſtum, qua ſalutem conſequatur, etiamſi circa

illius eſſentiam, fidem falſam de eius eſſentia habeat. hoc verò quid aliud eſt, quàm poſſe aliquem cum fide falſa ſaluari.

Socinus verò huius noui Arianiſmi facilè Princeps, nonne clariſſimè idem docuit, cùm in Refutatione VVuieci fol: 484. ait, æquè Trinitarios ac Arianos acceptos eſſe poſſe Deo, etiamſi contraria de Deo ſentiant & credant, dummodo præcepta Chriſti ſeruent, & contraria ſentientes, non perſequantur. Id ne ſaltem negare audebis ô Smalci, atq; calumniam nominabis? Aſt video puduiſſe Smalcium ſui erroris, & eum hic quodammodo correxiſſe, cùm addit, id verum eſſe de eſſentialibus fidei particulis: quaſi verò error circa Chriſti eſſentiam non ſit de eſſentiali Fidei particula. Nam ſi diuerſam quis Chriſti eſſentiam credat, diuerſum quoque Chriſtum colet, non eundem cum aliis, aliumq; illi honorem deferet, ſi credat illum Diuinam naturam habere, quàm ſi Diuinitatem tantùm accidentariam. Concedit autem Smalcius falſam fidem, ſi ſit de particulis Fidei non eſſentialibus ac minùs neceſſariis, ſalutem non impedire, quòd quid aliud eſt, quàm cum Fide falſa quempiam ſaluari poſſe. vti in errore 78. Smalcio obiectum eſt. Quomodo igitur auſus eſt ſcribere, hoc ſibi per calumniam obijci, cùm ex ipſamet eius confeſſione, id iam ſit verum. Neq; enim ad errorem obiectum requiritur, vt tota fides, id eſt, quoad omnes ſuas partes falſa habeatur, ſed ſufficit, vt in aliqua parte ſit falſa. *Error circa Chriſti eſſentiam qualis.*

Cùm verò ſubijcit duas conditiones Smalcius, tum vt quis ignorantiam non affectet: tùm vt contraria ſentientem non perſequatur, eiuſmodi conditionibus quoſuis hæreticos ſaluari poſſe facili negotio demonſtrabit. Quis enim hæreticorum eſt, qui ignorantiam affectet, & ad ſcripturarum intelligentiam ſeriò non aſpiret, eamque ſe aſſecutum, ſibi ſaltem non perſuadeat. Num igitur hæretici, idcirco hæretici non erunt? At tales proculdubio fuerunt, quos Apoſtoli ſuo tempore pro Hæreticis condemnauerunt. neque diſſimiles his mille ſexcentis annis fuerũt, quicunq; pro Hæreticis habiti ſunt. *Refellitur Smalcius.*

Nam quod Smalcius adijcit, requiri ad fidem ſalutarem, vt quis contraria ſentientem non perſequatur, id neq; cum ſcripturis congruit, neq; cum ratione. Nam & Dauid iniquos, atq; adeò Eccleſiam malignantium odio habuit, quia legem Dei dilexit: & lex Dei in ſcripturis contra pſeudoprophetas extat, vt tales pœnis grauiſſimis, morte etiam afficiantur. Nec enim poteſt eſſe conuentio

Chriſto cum Belial, neq; luci cum tenebris: ita vt hæc conditio ab Arianis excogitata ſit, arte neſcio qua, quo faciliùs illis errores ac impietatem ſuam ſine vlla contradictione & impunè propagare licitum ſit. Sed proſequamur reliqua.

In Errore primo dicitur Deum verum non eſſe vnum; Smalcius ex mera calumniandi libidine dicit id nudè prolatum, captionem eſſe & cauillum. Vt verò hunc cauillum explicet, ait: Non ſolùm Deum Patrem, ſed etiam alios, qui ab ipſo ſunt appellati Dij, Deos eſſe veros, eò quòd non ſint falſi Dij: deniq; concludit ſenſum ſuum. Certiſſimum, inquit, eſt, non vnum tantùm eſſe Deum verum. Aut igitur ipſe cauillum concludit, aut nos falsò & per calumniam cauilli accuſat: ſiquidē hæc ipſius concluſio eſt prorſus eadem cum errore à nobis ipſi obiecto. Ita homo iſte verbis duntaxat nos aggreditur, ſuaq; tueri vult. Miſſam facio eximiam ipſius illam probationem. Deus alios quoq;, inquit, Deos appellat: ergo alij quoque ſunt veri Dij. quaſi Dij appellari non poſſint, qui ſunt Dij metaphorici & ſimilitudinarij. Sicut cùm Chriſtus in Scripturis appellatur Leo, numquid inferri poteſt, eſſe verum Leonem? Si enim propter ſimilitudinem dicitur Leo, ſimilitudo autem non eſt res ipſa vera, neq; Chriſtus ob ſimilitudinem leo verus dicetur.

Inter fictum & verū datur medium

Et ſanè per hos mille ſexcentos annos, etſi omnes fideles non ignorarent, Angelos & homines in ſcriptura Deos appellari; nullus tamen adeò mentis inops inuentus eſt, qui fuerit auſus pronunciare Angelos & homines veros eſſe Deos: ſed vnus ſolùm Deus verus in orbe Chriſtiano, hucuſq; auditus, creditus, prædicatuſq; eſt. Contra communem igitur ſenſum omnium & rationem dicit Smalcius Angelos & homines eſſe Deos veros: quia non ſunt ficti. Nam inter fictum & verum datur medium, nempè quòd neq; fictione, neq; veritate & natura dicitur tale, ſed ſimilitudine & figuratè duntaxat. At hæc cùm à nobis copioſè 1. de error. c. 4. demonſtrata ſint, miror Smalcium ea non conſideraſſe nec refutare, conatum eſſe. Vbi etiam efficaciſſimè probauimus ſecundùm ſcripturas, non poſſe dici vllo modo, niſi vnum Deum verum, non ſolùm quòd nullus, præter vnum, dicatur verus Deus, ſed etiam quòd omnes alij à vera Diuinitate excludantur: alioqui ſi veram Diuinitatem haberent, pro veris Dijs coli poſſent. Digna enim vbiq; eſt vera Diuinitas, Diuino vero honore, etiamſi nullum aliud Dei præceptum de hac re extaret.

Sed

Sed plura de ea materia loco citato Lector inueniet, quæ Smalcius in hoc ſuo ſcripto vigilans an dormiens diſſimulauit.

Error vltimus eſt, Angelis, qui ſunt Dij cœleſtes, Diuinum cultum tribui poſſe. Agnoſcit Smalcius ita ſe credere; verumtamen queritur ſe tacitè pungi, quòd Angelos, Deos cœleſtes appellet: cùm id aſſerat Paulum quoq; dicere 1. Cor: 8. Verùm nos falſum id eſſe efficaciter contra Smalcium probauimus, nempè multos illos Deos in cœlo & in terra, quos Paulus nominat, eſſe Deos Gentilium, contra quos ibi diſputat, & quibus opponit vnum Deum & vnum Dominum: & tamen ac ſi à nobis nihil obiectum eſſet, ſua tantùm impudenter obtrudit Smalcius.

Cum verò ait, ſi Deus præciperet Angelos pro Dijs coli, parendum Deo eſſet; an non ſtultè ſupponit, hoc Deum præcipere poſſe, quod eſt impoſſibile. Sicut enim ſi quis diceret: Si Deus præciperet aliquid, quod implicat contradictionem; omnino nobis faciendum eſſet id, quod implicat contradictionem: an non ſtultum eſſet conſequens ex ſtulto antecedente: quomodo enim nos obligari poſſumus ad faciendum id, quod implicat contradictionem; ſi neq; Deus ipſe facere poteſt, quod implicat contradictionem; ſed ex impoſſibili ſuppoſitione talia abſurda ſequi, mirandum non eſt.

Falſum etiam eſt, quod ait in veteri fœdere Angelos pro Dijs adoratos. Nam aut Angeli pro Angelis adorati ſunt cultu Sanctorum, cùm tales eſſe cognoſcebantur, aut ſi Deum repræſentabant, Deus in illis, non ipſi per ſe, Diuino honore adorati ſunt. Verùm has & alias Smalcij nugas in duobus de erroribus libris confutaui, ad quos etiam remitto lectorem.

Nunc ſatis ſit exempla protuliſſe, quibus pateat, quàm iniquè Smalcius nos in ſua examinatione traduxerit, & omnino quàm nugatoriè rem geſſerit. Nihil enim aliud effecit, quàm quòd ſeipſum ineptum eſſe ſatis apertè & luculenter probauerit; Nam & titulus cum re non conſentit: & quæcunq; hîc adfert, ſingula ſufficienter à me refutata ſunt, vt reſponſione noua minimè indigeant. Noſtra verò ipſe non ſolùm non refellit, ſed ne commemorare quidem auſus eſt. Ad extremum, libellum totum vana & inutili ſuarum opinionum ſeu potiùs errorum à me refutatorum repetitione vſque ad nauſeam compleuit, ad fucum ſolummodò faciendum, & vanam gloriolam apud vilem plebeculam Racouienſem captandam.

 De cæte-

Admonetur Smalcius. De cætero ſi ita ad noſtra reſpondere perget, vti ij faciunt, quos ratio deficit; nec aliquid ſolidum aut reſponſione dignũ contra ea, quæ à nobis obiecta ſunt, afferet, ſciat non eum futurũ reſpondendi modum, qui ijs debetur qui cum ratione ſcribunt. Quod enim & ſcriptura docet, & ſapientes omnes probant, non eſt reſpondendum cuiq; , niſi ſecundùm ſapientiam eius, Doctique iudicabunt, quem rationes & argumenta defecerunt.

Noui errores Smalcij.

Libet hic nouos aliquot errores Smalcij adnotare, quos in hoc ipſo libello, in quo centum errores ſuos examinandos ſuſcepit, admiſſit.

1. Primus eſt, *Deum Patrem neminem nunc regere & gubernare, vſq; ad diem iudicij, ſed omne regimen Chriſto tradidiſſe.* Sic ait in errore 34. Non igitur Deus Pater nobis inuocandus eſt, nec gratia vlla, aut beneficium ab eo poſtulandum; ſiquidem ad noſtram gubernationem ſe non immiſcet.

2. Secundus, *Chriſtum in cœlo regnantem non eſſe ſubiectum Patri vſque ad diem iudicij.* Sic ait errore 32. 34. Qui error eſt contra Paulum, qui Chriſti caput dicit eſſe Deum, 1. Cor: 11. 3. & contra omnem rationem. Rem enim creatam eſſe ſubiectam Creatori, & ab eo dependere in eſſe neceſſarium eſt. Chriſtus autem ſecundùm Smalcium, quantus quantus eſt, res creata eſt: non poteſt igitur dici non eſſe ſubiectus Deo. Neq; poſſibile eſt, Deum tale quid condere, in quod ſupremam poteſtatem primi principij non habeat, ratione cuius poſſit illud & deſtruere, & ad libitum immutare. Quod ſi etiam in cœlo ſacrificat pro nobis: quomodo non eſt ſubiectus Deo?

3. Tertius, *Animas poſt mortem nihil ſentire & intelligere, nullaq; re perfrui.* errore 81. & 88. Erunt igitur animæ ſicut ſtipites & trunci, & ex viuentibus mortuæ, vti paulò ante deduximus.

4. Quartus, *Animas hominum non creari à Deo.* errore 51. Fiunt igitur è terra, vt brutorum animæ, & ex conſequenti in terram redibunt argumento Eccleſiaſtis 12. 7.

5. Quintus, *Animas ſine corpore nullam actionem exercere poſſe.* errore 81. Erunt igitur mortales, nec extra corpus exiſtent. eo enim argumento Philoſophi omnes colligunt animam extra corpus exiſtere poſſe: quia extra corpus operationes ſuas poteſt exercere: alioqui nec ipſa poterit ſine corpore exiſtere.

6. Sextus, *poſſe Deum præcipere, vt Angelus pro Deo vero adoretur.* Er: 100. Non poteſt Deus præcipere, vt is, qui verus Deus non ſit, pro vero Deo colatur. Sic enim falſum cultum præciperet. Cùm igitur Angelus non ſit Deus verus,

ſed ſimilitudine dicatur Deus, ſimilitudo autem rei non eſt res ipſa vera, idcirco non poteſt à Deo præcipi, vt pro Deo vero colatur.

7. Septimus, *In fœdere veteri Angelos fuiſſe pro Diis veris adoratos.* Er: 100. Falſum eſt. Nam ſi cognoſcebantur eſſe Angeli, cultu Angelorũ, & Sanctorum adorati ſunt. Si verò Deũ repræſentabant, Deus in illis, non ipſi per ſe ſunt adora[ti].

8. Octauus, *Homo ſine perſona humana homo eſſe non poteſt.* erro: 18. Si ſecundùm Smalcium natura diſtinguitur formaliter à perſona, vti in errore 95. aſſerit; erit natura humana ſine perſona humana. à natura autem humana, quis negare poteſt, dici & eſſe hominem, ſicut ab albedine album?

9. Nonus, *Chriſtus poſt diem iudicii poteſtatem in Fideles, quam accepit à Patre ſuo modo reddet Patri, eaq; ipſe in æternum priuabitur.* err. 29. & 32. Hic error eſt & contra ſcripturas aſſerentes poteſtatem Chriſti eſſe æternam, & contra Smalcium. Etenim ſi propter poteſtatem Diuinam, quam habet in fideles Chriſtus verus Deus, & pro vero Deo colendus eſt ſecundùm Smalcium, & ſi illa careret, pro Deo vero haberi & coli non poſſet, vt in errore decimo docet; ſequitur poſt diem iudicij Chriſtum nec futurum Deum, nec pro Deo à quoquam coli poſſe. Siquidem poteſtate illa in fideles priuabitur.

10. Decimus, *Si quis circa Chriſti eſſentiam erret, dummodo credat Chriſtum eſſe, & remuneratorem eſſe, Deo placebit & ſaluabitur.* err. 51. Ergo cum falſa fide in Chriſtum ſaluabitur. Ad hæc, ſi aliam Chriſti eſſentiam credat, quàm reuera Chriſtus habeat; quomodo verè poterit credere Chriſtum eſſe, cum alium Chriſtum, quàm reuera ſit, credat.

11. Vndecimus, *Chriſtum in vſu ſuæ poteſtatis (creatæ) non dependere à Patre, auguſtiſſimũ eſt Chriſtianæ religionis myſterium.* err: 34. Imò verò auguſtiſſimum eſt impietatis myſteriũ, dicere rem creatam in actione creata, non dependere à Deo.

12. Duodecimus, *Chriſtum poſt diem iudicij, & ſalutem perfectã nemini vllum beneficium exhibiturũ.* er: 87. At hæc eſt ſumma temeritas & falſitas. Vnde n. hoc probat? Cùm præter beneficia ſalutis, ſũt alia plurima beneficia. Si enim Angelis, qui perfectam ſalutẽ habẽt, multa beneficia à Chriſto exhibita ſunt, & mulplicẽ gloriam accidentalẽ acquirunt: quidni idem de fidelibus beatis dici poſſit?

13. Decimustertius, *Corpora hæc, quæ nunc circumferimus, reſurrectura non credimus.* err: 89. Hic error eſt contra ſymbolum Apoſtolorũ in quo carnis reſurrectionem credimus: & contra Paulum 1. Cor: 15. dicentem corruptibile hoc induturum incorruptibilitatem. Ex eo etiam errore ſequitur, non eoſdem numero homines reſurrecturos; cùm homo nõ ſolùm ab vnitate animæ, ſed ab vnitate corporis dicatur hic numero homo. Vtrumque enim ad ſubſtantiam hominis conſtituendam requiritur.

14. De-

14. Decimusquartus, *Ad meritum requiritur perfecta obedientia, quæ à ſolis humanis viribus proficiſcatur*, errore 92. & 67. Sed id temerè & contra omnes Theologos aſſeritur. Nullus enim Theologorum vnquam eam conditionem ad meritum requiſiuit, vt eſſet ex ſolis humanis viribus. Si enim per dona gratiæ Diuinæ, quia à Deo ſunt, mereri nos repugnat; procul dubio & ſolis humanis viribus (quia hæ etiam à Deo ſunt) aliquid mereri repugnat, & ſic ſuam ipſe conditionem Smalcius euertit.

15. Decimus quintus, *Baptiſmum & Euchariſtiam non conferre gratiam, ſed Baptiſmũ eſſe ſolùm profeſſionem Chriſti nominis. Euchariſtiam verò, pro morte Chriſti gratiarum actionem.* err: 93. Hic error intolerandus eſt. Quis enim Chriſtianorum talia errorũ portenta vnquam audiuit? omnes enim fideles hucuſq; conſtanter crediderunt, & Baptiſmum aquæ conferri in remiſſionem peccatorum, Act: 2. & in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti ſumi ad vitam æternam conſequendam, Ioan: 6. Si enim Chriſtus extra Euchariſtiam creditus eſt nobis ad ſalutem, quidni in Euchariſtia ſumptus, ſalutem nobis conferet.

16. Decimus ſextus, *de Baptiſmo quidem aquæ hactenus vulgò creditur, eum eſſe ad ſalutẽ neceſſarium, ſed ſine omni iuſta ratione.* er: 94. Quid ita? Extat, inquit, ea de re noſtri cætus libellus (illius, inquam, celeberrimi cætus, ex quo noua omnia errorum monſtra quotidie prodeunt) ex quo vnicum hoc nunc excerpo. ſcilicet præcipuum, ad tantum errorem probandum argumentum. Audiamus. Paulus ait, ſe non eſſe miſſum à Chriſto vt baptizaret. Ergo Chriſtus non præcepit Paulo, vt quenquam aqua baptizaret: ergo nec aliis Apoſtolis, qui in iis, quæ ad munus Apoſtolicum ſpectant, fuerunt pares. Ergo Baptiſmus aquæ non eſt ad ſalutem neceſſarius. Si enim eſſet neceſſarius, præceptus Apoſtolis fuiſſet. At quis non videt id argumentum eſſe dementiſſimum in ſtulta verborum Pauli intelligentia fundatum. Paulus enim cùm ait ſe non eſſe miſſum ad baptizandum, ſed ad euangelizandum, id omnes interpretes hucuſque ita intellexerunt, Paulum cum poteſtate quidem baptizandi & euangelizandi miſſum fuiſſe, & ad vtrumque præcepto Chriſti obligatum, verùm non fuiſſe obligatũ, vt per ſeipſum baptizandi munere fungeretur, ſed præcipuè euangelizationi vacaret. Nam baptizare quilibet facilè poteſt: at euangelizare proprium munus Apoſtolorum. Hoc cùm non intellexiſſet Smalcius, in tam abſurdum errorem de neganda Baptiſmi neceſſitate & pręcepto prolapſus eſt. Verùm Baptiſmi aquæ neceſſitatem nos ex inſtituto in libro de Baptiſmo contra Moſcorouium ex ſcripturis probauimus. hic ſatis ſit, argumentum Smalcij præcipuum, quàm futile ſit, indicaſſe.

FINIS.

INSTYTUT OSSOLINSKIEGO.
9252
0

9252
D